BIBLIOTECA NAZ.
147
C
5
NAPOLI

112

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
147
C
5
NAPOLI

GESTA
FRANCISCI
MAUROCENI

FRANCISCI
MAUROCENI
PELOPONNESIACI,
Venetiarum
PRINCIPIS
GESTA.

SCRIPTORE

JOANNE GRATIANO BERGOMENSI, D.

PATAVII,

M. DC. XCVIII.

Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM PERMISSU.

S. Severini [illegible]

Illustrissimo, atq; Excellentissimo D.

JOANNI DELPHINO

Senatori Ampliſſimo

Joannes Gratianus F.

O*Peræ pretium duxi, Ampliſsime Senator, in ipſo epiſtolæ limine veniam deprecari, quòd, nec dignitate tua, nec imbecillitate mea ſatis æſtimata, difficillimum hiſtoriæ genus his præſertim temporibus recolere, tibique potiſsimùm ſacrare, auſus fuerim. Quomodò enim id poſſum intre-*

pidus emittere, ſubiturus mentis tuæ judicium? aut unde ſpes notam temeritatis effugiendi, dùm tantum judicem non ſortitus ſum, ſed elegi? Verùm quia creberrima benevolentiæ tuæ erga me, ac majores meos experimenta ſcribenti mihi fiduciam benignitatis, clementiæque ſæpiùs fecerunt, tandem, quamvis imperaret ſilentium verecundia, eò addictiſſimi animi ſtudio perductus ſum, ut nomini tuo exaratum opus, quale quale illud ſit, nuncuparem. Impleverim ne hoc conſilio obſervantiæ munus, an potiùs fraudarim, nec ſcio, nec, ſi ſciam, dicere prodeſt. Illud tamen defenſioni meæ ſuccurrit, indignum virtute tua libellum eo tantùm nomine dicatum tibi, ut non ex ordine ſenſuum, aut verborum lenocinio, ſed ex ſcriptoris mente penderetur. Nam quemmadmodùm nulli unquam vitio imputatum, dùm Superos coleret quoquo modo poſſet, ita mihi non minùs honeſtum, pulcrumque etiam non aſſecuto futurum cenſeo, aſſequi voluiſſe. Quòd ſi benignè, uti ſoles, illum excipiens, non vires meas, ſed votum conſiderabis, in reliquis non ambigo, quin omnes de ſcriptione hac ita judicaturi ſint, ut nemini æquiùs quàm tibi dari potuiſſe fateantur. Quanta enim pars gloriæ eorum ad te pertinet, quæ Peloponneſiacus Mauroce-

roce-

rocenus, arcto neceſsitudinis vinculo tibi conjunctus, fortiſſimique viri Patruus, ac Frater tuus in bellis egerunt. Quamvis tamen hoc titulo id tribuendum tibi non putarem, niſi tu ita viveres, ut his Majoribus, hoc Fratre dignus eſſes. Pulcrum quidem nobilitatem familiæ, præclara avorum geſta, inſignia dignitatum monumenta, & alia quæque vel apud deſides in pretio habita, & quibus domus tua affluit, recenſere. Verùm quis tanti generis fructus in iis, qui de memoria diù, optimèq; à majoribus ſuis adminiſtrata Reip. gloriantur, exemplis non inſiſtunt? Non eſt profectò cur alio ex fonte petitis decoribus nomen tuum exornem. Tu unus ad virtutem, ad dignitatem, ad gloriam natus, tantum conſilio, fide, vigilantia, toto denique dicendi, atque agendi officio in Rep. profeciſti, quantum alii bello, atque armis emicuerunt. Prætereo præſtantiſsimas animi virtutes, annos ab infantia per optimarum diſciplinarum cultum tranſactos, & ſummas, quas meruiſti, dignitates, antequam haberes, ac deindè inſignibus exemplis illuſtraſti. Altiùs me in admirationem animi tui trahit mirum in excolendis literis ſtudium, quo non aliud ad Reip. utilitatem aptius, amplius ad dignitatem, atque ad nominis tui famam pulcrius excogita-

ri

ri poteſt. Tu indè conſiliis diuturno labore è veterum ſapientum monumentis expreſsis Remp. foves; atque ita annos impendis, ut vivendi munus neceſsitati debitum, donatum patriæ potiùs, ac poſterorum exemplo, quàm reſervatum naturæ videatur. Hæc ſunt, Senator optime, quæ animum meum eò impulerunt, ut ad te, tanquam ad optimum literarum parentem, confugerem. Neque expes ſum nominis tui dives opus tutius futurum, cùm & multa pluris æſtimari ſoleant, quia templis ſacrata. Igitur, quem tibi venerabundus inſcripſi, laborem æquo animo admitte. Hoc quoque in te hiſtoriæ argumentum erit, quòd & exigua clementer toleraveris. Vale.

MONI-

MONITA AD LECTOREM.

NIſi me ſuſceptæ rei opinio fallit, Lector erudite, prodit liber, ſi non dignitate ſtyli, & venuſtate leporum, rerum certè ſcriptarum materia ornatiſſimus. Strenuum Fidei Propugnatorem, multis adverſus Turcas expeditionibus functum hic habes; qui Venetæ Reipublicæ æternum decus, maxima barbaris detrimenta, ſummos ſibi honorum gradus, & ad quos nemo tranſactis temporibus unquam aſcendit, longa victoriarum ſerie comparavit. Equidem ſcio, præter hiſtoriæ fidem, quam ſine ira, & ſtudio paſſim ſervavi, multùm abeſſe me ab iis, quæ cùm ad delectationem, tùm ad vitam, moreſque magni Scriptores poſteris tradiderunt. Quinimmò elocutionis rubigo, incompti ſermones, & maximè obvia rerum ſimilitudo, & ſatietas ſæpiùs fortaſsè legentis animum fatigabunt. Qua in re ſicuti excuſare non auſim tenuitatem ingenii, ita nec argumenti culpam ſilentio pręterierim. Quid enim pręter terreſtrium præliorum, laborumque navalium exitus, quid præter expugnationes urbium, atque ejuſdem ſemper hoſtis inſidias ſuppetit? quid demùm Maurocenus, niſi bella? Aliis ex ſcriptoribus, quamquam neque iis rarus obtrectator, libero egreſſu cùm bellicas, tùm civiles adminiſtrationes componere datum. Hinc varietate legum, & populorum, regionum ſitu, annuis magiſtratibus, militum, optimatumque certaminibus lectoris mentem detinent, miraque oblectatione paſcunt, ac refovent. Mihi in arcto labor. Unius quippe Ducis exitus; eadem ferè ſemper ratio victoriarum: &, ſi aliquandò ad aliena, claritatis cauſa, tranſcenderim, ſimilium cauſarum conjuncti eventus. Potiſſimùm verò, quæ ſub operis initium deſcripta ſunt, excuſatione digna putaverim; cùm vix primordia munerum belli Maurocenus attingeret. His proxima, ob temerè violatam à Tur-

cis

cis pacem, & modicas Chriſtianorum vires, quas Creticum bellum exhauſit, minus fortaſsè præbitura voluptatis licèt videantur; utilia tamen quammaximè nomini Principis erunt, cujus animum adverſa magis explorarunt. Cæterùm præſens ſcriptio duplex complectitur bellum; quorum alterum Cretæ, alterum Peloponneſo extremum fuit. Quatuor in his Imperatoriæ dignitatis munera, quæ Maurocenus obiit, expreſſa, totidem libris continentur. Aliorum Ducum geſta, ad quæ aliquandò curſim de induſtria diverti, lucem hiſtoriæ impertiuntur, rerumque ordinem retegunt. Nomina urbium, regionumque, ratione diverſorum temporum, appellatione diverſa nuncupavi: prçſertim cùm pleraque ex iis aut recenter conſtructa, aut temporum, & bellorum injuria corrupta, vix locum, ubi antiqua illa oppida fuerunt, oſtendant. Porrò propria nomina virorum, dignitatum, & bellicarum adminiſtrationum, ut voces ad intelligendum commodiores eſſent, ad latinam formam deflexi: id tamen paſſim aſſequi ſtudens, ne, ubi opportunitas adfuit, ab vetere, optimaque nuncupandi forma declinarem. Si verò alicui in prædicando nimius fortaſsè videar, nihil in his, quæ ſcripta ſunt, ex adulatione confictum profiteor; cùm ea exiſtimatione de ſingulis locutus ſim, in qua vel apud Venetæ rei Scriptores, vel apud illos, qui præliis interfuerunt, quiſque verſatur. Econtrà nemo conqueratur, quòd multa prçclara fortiſſimorum Ducum facta à me prætermiſſa ſint. Quippe non ea mihi mens fuit, ut univerſam hiſtoriam Venetam ſcriberem: ſed Mauroceni geſta ex inſtituto relaturus, ea dumtaxat appoſui, quç vel ad Maurocenum ipſum, vel ad ordinem geſti ab eo belli magis ſpectabant; nonnullis præmiſſis, ne jejunum omninò lectorem dimitterem, & ſimul ut oſtenderem, quomodò ad extremos hoſce armorum conatus ventum ſit. Quod reliquum, operæ pretium facturum me quammaximum credidi, dùm latina lingua hiſtoriam hanc ſum proſecutus. Primò namque rem dignam

maje-

Digitized by Google

majeſtate Principis, externiſque gentibus percommodam, utiliſſimamque exiſtimavi. Deindè dandum locum cenſui præſtantiſsimis Scriptoribus, qui eandem rem alio idiomate impenſiùs pertractabunt. Errata, ſi quæ vel mea incuria, vel typorum culpa reperiantur, eadem benevolus Lector, ut ſpero, humaniter remittet; quorum pleraq; in Libri calce diligenter indicantur: multa enim ex his maximè notatu digna mihi viſa ſunt. Cætera verò, quæ me latent, apud bonos viros facilem quoq; veniam invenient: ii enim ferè aliorum ſcripta inſectantur, quos maledicendi libido agit. Tu interim, Lector optime, brevem hunc laborem benignè excipe; &, ſi quæ fortaſſe te haud digna reperies, dona libenter tenuitati meæ. Vale.

FRANCISCI MAUROCENI PELOPONNESIACI, VENETIARUM PRINCIPIS,

Geſtorum

LIBER PRIMUS.

EPITOME.

FRANCISCUS MAUROCENUS *rudimenta militiæ in Græcia ſuſcipit; ac primò adverſus Piratas pugnat. Indicto à Turcis bello Venetæ Reipublicæ, ad auxiliares Pontificis Max. copias legatur: mox ſæpè in Ægæo cum hoſte congreſſus, Quinqueremis regimine, ac Præfecti Navium munere fungitur. Motus ingens in Regia Turcarum Principis cæde ſedatur. Franciſcus Adriatici ſinus, mox Quinqueremium Præfecturam obit; continuòq; apud Paron Inſulam hoſtilem claſſem disjicit. Ad Præfecturam claſſis evectus, oppidanorum motum Corcyræ componit; in Ægæo, dein apud Nicopolim, Rhodum, Chiumque hoſtes*

 laceſ-

laceſſit ; vicem Imperatoris ſuſtinet; ac denique finitimum Epidauro oppidum capit . Extincto Aloyſio Mocenico Imperatore, denuò ſummam rerum ſuſcipit: Æginam, Pagaſamque, mox Sciathon, Scopelum, ac finitimas inſulas tentat; iiſque potitur. Lazarus Mocenicus proſperè Turcarum claſſem provocat ad prælium. Maurocenus, conſternato Epidauro, Megaram expugnat. Præfecturam Cretæ adeptus, firmat urbem; conatur pacem parare; aggeres barbarorum invadit. Debellata à Laurentio Marcello Thracum claſſe, ſuadet oppugnationem Cydonis. Tenedos, Lemnos, ac Samothracia Inſulæ ſubactæ à Venetis, ſequenti anno rursus occupantur à Turcis; poſtque multiplicem de barbaris victoriam Lazarus Mocenicus obit. Franciſcus ſummum Claſſis Imperium, Parens ipſius Petrus Maurocenus, Procuratoriam D. M. dignitatem conſequuntur. Poſt ſubactam Chalciam naufragium claſſis Veneta patitur penes Carpathum. Parantem Imperatorem Cydonis obſidium, Ducum diſſenſio turbat. Claro, Abæaque perdomitis, hoſtilem claſſem inſequitur: dein capta Torone, ac Chia arce, provocatiſque in oſtiis Helleſponti ad prælium barbaris, Chelidonia Media potitur. Novæ arces ad Helleſpontum à Turcis extruuntur. Mahometes Byzantini navalis Præfectus in poteſtatem redigitur. Fruſtrata ventorum culpa Eubœæ obſidione, Franciſcus Sciathon, mox S. Venerandæ arcem, & tria finitima oppida victor ingreditur. Prælium ejuſdem cum Turcis prope Cydonem. Admotus Enandiæ exercitus, falſo rumore turbatur. Achmetes, Mahometis filius, in Regii Sigilli cuſtodiam ſufficitur. Maurocenus Alexandrinas naves invadit: abſolutoque Imperatorio munere, ſe Venetias confert.

FRAN-

FRANCISCUS MAUROCENUS, ob 1618
ſubactam Peloponneſum, cognomento *Franciſcus Maurocenus naſcitur.*
Peloponneſiacus, anno ſalutis milleſimo, ſexcenteſimo, decimo octavo Venetiis ortus, Petrum Maurocenum, D. M. Procuratorem, Patrem habuit. Mater, ex ejuſdem nominis familia, Maria Maurocena fuit; quæ cùm memoria majorum, tùm ſuę virtutis ſplendore plurimùm eminebat. Vetus in domo nobilitas; eaque ob claritatem natalium, crebras *Antiquitas Gentis Maurocenæ.* in Republica dignitates, ac cætera majeſtatis decora, quibus celeberrimæ quæque Patritiorum ſtirpes fulciuntur, inſignis. Quippè uſque à primordiis Venetę Reipublicę Maurocenorum Gentem floruiſſe, non unius Scriptoris monumenta teſtantur; cùmque de eligendo primo Principe ageretur, eandem prioribus comitiis, quod pauci admodùm jactant, interfuiſſe. Hinc auctam in hæc uſque tempora generis famam magnorum virorum egregia geſta, honoreſque declarant. Sive enim Imperatores exercitus, Principeſque Reipublicæ, ſive Epiſcopos, ac Purpuratos inſpicias, Mauroceni paſſim occurrent, qui pace, belloque multum gloriæ Imperio Venetorum addiderunt. Neque ignotum longinquis nationibus familiæ nomen. Nam, præter procuratam apud externos Reges Rempublicam à Maurocenis, mulieres etiam aliquot inſignibus Regiis illuſtres indè extitiſſe, Pannoniiſque, ac Myſis imperitaſſe, legimus.

1618 Cæterùm tres fratres Franciſco fuere : inter quos obitis legationibus clarus, Michael Eques. Reliqui duo , Laurentius, ac M. Antonius ad capeſſendos magiſtratus digreſſi , ambo Senatoriam , Equeſtrem inſuper ille dignitatem , Rep. optimè adminiſtrata , meruere.

Franciſci pueritia, adoleſcentiaque.

Franciſcus verò, quem aliò fata vocabant, cùm per omnem optimarum diſciplinarum cultum primam ætatem tranſegiſſet, adeò annos virtute prævenit, ut, quamvis in puero, corporis, animique dotes ſtatim explenduerint. Indè magis, magiſq; per adoleſcentiæ gradus vigor mentis, & docilitas ad omnes ferè cùm belli, tùm pacis artes prodibant. Sed cùm ſępè contingat, ut magna pręſertim ingenia, ubi primùm in lucem exierint, pręclarum quiddam de ſe polliceantur, adeò bellicæ rei lineamenta cæteros animi motus ſuperare viſa ſunt, ut in quam creſceret indolem, & cui inſtituto deſtinaretur, vel ipſa laxamenta juventutis facilè proderent.

Studia rei militaris.

Jucunda illi omnia, quæ ad doctrinam armorum, & defendendæ Reip. curam pertinebant: maximaque de iis civibus exiſtimatio, qui natalis ſoli amore non irretiti, inter pericula bellorum vitam patriæ fortiter impendiſſent. Hunc animum non juventa jam validior, non ocii dulcedo, non blandimenta patriæ domus excuſserunt. Ubi enim corporis robur adfuit, erumpentem impetum ingenii militarem gloriam concupientis minimè continuit. Neque huic conſilio parentes adverſati

ſunt.

ſunt. Nam, ſicuti mira in Franciſco morum gravitas, & parſimonia voluptatum, ita caſtrenſem hunc motum, tanquam judicium compoſitæ mentis, futuræque virtutis omen excipiebant. Igitur viceſimum ætatis annum agens in Græciam profectus eſt: ubi rei navalis peritiam, cujus ſtudio præ cæteris flagrabat, adepturus, Venetam triremim conſcendit, cui Petrus Baduarius, haud vulgaris famæ dux, ad Cretenſis portus cuſtodiam delectus, præerat. Non defuere juveni, vix bellicis rudimentis imbuto, honeſtæ artes, quibus facilè à ducibus noſceretur, captaret animos militum, omniumque ſtudia in ſe converteret. Accurata diſciplina, mens erecta, ignotis quoque comis ſermo, & congreſſus, corporis denique decor, ac prompta miniſteria ipſum in dies magis commendabant, eòque brevì provexere, ut non raró fide, conſilio, vigilantia etiam inter præſtantiſſimos eniteret. Solertia ejus ætatis ſtudia, per labores, ac diſcrimina maritimarum rerum famam quærere, ſitum regionum, ac populorum mores cognoſcere, magnorum Imperatorum opera ſcrutari; diſcere demùm ab iis, quos longa experimenta erudierant, ne inops conſilii quandoque foret in agendo. Munerum initia, quibus fortitudinis ſpecimen exhiberet, occaſio protulit; exortoque inopinanter armorum tumultu, conceptam de illo ſpem brevì proſperi eventus probaverunt.

1618

1638

Militaris diſciplinę elementa in Grecia ſuſcipit.

Vene-

1638 Veneta namque Reſpublica, compoſitis rebus Orientis, initoque cum barbaris fœdere, licèt aperto bello vacaret, adeò tamen crebris ſuſpicionibus agebatur, ut potiùs bellum ipſum deferbuiſse, quàm cœpiſse pax videretur. Altior præcipuè urgebat cura arcendi à finibus Piratas, quos Amurathes IV. Turcarum Rex tunc adver us Perſas cum terreſtri exercitu profectus in Ægæi maris cuſtodiam convocaverat. Hinc non modò, quæ Venetæ ditionis in Græcia ſunt, ſed interiora quæque Adriatici ſinus turbabantur. Nam ſicuti Piratis Turcarum ſocietate elatis ingens navium numerus, & cuncta ad prœliandum opportuna, ita effrenis inerat prædandi libido, aſsuetum crimen barbarorum. Jamq; Veneti exturbabantur domibus, pellebantur agris, nec raptæ opes cupidini populantium ſatis erant. Quippè, ut quiſque media pace incautus, multitudine barbarorum circumveniebatur, poſt enecatos ante ora parentum liberos, & contrectatam filiarum pudicitiam, atrociora ſupplicia non effugiebat. Gliſcentis in dies perniciei ultionem non diſtulere Veneti Patres. Quemadmodùm enim modicis viribus primos motus haud ægrè comprimi poſſe, ita degeneres non fore inſidias adverus latrones, & corruptores pacis, facilè cuique compertum erat. Nec trepidatum, quoad fœdus, vireſve Turcarum. Violatâ enim pactorum fide, quibus præcipuè, ne Piratæ in Ottomanorum portus receptarentur,

Rerum Venetarũ ſtatus.

Piratæ Reipublicæ infeſti.

Igitur, ut in hoſtes, decernitur.

tur, cautum fuerat, abſenteque cum Imperii robore Amurathe; ſatius videbatur, depelli à viſceribus Reipublicæ ultrò emanantem labem, quàm exitioſa fęderis reverentiâ, Illyrici, atque Italiæ oras incurſibus barbarorum expoſitas relinqui. Summa tunc rei navalis penes Marinum Capellium Claſſis Præfectum, ſpectatæque diſciplinæ ducem erat; qui gnarus itineris Piratarum, ex Supero mari prædam referentes deprehendere conſtituit. Itaque ſolvi ab Creta claſſem, qua Franciſcus Maurocenus quoque vehebatur, eòque raptim iter verti imperavit. At prædones, qui expleturos ſe cupidinem rapinarum, antequàm conatus fama evulgaretur, ſperaverant, ubi irrupiſſe in Adriaticum Venetos, cognoverunt: inſtare navalem pugnam ſuſpicati, intra Aulonis portum excepti ſunt. Urbs eſt ad oram maris Jonii, inter Apolloniam, & Acroceraunia, Turcicæ ditionis; eademque validis ubique muris permunita, pręcipuè quà acceſſus hoſtilium navium ab alto prohibetur. Provecto ad portus oſtium Capellio, aptius viſum Piratarum egreſſum opperiri: ne, iiſdem intra ſinum laceſſitis, indè cauſam armorum, & initia aperti belli Thraces arriperent. Ideò locatis circùm cuſtodiis, aliquandiù claſſem ibidem anchoræ tenuere. Sed ubi diem ex die prolatabant, cùm tandem admoneretur Capellius, validiorem barbarorum manum, properis nunciis accitam, brevi Piratis auxilio venturam;

1638

Marinus Capellius Claſſis Pręfectus Piratas inſequitur.

ne

1638 ne veluti per indaginem ab hoſtibus clauderetur, deductus eſt in conſilium dimicandi. Igitur inter ſuos ex æquo partitus pugnæ laborem, audacterq; portum ingreſſus, ad neceſſarium certamen hoſtes coegit. Invadentium fiduciam in ipſo pugnæ limine, illius triremis facinus auxit, quam Maurocenus conſcenderat; hæc enim in Piratarum naves devoluta, extremos ſtatim impetus ferro, atque igne intentavit. Teſtis ea acies, quænam Franciſco vis mentis, ac navalis diſciplinæ ineſſent elementa, quantumque Reſp. ducem eſſet habitura. Non enim hic impleviſſe ratus prima tyrocinii munera, ſi impavidè tantùm ora hoſtium ſuſtinuiſſet, verùm ultrò bellicæ laudis ſtudio perductus, non quò ad pugnam firmaret animum, quærebat, ſed quò ab diſcrimine inglorius non recederet. Gregario immixtus militi plurima edidit, eaque admiratione digna: &, ni pavor Piratarum aſperioris certaminis copiam abſtuliſſet, jam ſatis conſtabat, ſtrenuum pugnantis animum in ultima uſque pericula effundi poſſe. At, ubi cęteri quoq; invecti ſunt in barbaros, brevis admodùm contentio conſecuta: ii enim è ſingulis navigiis certatim erumpebant, effuſique in littus tutiores urbis receſſus ſectabantur. Nec detrectavere incolæ tutandorum Piratarum curam. Immò valido tormentorum impetu noſtrorum claſſem petentes, plures triremes disjeciſſent, ni ex ingenio ducis præmiſſæ Quinqueremes, objecta

Prælium intra Antonis portum committitur.

Strennè dimicat Maurocenus.

Fuga Piratarum, eorumque claſſis conſternatio.

ſta veluti mole, ictuum ſævitiam intercepiſ- 1638
ſent. Interim Veneti vincula præcidere, trahere hoſtium naves, & ſimul, ne impunè vexarentur, objectum aggerem tormentis infeſtare. Ut verò ultioni ſatis indultum, ex ea pugna victores, conſternatis penitùs Piratis, evaſere. Multa inde Capellii prȩconia in Maurocenum. Cùm enim ille operum cujuſq; teſtis, ſublime in juvene, erectumq; ingenii robur, & promptum conſilio, manuque animum adnotaſset, latere in eodem ingentem Reip. ſpem intellexerat. Sed Franciſcus ipſa diſſimulatione virtutis famam augens, ex æquo pericula, laudeſque contemnebat. Hinc bellorum occaſionibus intentus, id præſertim aſsequi nitebatur, ut in poſterum expectationem ſui impenſiùs adimpleret. Nec nova diſcriminum moles multùm aberat. Exaſperatis enim, ob illatam Piratis cædem, mentibus Turcarum, ita in Remp. infremuerunt; ut, ſi vires exercitus in promptu, jam furor in apertum bellum exarderet. Verùm, cùm Amurathes, qui univerſum copiarum robur in Perſarum Regnum invexerat, in eam belli curam penitùs incubuiſset; excitata in Venetos odia nec omninò repreſsa ſunt, nec longiùs emanarunt. Babylone demùm armis expugnata, Byzantium reverſus eſt: ibique aut feſsum laboribus militem ocio refecturus, aut faciliùs denuò ſumpturus arma adverſus Perſas, nondùm prorsùs ſuperiore victoria profligatos, mentem à belli conſiliis, 1639

Mauroceℓnus ab Capellio laudibus exornatur.

Amurathes paratus ad ultionē Piraticæ cladis, denuò componitur.

1639 ad paciſcendum cum Venetis revocavit. Igitur reſtituta commercia, innovata fędera, cuncta pacis ſopore compoſita. Maurocenus verò claſſis munia pari ſolertiæ, ac fortitudinis fama exercens, ubique provectæ virtutis ſpecimina præferebat; non ſecùs, ac ſi ſub tentoriis conſenuiſſet.

1645 Sed evecto, poſt extinctum Amurathem, ad *Origo belli Cretici.* Regnum Hybraimo, non diù armorum ſtudia ſiluerunt. Quamvis enim, ob potiorem vitæ partem inter cruciatus carceris exactam, ad ſervitutem magis, quàm ad Imperium natus videretur; attamen, aut ingenitæ feritatis inſtinctu, aut neceſſaria fortitudine, ne à ſuis ignavię nota contemneretur, belli conſilium amplexus, iram gentis in Venetos licentia armorum explere conſtituit. Quæſitis itaque abrogandi fęderis cauſis, quibus dicendis decora ingenia non defuere; Cretenſis Regni occupandi cupidine illectus eſt. Sic, cùm, oppreſſis Piratis, vix optatæ pacis imago Reip. affulſiſſet; nova diſcrimina, quaſi ex obruto incendio repentinæ è cineribus flammæ, eruperunt. Sed neque more le- *Artes Hybraimi ut belli libidinem tegeret.* gitimo indictum eſt bellum. Quippè imparatas Reip. urbes tutiùs Rex invaſurus, recentis auſi famam ſupprimere callidè adeò contendit, ut non ſolùm abhorrere ſe à diſcordia, ſed, ut perpetua finibus Imperii quies eſſet, confirmari novis militum delectibus locorum præſidia, *Apparatus ingens armorum.* jactitaret. Nihilominùs brevì mole ſua, quod

ſtrue-

ſtruebatur, bellum ſe prodidit: incertiſque etiam nunc, quò inclinarent, rebus, altiùs eæ ſolicitudines Remp. tetigere. Ubi enim colligi ab eo exercitum, Græciæ, atque Aſiæ Præfectos convocari, præcipuè verò Claſſem properè inſtrui, Patres animadverterunt, non dubitavere, quin tantus belli apparatus triſte aliquid Cretæ inſulæ minitaretur. Idcircò data ſedulò opera, ut ornarentur naves, maritimæ urbes communirentur, cæteriſque opportunè comparatis, ad commune periculum concordia propulſandum ſocii in unum convenirent. Jamque manifeſta belli indicia erant; nec ampliùs, inhiantes rapinis Thraces, tegebant libidinem armorum. Hinc immittere in Venetos armatorum globos, vicos ſpoliare, rapere, incendere; atque, ubi quis pro cuſtodia bonorum conſtitiſſet, apertis præliis congredi. Tunc Franciſcus, cui Triremis regimen commiſſum fuerat, Meſsanam, Sicilię urbem, miſſus, honorifica legatione ad navales copias, quas Innocentii X. Pont. Max. pietas in Chriſtianiſſimæ Reip. ſubſidium miſerat, functus eſt. Mox redditus Cretæ, quò univerſa Venetorum claſſis appulerat, ita ſe negotiis, quæ ſubindè eidem demandabantur, parem prębuit, ut ſtudia, operamque veteranorum ęmularetur.

1645

Veneti detecto bello, navales ſocios convocãt.

Mauroceñus ad Põtif. cias Triremes legatur.

At fœdum belli initium inceſſit. Nam primi impetus turbo intra Cretæ clauſtra tantò ſtatim fragore detonuit, ut urbs, poſt caput Inſulæ, pręcipua

Cydon à Turcis ſubacta.

1645 cipua Cydon, perfractis diuturna obſidione munimentis, in Turcarum manus conceſſerit. Veneti indè Duces, ne, confirmato in Cretæ poſſeſſione hoſtium exercitu, reliqua paterent armis barbarorum, ad illud præſertim animum intenderunt, ut horum commercia intercluderent; qua in re ſummum conficiendi belli momentum vertebatur. Itaque cùm quatuor inſignis magnitudinis naves (Sulthanas barbari dicunt) omne apparatus bellici genus Cydonem delaturas, nondùm à Melo inſula, quæ inter Scyllæum Peloponneſi, & Dictynæum Cretæ promontorium jacet, ſolviſſe, renunciaretur; idonea cum triremium, ac navium manu eò properatum eſt. Veruntamen primis motibus prodens fortuna, quem de Cretæ Inſulæ diſceptatione eventum datura eſſet; adeò Chriſtianorum conſilio adverſata eſt, ut in exitium infelicis Regni venti, cælum, homines, tota deniq; rerum natura conſenſiſſe viderentur. Vix primos in hoſtiles naves impetus Veneti fecerant, cùm improviſò ingens ventorum violentia coorta detrectantes prælium Thraces facilitate fugæ juvit. Aliquot nihilominùs noſtrorum triremes in curſum effuſæ, auſæ inſtare cedentibus: quas omnes, & celeritate irruendi, & acerrimæ pugnæ experimento, ex virtute ducis, una antecelluit. Hanc ductabat Maurocenus: qui, ut ſcriptum in ſumma puppi, IN CERTAMINE PRIMA, opere comprobaret, omnium pri-

Motus Venetorum.

Franciſcus Maurocenus, apud Melō, adverſus hoſtiles naves pugnat.

primus hoſtem cominùs adortus eſt. Nec indè leve diſcrimen fuit; quamvis barbari ſubtrahere ſe à pugna conarentur. Nam, ubi profugientium curſum ita Franciſcus occupavit, ut neceſſarium certamen eſſet, ingens exorta contentio: cùm Turcæ, & navis robore, & multitudine pugnantium longè præſtantes, vel ipſa enormis navigii mole ruinam ſubeuntibus minarentur; ille nec periculi magnitudine, nec tumultu cędis retardatus, incredibili pernicitate modò hoc, modò illud turritæ navis latus igne, ferroque tentaret. Diù dimicatum eſt, & magna utrinque virium jactura. Quippè Thraces, navi penè lacerata, haud multùm à captivitate aberant; Veneti, quamvis plurimis ſuorum cęſis, impetum nondùm remittebant. Sed, cùm aſſiduus ventus ab oriente quaſi ad conſtitutum flaret; nacti demùm opportunitatem barbari ad Siphnum inſulam ocyùs proram verterunt. Indignè ferens Maurocenus eripi ſibi hoſtem, nec ulterioris pugnæ occaſionem præberi, modò remiges cogere, hortari modò milites ad invadendum, ipſe verò ante omnes voce, atque exemplo quemq; ad victoriam incitare. Verùm diù decurrentem navim fruſtrà ſectatus. Tandem impar redditus curſui, cùm exitum virtus non haberet, extrema remedia ſolicitare haud potuit. Barbaris longiùs ablatis, auxit tanto ardore fortitudinis famam; nec modò militum, verùm etiam Præfecti claſſis Franciſci Molini, D. Marci Pro-

1645

Turcę diſfugiunt.

Franciſci Molini præconia in Maurocenum.

1645 ci Procuratoris, qui poſtmodùm Princeps fuit, laudem ita promeritus eſt, ut hic admoniturus Senatum de Venetorum facinore, multum operæ, laudiſque in Maurocenum contulerit. His artibus ad Quinqueremis regimen evectus, ruentes in Cretam Turcarum triremes, haud procul à Rithymna, ad prælium provocavit, ac fudit. Hinc dimicandi uſus artem quotidiè magis addebat, experimentaque victoriis juvenem condecorabant. Quamobrem nunc deturbandis barbaris, interdùm muniendæ ſubſidiis Cretæ, deſtinatus, nunquam à munere ſine laude receſſit.

1646 *Quinqueremis Præfectus eligitur.*

At Turcæ, adaucto in dies robore exercitus, Cretæque ſubigendæ cupidine, fruſtrà tentata Hiera, quam Sudam vulgus nuncupat, Rithymnam (altera eſt ex Cretæ urbibus, mari adjacens) ſuperiore anno Venetis eripuere. Serpente hac de cauſa latiùs bello, atque efferatis animis hominum, major quotidiè certaminum moles inſurgebat: cùmque hoſtis, expugnatis locorum præſidiis, igne, ferroque inſulam latè depopularetur, etiam ad interiora Regni penetraverat. Intereà nec mari remiſſæ contentiones. Ita ſubſidia, & commeatus utrinque intercipiebantur, ut nihil ab hoſtium inſidiis invicem evaderet. Indè non levia memoratu Mauroceni facinora contigerunt. Nam ſub idem tempus, cùm Veneta Claſſis per Ægæum diſcurreret, nunciantibus inſularum incolis, nonaginta Turcarum annonarias naves Cretam contendentes

Rithymna expugnatur à barbaris.

1647

non

non procul à Chio detineri; ſejunctus à reliqua 1647 Claſſe, ſtatuit hoſtium iter prævertere. Jamque voti compos redditus, in eos incidens prælium cœptaverat; cùm Thraces properè fugam adornantes, Chii portum ſubiere. Ille intra ſinum profugientes inſecutus, eorum aliquot naves ita mulctavit, ut non auſi rectores aperto pelago ſe ampliùs committere, diù ibidem delituerint. Portum egredienti alia Turcicarum navium manus obvia. Quæ ubi hoſtilem Quinqueremim aſpexit, eadem ignavia pugnam detrectans, in ſinum Chiæ arcis, contra Chii littora, raptim confugit. Sed ipſa ſalutis ſolicitudo exitio fuit. Nam Franciſcus premens terga cedentium, atque inter arcis ictus portum irrumpens, collectos in orbem hoſtes diù armorum furore perturbat. Tandem in denſiores invectus, adeò tormentis primùm, mox jactis, in grandinis modum, ignibus eoſdem diſſipat, ut non portus, non arcis munimenta, non ferox pertinacia epibatarum naves ab incendio exemerint. Ita Turcarum commeatibus, quà occaſio patuit, partim diſtractis, partim conſumptis; ſociis navibus conjungitur, ad quas properantis in Cretam Turcicæ claſſis rumor pauld antè pervenerat. Miſſi itaque exploratores, qui certiora de hoſtium itinere, ac viribus referrent. Intereà dùm circa eam Peloponneſi oram, cui Nauplia imminet, Veneti immorantur, in barbarorum conſpectum inopinanter devenere.

Maurocenus, penes Chien, hoſtes adigit in fugam.

Intra Chiæ arcis portum aliquot hoſtiles naves disjicit.

Claſſis Veneta prope littora Peloponneſi.

1647 Diſpoſita illicò prælii munia, atque incitati milites ad operam ſtrenuè navandam. Nec modicum diſcrimen, ob parem navium multitudinem, fuiſſet, ni mirati Thraces, undè hoſtibus tantum roboris, & animorum, Naupliç portum, antequàm propè deprehenderentur, intraſſent. Ad oſtia tamen ſinus Veneta Claſſis perducta, crebris ictibus hoſtem evocans ad pugnam. Cunctantes Mauroceni facinus erexit; qui loci difficultate minimè detentus, ultrò acta quinqueremi, diù totam hoſtilem claſſem, non injucundo ſpectaculo, tormentis exagitavit. Vicit tamen pervicacia barbarorum, prçlium turpiter declinantium. Captum indè conſilium ab Joanne Baptiſta Grimano, D. Marci Procuratore, qui ſumma cum laude Imperatorio munere fungebatur, ut, qui æquò marte deduci in certamen haud potuerant, per inſidias aliquandò ad pugnandum vel inviti cogerentur. Itaque percurrentibus vario itinere ea maria Venetis, Præfecti navium vicem per aliquot menſes Franciſcus ſuſtinuit; paratus ad bellum, ni caſus dimicandi vota diſtuliſſent. Sed nunc ventus, interdùm locorum opportunitas, ubique fortuna ſubſidio barbaris fuit. Ille nihilominùs quietis impatiens, Naupliç incolis tormentorum muralium vi perterrefactis, ad Helleſponti fretum vertit iter; quò ſexdecim Turcarum triremes, in Ægçum erupturas, in fugam conjecit. Continuò pela-

Franciſcus intra Nauplia portum Thracum navigia turbat.

Præfecti navium vicē obit.

gum

gum maxima, quacunque pergeret, Turcarum 1647
clade denuò permenſus, trajecit in Cretam.

Illìc probatum navalibus pręliis animum, non 1648
imparem terreſtribus quoque, res geſtæ demonſtrarunt. Strepebat ea potiſſimùm tempeſtate ſub Cretę mœnibus bellum: Siquidem Thraces extructis paſſim aggeribus, foſſiſque in ingentem profunditatem excavatis, urbi propinquantes, eò rem redegerant, ut inter acerrimos aggreſſionum conatus diu, noctuque certamina exarderent. Nutavit præ cæteris ſalus Cretenſium diurno quodam diſcrimine, cùm per disjecta murorum irruentibus catervatim barbaris, ſtationes, primique ordines à mœnium cuſtodia depellerentur. Advolans opportunè Maurocenus ad muros cum aliquot nobilibus viris, quos ſęvior tumultus exciverat, recedentem turbam continuit. Exindè, quà in teſtudinem conglobati hoſtes ultra progredi nitebantur, proſiliens, ut ſuis ſimili in periculo par animus eſſet, brevì in aciem cunctos redegit. Tunc, inſtaurato pręlio, Turcæ, torrentis inſtar, qui perfracto aggere obvia quæque populatus, interventu montium abrumpitur, paulùm ſubſtitere. Mox, cùm acrior inſtaret erecta Mauroceni vocibus multitudo, fęda adeò illorum cędes facta, ut non modò qui ruinam aſcenderant, ſed & qui propiùs accedebant eodem exitio involverentur. De his Aloyſius Leonardus Mocenicus, D. Marci Procurator, Imperatoriam dignitatem paulò ante conſe-

Turcæ Cretã obſidens.

Maurocenus repellit hoſtes à mœnibus urbis.

C cutus,

1648 cutus, ad Senatum ſcripſit, tanta Mauroceni commendatione: ut non modò in Franciſci laudes effunderentur Patres, ſed etiam, datis ad ducem literis, honorifico teſtimonio eundem ornarent, quod virtutis ejus illuſtre monumentum extaret.

Ob id laudibus Patrum extollitur.

Hæc Cretæ agebantur, cùm ingens ſeditio Byzantii exorta: quam tamen Hybraimi cędes brevì compoſuit. Jam enim, urgentibus belli incommodis, plurimi Turcarum inopportunè violata pacis jura ab Hybraimo conquerebantur; ægroque animo ferebant, Regem incurioſum domi, bello infauſtum, per omne vitiorum genus Ottomani exercitus pericula negligenter ſpectare. Nec Rex crebris populi tumultibus flectebatur, nam ſtudiis inertibus ultrò impellens inquietos, regiam domum ita exornare inceperat, ut non gemmæ, aurumve in ea miraculo eſſent, ſed inſolita prorsùs, & tantum ex immani ſumptu pretium nacta quæreret, ut ad ea comparanda immenſo fęnore cives exhaurirentur. Igitur barbari averſati Regnantis luxum, cui cæteræ libidines cedebant, de cæde ipſius cogitarunt. Hybraimo ſupplicio laquei, ut mos, affecto, ejuſdem Filius Mahometes, ſortis ſuæ neſcius (nondùm enim par adminiſtrando Imperio ob ætatem erat) ad ſolium evehitur. Interim, cùm ad Regiæ primores rerum ſumma tranſiiſſet, hi, vel captandę gloriæ ſtudio, vel timore licentiæ militaris, quippè ab-

Hybraimus Rex Turcarum occiditur.

Mahometes Filius potitur Imperio.

pè abſente exercitu tutiùs imperitabant, inchoatum opus Cretæ excidio abſolvere conſtituerunt. Igitur alii alio conſilio, omnes bellum moliri: Rovocatiſque ob invidiam à munere, quos Hybraimus terreſtribus, maritimiſve copiis præpoſuerat, novis ducibus ubique proviſum. Inter hos permulti ex proceribus ſponte armorum officia ſubeuntes, non Cretæ tantùm, ſed & oppidis Superi Maris, ipſiſque principis urbis ęſtuariis exitium ſe allaturos minitantes, Venetis curas auxerunt. His de cauſis, cùm ſummoperè cordi eſſet Reip. ut adverſus hoſtium conatus ſeduli ingenii, exactęque diſciplinæ dux deligeretur; Franciſco Mauroceno Adriatici Sinus Cuſtodia demandata eſt. Officium Præfecturæ, arcere à finibus Italiæ, atque Illyrici Thraces; Piratas cohibere, ne in Reip. atque Eccleſiæ bona manus inferant; curare demùm, ne ab hoſtium navibus, quas prædandi libido allicit, Chriſtianorum commercia diſtrahantur. Hinc novi muneris occaſio eximias Mauroceno peperit laudes. Cùm enim in propellendis Turcarum motibus ſtrenuè deſudaret, non modò optimè ſe de Rep. meritum civem accurato tutandorum finium ſtudio præbuit; verùm etiam longè à Piceno, finitimiſque regionibus, barbaros exturbare adnixus eſt. At, cùm dejecti, ob rei difficultatem, à prioribus conſiliis Turcæ præcipua navalis exercitus vi Ægæum mare infeſtarent, ſatius ei

1648

1649 *Maurocenus Præfecturam Sinus Adriatici ſuſcipit.*

1649 quoque viſum intra Mediterraneum, Ægæumq; cum claſſe detineri, ut cùm firmandæ ſubſidiis Cretæ, tùm debellandis barbaris præſto eſſet. Neque inutile conſilium, dummodò navale diſcrimen Turcæ non detrectaſſent. Bis ad pugnam provocati, totidem vecordiam fuga confitentes, in latebras ſe recepere.

Præfectus Quinqueremium eligitur.

1650 His fortiter mari, terraque geſtis, ſalutis anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo Quinqueremium Prefecturam Maurocenus adipiſcitur. Tunc cupidum navandæ rei animum altiùs erigens, ubi annona, armis, ac remige traditam ſibi claſſem inſtruxit, per Ægæum diſcurrere, explorare inſulas, onerarias hoſtium vi capere, eam demùm belli rationem ſectari, ut collatæ in ſe Præfecturæ Patres minimè peniteret. Verùm neque Thraces per inutiles cunctationes tempus conterebant. Quippè inopinanter adoriri Cretam molientes, inſtaurata præter omnium ſpem, auctaque celerrimè claſſe, intempeſta adhuc hyeme trajicere ad extremam urbi vim inferendam decreverant.

Nicolai Archipiratæ ſcelus.

Auctor conſilii Archipirata quidam, Nicolaus nomine, Natalis Foro-Julienſis filius; qui ob proditum impio ſcelere Principem, ejurataque ſacra Chriſtianorum, ad ſummam Navium Præfecturam evectus, maximam de ſe expectationem Byzantii excitaverat. Adeò ſepè apud immanes barbaros nefaria religionis abdicatio plus habet opinionis, quàm inter crebra diſcri-

mina

mina prælioruin elaborata prudentum conſilia. 1650
Is, cùm pars Venetæ claſſis abeſſet, quam navium reficiendarum gratia patrii portus exceperant, ubi ſe haud difficilè metiri maria poſſe animadvertit: magni facinoris ducem ſe exhibuit contra Fideles; ratus, ſummum flagitium, cui cum periculo accingebatur, ingenti cum gloria, præmioque ſe mox perfecturum. Itaque oſtentans, quantum emolumenti matura profectio eſſet allatura, atque una edocens barbaros extruendarum navium artem, qua longè Thraces Veneti antecellunt, brevì omnes in hujuſmodi ſententiam pertraxit. Redactis igitur in unum LXVI. triremibus, XXV. Navibus, ac VI. Quinqueremibus, quas minorum navigiorum ingens numerus in varios uſus ſequebatur; in modum triumphantis meditatum iter exorſus eſt. Chium profectus, ſexdecimque navibus, quas Aſiæ, Græciæque Præfecti collegerant, accitis, tutiorem, qua elabi ab hoſtibus poſſet, viam ſectabatur. Inter hæc Maurocenus, adjunctis reliquæ Claſſi Quinqueremibus, apud Cytheram inſulam, quæ inter Cretam, Peloponneſumque ſita eſt, cum ſummo maritimarum, ac terreſtrium copiarum Imperatore Aloyſio Mocenico detinebatur; à quo virtutis, gloriæque ſocius, vocatus fuerat. Locum præcipuè elegerant, cùm ad excipiendas ab Italia copias, tùm ad hoſtium iter præpediendum aptiorem. Verùm, cùm, trahente fato, pau-

1651 *Motus Claſſis Turcarũ.*

Veneti juxta Cytherã conveniunt, Aloyſio Mocenico Imperatore.

1651 paulùm indè navigia dimoviſſent, in hoſtilem claſſem omninò validiorem, quàm anteà conjectaverant, inopinanter inciderunt. Subitum diſcrimen impari virium apparatu adiri, ferè nemo erat inter duces, qui tutum cenſeret. Nam noſtrorum claſſis XXIV. tantùm triremibus, XXVII. navibus, ac VI. quinqueremibus conſtabat. Idcircò Imperator ultrò provehebatur, intentus, ne barbaros provocaret, neu barbaris certamen detrectare videretur. At Deus, ſecundum jus, & fas victoriam daturus, Venetis animos quoque addidit ad pugnandum. Exindè repentè omnes ita erecti ſunt, ut tantum virtute barbaros, quantum hi Venetos navium, & numero, & robore, ſuperarent. Nihilo tamen minùs Turcarum Prefectus, cui ſtatuti præcipua itineris cura erat, tranſitum ſedulò, non bellum adornabat: biduumque circa Ægæi inſulas actus, tandem occupatus à Venetis inter Cycladas Paron, & Naxon, invitus ad neceſſitatem pugnæ pertractus eſt. Die tamen inclinante, cùm prelio locus non eſſet, in proximam lucem dilata contentio. Summo itaque mane ſupra Paron utraque claſſis in conſpectu fuit. Turce utrinque cornua curvaverant: Veneti tripartita acie procedebant. Tunc ex Mauroceni ordine Quinqueremes duæ, quibus Aloyſius Thomas, & Lazarus, Mocenici præerant, prime omnium pugnam audacter conſerunt. Multæ poſt has, quæ partim ex Impera-

In hoſtem incurrũt.

Claſſium ordo, & pugna.

peratoris, ac Præfecti claſſis Marci Molini, 1651
partim ex Joſephi Delphini Navium Præfecti, ac alterius ejuſdem nominis Franciſci Mauroceni, Adriatici Sinus Præfecturam gerentis, acie erant, paribus votis hoſtem invadunt. Sed barbari, ingenti clamore ſublato, quem magnus tubarum, ac tympanorum ſtrepitus adjuvabat, neceſſitatem in audaciam vertentes, non minore vi in objectas naves feruntur. Inter hos Præfectus ipſe ſex triremium ope ſuffultus, cum Lazari Mocenici Quinqueremi congreſſus, diù cum eodem luctatus ancipiti marte: Quæ prope illum navigia erant, alteram Aloyſii Thomæ Mocenici Quinqueremim in prelium excepere. Sed diſpar Ducum fortuna fuit. Quippè Lazarus, quamvis atroci vulnere conflictatus, undique circumveniretur, ita hoſtem ſuſtinuit, ut demùm undique quaſſatum in fugam conjecerit. Aloyſius verò, dùm poſt diuturni certaminis laborem, occupans Thracum conatus, aſperiorem pugnam molitur; plumbea glande trajectus, victoriæ ſuæ non ſuperfuit. Ducis nex barbaros rursùs erexerat. Exindè navigio propiùs ſuccedentes, undiq; eidem ſervitutem intentabant. Nec inani cœpto, ni opportuna ope feſſis militibus Præfectus Quinqueremium Maurocenus ſubveniſſet. Hic namque Turcas à tergo adortus, poſt breve certamen, conſternatos inde ſubmovit.

Lazari Mocenici virtus.

Aloyſius Thomas Mocenicus occiditur.

Jamque claſſes undique concurrerant, per-mix-

Atrox Mauroceni pugna cum Archipiratæ navi.

1651 mixtæque triremibus naves, ut cuique hoſtis obverſabatur, confligebant: cùm acrius ea parte diſcrimen exortum, qua Mauroceni Quinqueremis Prætoriæ Turcarum navi (hac Archipirata vehebatur) ſeſe objecit. Ubi namque ſpes victoriæ ipſius animum accendit, ſtrenuè circumſtantium triremium milites hortatus, ut gloriam ſimul, prędamq; ob oculos haberent, in hoſtem haud cunctanter invectus eſt. Clangor tubarum, ac tormentorum fragor, dimicantium mentes ita incitaverant, ut nullum extremæ fortitudinis intentatum opus reliquerint. Exindè varia fortuna multiplicem pugnę faciem exhibebat. Acuebat Venetos victoriæ magnitudo: barbaros impellebat deſperatio. Utriſq; verſa in rabiem fides, & mutuis cędibus penſata molimina. Sed, cùm plures horas pręliantium æſtus abſumpſiſſet, ægrè paſſus Maurocenus longiùs differri conflictus eventum, Turcarum navi propiùs acceſſit, ut certis ictibus eoſdem laceſſeret. Tunc, eodem imperante, cùm militum aliquot in hoſtilem turbam ſeſe projeciſsent; multi ſecuti exemplum, per tela, per vulnera in Turcicum navigium certatim tranſiliebant. Ubi rebellis, ſe arctiùs deprehenſum ſenſit, quàm ut effugere poſset; ignominia, ac pudore flagrans, mortemque ſibi ſervitute potiorem ratus, in extremos impetus cum ſuis effuſus eſt. Hinc immixtus militibus primum ſe Venetis objicere, in eam partem, qua

Venetorũ ardor, & victoria.

qua pronum magis prȩlium erat, effundi, ho- 1651
ſtilem demùm gladium quæritare. Tanta erat ſcelerum conſcientia, ut quam impia proditione meruerat, ſibi lubens necem conſciſcere exoptaret. At fefellit hominis aſtum Maurocenus, qui ab Superis proditorem ſervatum intellexit, ut majoribus ſuppliciis improbitatis pœnas perſolveret. Quamobrem, ubi, interfectis barbarorum quamplurimis, in tuto victoria fuit; non eſt permiſſa ulterior pugna morituro. Temperatum igitur à cȩde; continuòque alii, cùm deditionem detrectarent, catenis obruti: reliqui virtuti victorum ultrò ſe permiſere. Navigium exindè diripiendum militibus datum, conjectuſque in vincula rebellis, in quo victoriæ ſumma vertebatur. Nihil Venetis eo eventu lætius: cùm præter ſubactam Imperatoriam Ottomanorum navim, infenſiſſimo proditore capto, tot illata Reipub. damna, per nefarium illius caput Franciſcus ultus ſit.

Archipirata incolumis trãſit in ditionem Mauroceni.

Cȩterùm quingenti hoſtium cȩſi; totidem fermè in ſervitutem redacti. Tormenta bellica LXXV. inventa: Regium prætereà vexillum, ac reliqua opulentiſſima ornamenta, quæ in perditi hominis commodum barbari admirabili prodigalitate congeſſerant. Tanta onuſti milites præda ad claſſem revertebantur, cùm victoriæ ultima manus ab aliis quoque impoſita. Cùm enim Thraces, qui noſtrorum iram evadere contendebant, fuga paſſim arrepta, per ȩquor

1651 ſine ordine diſcurrerent; Veneti, junctis viribus, acriter adeò in attonitos invecti, ut nonnullæ fugientium naves ſcopulis illiſæ frangerentur. Tunc multi ſalutem quæſiverunt in littore, cæteri gladiis percuſſi. Neque ante à certamine diſceſſum, quàm ablata lux prelium diremit. Nemo ex Venetis ducibus ab ea pugna inglorius receſſit. Inter hos Imperator Mocenicus, Marcus Molinus, Joſephus Delphinus, atque Adriatici Præfectus Maurocenus eternum ſibi decus multiplici victoriæ genere compararunt. Quapropter tota nox, & ſequens dies per gratulationem, & lætitiam acta. Collectis inde Turcarum ſpoliis, ac vexillis eorundem, in triumphi ſignum, elatis, altera die ſic velificantes portubus ſuis adremigaverunt.

Fuga Turcarum, & cedes.

Veneti duces eo certamine clariores.

Intereà Byzantii ad primos acceptæ cladis nuncios, cùm ingens pavor, & trepidatio, tùm varii prò cujuſque generis ſtudiis excitati ſunt affectus animorum. Primores ea potiſſimùm cura torquebat, qui indè motus Venetorum, quæ vires Imperii, quæque belli futura ratio; amiſſis navibus, milite, & præſertim Archipirata, cujus conſiliis penitùs acquieſcere conſueverant. Reliqua turba, ut quiſque gravioribus vectigalium incommodis vexabatur, Prefectorum juſſa, animoſq; ipſius Rebellis monita deteſtari; ſimul conqueri, quod tàm infeſto bello nunquam ipſa Regia urbs ſatis potens eſset futura libertatis. Hinc idem ubique meror, eadem

Meror Turcarum ob amiſſam claſſem.

dem pavitantium ſolicitudo ; quaſi viſceribus Imperii Reip. claſſis inhæreret. At Chriſtiani, ubi proſperè pugnatum à Venetis fama vulgavit, adeò erecti ſunt, ut nemo majores de hoſtibus victorias non ſperaret. Incitavit altiùs Senatum miſsa in trophæum Archipiratę navis à Mauroceno ſubacta: quæ inter inſignia monumentorum collocata, uſque in hanc diem Navali ſervatur. Reliqua navigia cum ſignis Turcarum ingenti plauſu civium excepit ; regiumq; vexillum in Decemvirorum Ædibus repoſuit. Denique Rebellem ipſum catenis vinctum aſpexit, qui ſicuti turpiter vixerat, ita miſerè in carcere conſumptus eſt. Cæterùm noſtrorum claſſis, novis denuò ictibus Ægæi Inſulas, quæ hoſtibus obtemperabant, concuſſit. Econtrà Thraces hoc anno, cohibita pervicacia, vix reliquiis copiarum refectis, è latebris prodiere. Summus ipſe claſſis Præfectus qui annuente fortuna incolumis evaſerat, ablatis triremium malis, ut occultior fuga eſset, nomen Venetorum, ne dùm aſpectum declinabat. Maurocenus verò, haudquaquam omiſsa claſſis cura, Tribuni Ærarii vicem impigrè adeò ſuſtinuit, ut quacunque bellica adminiſtratione officia ſingulorum eliceret.

1651 Reip. lętitia ad nũcios relata victoria.

Archipirata exitus.

Maurocenus fungitur munere Tribuni Ærarii.

Jamque Patres abundè experti, quantum momenti in virtute tàm ſtrenui ducis eſset, eundem Claſſis Præfectum, quod omnium præſtantiſſimum munus, poſt Imperatorium, ſe-

1652 Pręfecturam Claſſis ſuſcipit.

1652 quenti anno declaravere. Dignitatem conſecutus, variis curis, uti res poſtulabant, animum intendit. Verùm nihil æquè anxium eum habebat, quàm ne in Cretam opportuna ad bellum ab hoſte conveherentur. Igitur Pelagi inſulas inviſere, crebras circùm ſpeculatorias naves locare, mittere ad convocanda ſubſidia, ex contumacibus populis vi aliquandò exigere veſtigalia. Id præcipuè, qui Pagaſam, Caſſandriamque incolebant (uterque locus parùm diſtat à Theſſalonica) paſſi ſunt. Nam renuentes comitate primùm, & alloquiis, mox minarum terrore, belliq;ue denunciatione Reip. obſtrinxit. Hinc, dùm per aperta Ægæi vehitur, onerariam Turcarum invadens, mox Cypriam triremim perſecutus, utroque navigio brevì potitus eſt: Nec procul indè quinque myoparones, duaſque ſpectabilis magnitudinis naves, armatos, atque annonam Cydonem comportantes, apud Paron in poteſtatem redegit. Poſt quæ, inſtaurandarum navium cauſa, cùm Corcyram Inſulam, littora Calabriæ contra ſitam, profectus eſſet, in diſcrimen inopinatum incidit; cui niſi opportunè proviſum, plurimorum popularium fidem ea tempeſtatis vis libaviſſet. Concitatis enim in tumultum oppidanis, haud longè aberat ſeditio: invaleſcenteq; dedignatione parendi; apertè juſſa primorum ſinguli aſpernabantur. Componendo motui illicò intentus Franciſcus, cùm didiciſſet utilia ho-

Eiuſdem facinora in Ægæo.

Corcyræorum ſeditionem cõponit.

neſtis

neſtis miſcere, ipſa clementiæ fama, ac ſpe impetrandi, quę meritò poſtulaſſent, brevì cunctorum ſtudia erga Remp. vertit. Exindè, ne nova diſſidii materia ſoboleſceret, comitate, præmiiſque uſus eſt. Poſtremò, ubi deferbuiſse penitùs motum ſenſit, multos ad ſeditionem promptos, illudentibus cæteris, pęnis affecit. 1652

Talia agenti aliundè commeatus, milites, atque alia, quæ bellorum uſus exigit, in Cretàm traduci nunciatur. Cùmq; pręſertim ab Nicopoli lectas ex Epiro, & præcipuè ex Acarnania copias deferri Cydonem exploratores affirmarent, illùc, ſumptis aliquot roſtratis navibus, advolavit. Ubi ad oram Nicopolis ventum eſt, cùm paratos itineri armatos haud procùl à littore detineri animadvertiſset; educta raptim è triremibus cohorte, in improvidos factus eſt impetus. Nec renuerunt certamen barbari, fortiter arma ad conſpectum Venetorum rapientes. Hinc acre admodùm, etſi breve diſcrimen fuit. Ut namque pauliſper pugnatum, hoſtium multitudo ob ducis necem, ut fit, conſternata, lubens ſe noſtris permiſit. Confecto prælio, navigia barbarorum, quæ non longè ab Nicopolis arce religaverant nautæ, nocte occupare aggreſsus, cæſis inter ſomnum, & trepidationem vigilibus, quinque triremibus, ac duabus onerariis potitur. Perculit hic eventus Epirotarum animos. Igitur, qui ex edicto ad ſigna conveniebant, partim in ſylvas, partim

Aliquot Turcarũ turmas apud Nicopolim ſubigit.

Eorũdem naves occupat.

in

1652 in montes pavidi ſeceſſerunt. Maurocenus, abducta præda, in Ægæum provectus, ubi Rhodum Inſulam appulit, atque ibi quaſdam hoſtium copias (paſſim enim delectus militum à Turcis habebantur) disjecit, ſecundante vento, in Cretam remeavit. Inter hæc Turcæ fracti claſſis jactura, ubi nonnihil mentes compoſuere, convocato è finitimis regionibus milite, quem Præfecti locorum mercede conduxerant, tueri præſidiis maritima decreverunt. Exindè ad inſtaurandam claſſem converſis ſtudiis, cùm hac tempeſtate, ob impares vires non auſi eſſent hoſtem aſpicere, vix modica ſubſidia ad exercitum, quo Creta obſidebatur, demiſere.

Cretã revertitur.

1653 At, proximè ſubeunte anno, alia rerum facies. Siquidem, aucto mirum in modum claſſis robore, ad ſummum facinus extulerunt animos; ſpeque tentandi extrema quæque in Cretenſium exitium, Rhodum celerrimè profecti ſunt. Hæc ubi comperta Mauroceno, non ultrà motum diſtulit; ſed rebus ſuorum raptim paratis, ad Inſulam propero itinere contendit. Pugnandi tamen ſpem eluſit formido barbarorum, viam ſibi ad evadendum munientium. Ut enim cognitum, inſtare Maurocenum, terga dantes, tutum effugium, intra inſulæ portum, invenere. Franciſcus, ubi prelium auferebatur, ad infligenda hoſtibus damna converſus, populatur non auſos congredi, pluresque annonarias naves ad fugam tardas capit. Expoſito dein mi-

Hoſtilem claſſem prope Rhodum bis fugat.

lite,

lite, modicam barbarorum manum, in proximo littore deprehenſam, ad tranſtra cogit. His exactis, anxiè perquirens, quà ita hoſtilis claſſis intercipi poſſet, ut veluti indagine clauderetur, præmiſſis exploratoribus, qui de Turcarum motu certa referrent, circa eaſdem oras moram trahere ſtatuit, ut ſubterfugientibus opportunè immineret. Diù intra ſpem, metumque cunctati Thraces. Ut verò primum portum egreſſi ſunt, à Mauroceno inopinanter occupati, fugam rursùs arripiunt. Ille abeuntium terga perſecutus, uſque ad Rhodi ſinum pugnaturus decurrit. Quò ubi perventum, ne tuta penitùs fuga ignavis eſſet, omne tormentorum, ignitorumque miſſilium genus in eoſdem exonerari imperat. Plures indè Thracum naves disjectæ, aliquot incenſæ: multum reliquæ temporis viribus reparandis impenderunt. Sed, cùm ęſtas jam appeteret, aſſociatis, ut magno alicui conatui locus eſſet, reliquæ claſſi triremibus, junctim Veneti Ægæum ultrò, citròque permenſi ſunt. Tunc ſæpè vi, interdùm dolo hoſtium navigia laceſſentes, neutro ſuccedente, in curam depopulandarum Inſularum incubuere. Thraces verò ſuperioris cladis etiam nunc memores, furtim tantùm Cydonem convehere commeatus, augere ſuorum copias; at quodcumque navalis pugnæ genus apertè adeò detrectare, ut qui ex Africa in opem Ottomanicę claſſis accedere quotannis ſolent, execrati vecordiam Pręfecti, ad pa-

1655

Sociis navibus jungitur.

1653 patrios portus ante ſtatutum tèmpus reverterentur. Quapropter altior trepidatio Byzantii defixit animos barbarorum. Tanta verò Mahometes Rex, ob inertiam ſuorum, ira accenſus eſt, ut, etiamſi nondùm primam juventam exiiſſet, cuique formidandus, Præfectum claſſis minis territum juramento obſtrinxerit, erumperet ſequenti anno ex Abydi faucibus; & ęquè pro capite, ac victoria decertans, illatarum cladium dedecus inſignibus victoriis expiaret. Intereà, vergente autumno, ubi in hyberna conceſſerunt Veneti, nonnihil reficiendis militibus datum eſt.

Vecordia Turcarũ, & Regis minæ in claſſis Prſfectũ.

1654 Sed vix remiſſo hyemis rigore, ſuppleturus Maurocenus remigio claſſem, quam crebrę expeditiones exhauſerant, provectus in Ægeum, Cycladas inſulas arma, viros, aurumque de more præſtituras diligenter perlegit. Sexcentis indè remigibus in claſſem receptis, divitem commeatuum Inſulam Æginam adit, ac tredecim onenarias intra portum invadens, brevì eas in ſuorum emolumentum vertit. Hìnc Inſulam Tenon: ubi aliquot hoſtium longas naves, in quas fortè incidit, ſtrenuè provocat ad certamen. Nec res abſque diſcrimine exacta. Nam deducentibus in prælium navigia barbaris, æquo marte pugnari cęptum. Anceps victoria aliquandiù ſtetit: eòque Mauroceno difficilior, quòd ſua triremi in medios hoſtes illapſus, ſolus ruentium utrinque conatus ſuſtinuit.

Maurocenus Æginam populatur, ac Tenon.

nuit. Indè Thraces circumire ejuſdem navim, 1654
uti curſu aquarum, atq; in latera, aut frontem impetum dare. Quos cùm Franciſcus magna cęde repuliſset, qui ſuperfuerunt, verſi in formidinem, vincenti terga dedere. Tunc ille trepidos diù conſectatus: tandem audaciùs in Prętoriam triremim invectus, eam ita armorum vi disjecit, ut naufragio periiſse multi crediderint. Dùm inter hos motus ęstas ingruit, ea maximè ſolicitudo Maurocenum angebat, quonam exitu univerſa Ottomanorum Claſſis ea tempeſtate in Ægæum prodiret. Percrebuerat enim, Thraces, inſtructis navigiis, collectoque ex ſingulis regionibus milite, magno cum rei frumentarię, armorumque proviſu Cretam petituros. Hinc variæ inter Venetos curæ; his hoſtilium virium magnitudinem, aliis temporum calamitatem reformidantibus. Sed brevi fefellit conſilia barbarorum Veneti ducis ardor: & quamvis conatibus Reip. fortuna adverſa eſſet, virtus tamen fortunam ſuperavit. Cùm enim Joſephus Delphinus Navium Præfectus, ob rei navalis peritiam inſignis, in Helleſponti fretum perductus, cum II. Quinqueremibus, XVI. Navibus, atque VIII. triremibus, aliquandiù ibidem eſſet immoratus; exeuntibus demùm barbaris, quorum claſſis tantæ molis erat, ut, quà mare patebat oculis, undique conſtratum navigiis appareret, ita obſtitit, ut, ni ante conſtitutum ſignum XII. noſtrorum naves, ac VI. triremes è

Pretoriā hoſtium cōminuit.

Pugna Joſephi Delphini navium Præfecti, ad Helleſpontum.

1654 ſinu evaſiſſent, vix ejus fortitudini hoſtis fuiſſet ſuffecturus. Nihilominùs Delphinus hortatus eos, qui ſecum manſerant (inter hos & Matthæus Gratianus auctoris patruus, pietate erga Remp. & rei militaris ſtudio aderat) ut decoram mortem ignominioſæ fugę anteferrent, ſtrenuè barbaros laceſſivit. Conſertis tunc utrinque manibus, magno animo deſcenſum eſt in aciem: Venetus verò Præfectus ſicuti imperio, ita cæteros virtute longè antecelluit. Hic majorum navigiorum impetu unica tantùm navi ſuſtentato, ſex horas mutuis cladibus ita pugnam protraxit, ut antè fatigarentur hoſtes, quàm ipſe conſilio, voce, manuve uſquam deficeret. Ubi ex anguſtiis freti in aperta Ægæi dimicantes devenere, rapiente pelago, penè in vada ejuſdem navis compulſa eſt. Quò reparatis, quoad potuit, navigii lateribus, jam enim fluctus paſſim irrumpebant, denuò invadens in Prætoriam hoſtium, tàm valido conatu prębium inſtauravit, ut reliquæ noſtrorum naves feſſę diſcrimine, in altumque provectæ, ſuccubuiſſe Ducem exiſtimarent. Sed cognito exitu, perfuſiſque gaudio animis, ob exactæ rei momentum, cuncta in Delphini laudes conceſsere. Tria fermè Turcarum millia cecidiſſe tradunt: atque inter hos mille, & quingentos milites prætorianos. Octo navigia partim in imum demerſa, partim incenſa; ex reliquis nullum cladibus immune. Venetis duæ naves, toti-

Cędes Turcarũ, ac Frãciſci Mauroceni Adriatici Sinus Præfecti obitus.

totidemque triremes deerant: neque præter Franciſci Mauroceni Adriatici Sinus Præfecti necem, qui in media fronte plumbea glande confoſſus eſt, atrox admodùm clades fuit. 1654

Lætus eventu Maurocenus, remiſſiores eo anno Turcarum motus futuros ratus, decreverat inſtare perculſis. At ægrotante per eoſdem dies Imperatore Aloyſio Mocenico, ſummam claſſis ſuſcipiens, laborantis munus ſtrenuè ſubivit. Cùmque paulò ante in hujuſmodi ſententiam itum eſſet, ut tentaretur obſidione Epidaurum; ad idem, Franciſco jubente, copiæ navales perductę. Urbs eſt ad exitum ſinus Argolici, quæ quaſi arx, & ſpecula à Peloponneſiaco littore procurrens, eidem amplo ſatis ponte conjungitur. Aſperrimæ cautibus inſulæ inhæreſcit, cujus ambitum circumfuſa Ægęi pars adeò tuetur, ut vel ſolo ſitus ingenio vix adiri queat. Firmant urbem edita pars montis, cui imponitur, valida murorum, turriumq; congeries, ipſa demùm maris, continentiſque vicinia; undè promptum incolis ſubſidium, at hoſtibus ardua prorsùs oppugnatio. Maurocenus, intellecta loci difficultate, ut, terreſtrium auxiliorum fiduciam Turcis auferendo, in ipſis urbis munimentis prę̨ſidium fame expugnaret, non ignobile oppidum, haud procul ab urbe ſitum, minis, atque oſtentatione exercitus redigere in ditionem ſtatuit. Verùm, ſicuti incolis non animus, non ſpes, non arma ad propugnandum locum dee-

Maurocenus vicem ſuſtinet Imperatoriæ dignitatis.

Epidaurî ſitus.

1654 rant; ita qui præerat oppido impiger manu, exercituſque militiâ ſtrenuam defenſionem comparabat. Hęc tamen hoſtium ſtudia brevì Franciſcus eluſit, unico armorum conatu prælium abſolvens. Admotis etenim paſſim ſcalis, omnique virium nixu in pervicaces invectus, obſiſtere auſos ferro, reliquos terrore in ſervitutem coegit. Proſperrimum incęptum haud difficilior fortaſsè victoria ex Epidauro conſecuta; ni prematurè deſęviente hyeme, cum maritimis copiis in munitiſſimi loci obſidione immorari intutum cognoviſſet. Itaque traductis ex oppido in claſſem XXII. tormentis, cætera arbitrio militum acta; hique ex finitimis pagis gravem prædam retulere. Quibus confectis, in hyberna copias dimiſit; ſatis ſibi fore ratus, ſi cum expeditiori longarum navium manu Ægæum ſubindè percurreret.

Oppidum Epidauro conſermi-num expugnat.

1655 Labente inter hos motus anno, cùm diem extremum Imperator Mocenicus, ſummo cum totius exercitus mœrore, obijſſet; Franciſcum Maurocenum in Ducem, donec quis extincto ſubrogaretur, univerſa claſſis excepit. Is, ut primùm infracta vis hyemis, cùm à Pelagi inſulis tributa collegiſſet; à rebus præclarè gerendis diutiùs animum minimè continuit. Arreptâ igitur opportunitate, quòd Thraces crebris cædibus afflicti intra Helleſpontum confugiſſent, facillimum ſibi futurum animadvertit, præoccupato eorumdem adventu, ditioribus inſulis poti-

Ob Imperatoris Mocenici obitum, rurſùs ſupremũ claſſis munus obit.

potiri, paratoſque ab hoſtibus commeatus in 1655
ſuorum commodum aptè convertere. Recepto
ingenti militum alacritate conſilio, Saronicum
Sinum ingreſſus, Æginam oppugnatum ire conſtituit. Non procul à Peloponneſi margine contra Atticam, Megaricamque regionem inſula ſita eſt, Oenone, & Myrmidonia ante dicta, optima temperandi æris arte olim commendatiſſima. Urbs ſupra ameni collis cacumen modicè extollitur, bifariam incolis utile; quippè quòd repentinos inſultantium impetus difficiliores reddit, ſaltubuſque lætiſſimis voluptatem tempeſtati alit æſtivæ, hybernę verò ſubſidium. Multos illìc cùm belli, tùm annonæ apparatus fama ferebat, qui in Cydonis, totiuſque exercitus opem facillimo convehebantur itinere. Jamque decimo quarto Kal. Aprilis in inſulæ conſpectum perventum erat, cùm applicitis littori triremibus, eductoque milite, continuò acies à Marchione Alexandro Borrio, Præfecto terreſtrium copiarum inſtructa. Illatum ſibi bellum Æginenſes ubi cognoverunt, cùm locum, quia vaſtis circùm rupibus claudebatur, vel minimo præſidio tutum cernerent, illicò redactis in urbem iis, quæ munimento neceſſaria videbantur, ſtrenuæ defenſioni operam dedere. Initum ergo à Venetis ex abrupto certamen; ac juſſus miles per confragoſos plerumq; ſaltus, atque importuna collium juga catervatim aſcendere. Neque inutili primùm conatu,

Æginæ inſulæ atque urbis deſcriptio.

Obſidio.

nam

1655 nam emerſit ad muros: Sed anceps poſteà diſcrimen invaluit, cùm ipſamet loci inæqualitas in obſeſſorum ſalutem pugnaret. Franciſcus præruptis cautibus hærere vix poſſe milìtem animadvertens, cùm nullo vellet ſuorum ſanguine victoriam emi, ſignum receptui imperavit. Exindè muralibus tormentis per idoneas rupes diſpoſitis, ereptaque ſubſidiorum ſpe, ita locum infeſtare incępit, ut tunc primùm ſenſerint Æginenſes à Mauroceno inſulam obſideri. Trium dierum ſpatiò hoc ardore pugnatum eſt: diutiuſque ob loci aſperitatem neceſſe fuiſſet ea in obſidione milites detineri, ni obſeſſi undique incendiis, ac ruina murorum conſternati, ſalute ſalva, victori ſe tradidiſſent. Itaque eadem gloriæ cupido, quæ ad intentandam urbi obſidionem Maurocenum impulerat, Æginenſibus auxilio fuit: nam novorum facinorum ſpe ductus, annuit conditionibus ab obſeſſis prolatis. Continuò præter CCC. Græcos, ac L. Turcas, qui in remigum numerum recepti ſunt, cæteris conceſſa libertas. Avecta XIV. tormenta; devaſtatamque ab exercitu urbem flammæ penitùs conſumpſerunt.

Æginenſium pavor, & deditio.

Concuſſis Æginæ expugnatione proximarum inſularum incolis, ad Theſſaliæ oras iter converſum eſt. Neminem latebat, Pagaſam ditiſſimam urbem, quam Vollum vulgus nuncupat, ad Pelaſgicum ſinum ſitam, omni rerum copia affluere, quod verò magis Imperantis animum

mum accendebat, publica ibi Turcarum horrea in claſſis commodum aſſervari: Aderat quoque tentandi diſcriminis neceſſitas. Tunc enim temporis plurimùm nautici panis inopiâ navales noſtrorum copiæ laborabant: hiſq; ob varium maris æſtum nec certa ſubſidia, aut, etiamſi haud procul abeſſent, redigi in unum opportunè non poſſe videbantur. Quamobrem Maurocenus, qui cùm ſuorum egeſtati proſpicere, tùm omnia protrahendo bello utilia auferre hoſtibus moliebatur, adamato potiundi loci conſilio, Pagaſam proficiſcitur. Nonnullis onerariis navibus, quæ in proximas inſulas annonam comportabant, exiguo labore ſubactis; in Pelaſgicum ſinum, qui in extremis Theſſaliæ eſt, mira pernicitate navigia convenere. Munitiſſima urbs apparebat in medio, à continentis ora ita producta, ut triremium tormentis percelli poſſet. Mœnia verò in quadratam figuram expanſa, eâque parte, qua mare reſpiciunt, in ampliorem proſpectum deſinentia, editis utrinque turribus cuſtodiebantur. Situs opportunitas, facile commercium, atque ager circùm frumenti, vinique paſſim ferax non modicè Thraces adjuvabant. Hinc nauticum ibi panem confici, confectum ſervari, ac deindè per occaſiones mitti ad exercitum placuerat. Haud procul ab urbe metanti caſtra Mauroceno armata incolarum cohors audacter occurrit: quæ, magis quia improvisò id fecerat, quàm quòd par viribus eſſet, acerrimum videbatur

1655

Maurocenus ſtatuit Pagaſã aggredi.

Pagaſæ deſcriptio.

Pugna ante muros urbis.

1655 batur latura certamen. At ſtrenuè reſiſtentibus Venetis, cùm permulti barbarorum à ſclopetariis trajecti concidiſſent; tantus terror cæteris injectus, ut brevì verſis in præceps manipulis, intra mœnia confugerint. Fortiori igitur defenſione opus eſſe ſuperioris pugnę experimento edocti, delectum militum ex proximis vicis habere, parare raptim arma, munitiones congeſta humo firmare; poſtremò, ne mulierum, ac liberorum lamentationibus pertinacia propugnationis frangeretur, ſexum, ætatemque laboribus imparem rejicere, cum iiſque opulentiora quęque, ne in victorum commodum tranſirent, aliò mittere. Sed Maurocenus in ipſo obſidionis limine extrema molitus non vulgari terrore incolas concutiebat. Quippè extructis aggeribus, & ducto propiùs urbem exercitu, dein ad portæ everſionem aptatis pyloclaſtris, cuniculiſque ſubtus turrium fundamenta effoſſis, ne interiora quidem loci vacare incendio patiebatur. Quæ dùm ſedulò ab eo curantur, reliquæ Quinqueremes ſinum tenuere; eęque idoneis locis diſpoſitæ, ut eodem tempore multiplici ex parte muri peterentur. Econtrà obſeſſi impigrè rem gerentes, ſumma vi præliabantur: immò, ut quiſque locus ob oppugnantibus tentabatur, ita præſidia, loricaſq; vimineas per occaſiones ſubmittebant, ut primos noſtrorum impetus non abjecto animo repulerint. At non diu, noctuq; conatibus intermiſſis, adeò munimenta disjici

Qua obſidione cingitur.

cępe-

1655.

Maurocenus aggreſſione tentat, atque urbe potitur.

cęperunt, ut, quaſſatis altè muris, aggreſſioni Veneti accingerentur. Tunc Franciſcus plena animorum oratione hortatus ſuos ad certamen. Nec modicus indè copiarum ardor invaluit. Quippè, cùm in agmine, in laboribus ubique adeſſet, ſtrenuis laudem, ſpem pavidis, cunctis exemplum præberet, ita militum animos accendit, ut, non dimicantium, ſed victorum ſpecie, per ſtragem ſemiruti valli męnia conſcenderint. Diù nihilominùs vis noſtrorum à barbaris ſuſtentata: brevìque ad ultimas cædes deventum eſt. Facinus namque egregium rati, ſi gladiis potiùs, ac virtute, quàm muris urbem tuerentur; non milites modò, ſed & turba aggreſſium immixta armatis admirandę fortitudinis ſpecimen exhibuit. Verùm catervatim impetum facientibus Venetis, cùm, conſumpta inter mutuas clades die, tenebræ jam irruerent, ſtrataque cadaveribus męnia undique ſanguine exundarent; ingens hoſtium conſternatio, omnia paſſim augente nocturno tumultu, inopinanter exorta. Igitur, qui aſſultantium manus evaſerant, veluti jam penitùs amiſſo oppido, in interiorem arcem receſſere. Potitus urbe Maurocenus, calentem recenti prelio militem ad integram victoriam impuliſſet; niſi nox incerta diremiſſet pugnantes.

Turcæ in arcem ſe recipiunt.

In Venetorum votis proxima lux erat; cùm extremum vitæ diſcrimen reformidantes Turcæ, quà tellus in camporum planitiem

F fluit,

1655 *Noctu diffugiūt.* *Præda Venetorū ingens.* *Auxiliares hoſtiū copię in fugam aguntur.*

fluit, nocte ſcalis demiſſis, clam per agros effuſi ſunt. Inter ipſa itaque lucis exordia, inſtructis ad certamen copiis, denuò impetus aggreſſionis incaluerat. Sed, cùm nihil hoſtile progredientibus obverſaretur, brevì compertum, juſtum timorem in fugam barbaros abſtuliſſe. Igitur, occupata arce, pręter incredibilem commeatuum apparatum, multò major pręda relata, quàm pro loci conditione quiſpiam anteà conjeciſſet. Tormenta bellica XXVII. inventa: tanta deindè bucellati copia, quantam claſſis ferre non potuit. Quapropter, quidquid remanſerat, flammis abſumptum; eodemque incendio reliqua omnia unà cum arce conflagrarunt. Cæterùm modicum ſanguinis è Mauroceni exercitu ea obſidione fuſum eſt. Tanti verò defenſio Thracibus ſtetit, ut præter paucos, qui noctis ope aufugerunt, reliqui omnes decertando interierint. Collectis impedimentis, dùm ad Helleſpontum trajecturus Maurocenus omnia properè ad diſceſſum comparat; nondùm receptum in navigia militem expedita Turcarum cohors è propinquo quodam colle devoluta ex inſperato invadit. Patuere hoſtibus primo impetu terga Venetorum: at ubi, intellecta fraude, converſi ſunt in decurrentes, ita audaciores mulctaverunt, ut non tulerint barbari primum concurſum. Tumultuario ergo impetu retroacti, ſuum ut quiſque corpus tutaretur, terga victoribus præcipiti adeò motu convertit,

ut

ut non ſatis cognitum fuerit, celeriùs ne aggreſſi ſint hoſtes, an fugerint. 1655

Maurocenus pervicaciam incolarũ Sciathi prælio cohibet.

Hæc ubi peracta, è Pelaſgico ſinu educta claſſis. Cùmque exigendi tributi gratia ad Sciathum inſulam, ante Magneſiam Theſſaliæ promontorium ſitam, perventum eſset, inopinatum pugnæ diſcrimen adiit exercitus. Pervicaciores enim incolę, ſive fiducia virium, ſive amore Turcarum, ullo obedientiæ genere ſeſe Venetis addicturos denegabant. Contumelioſum id Reip. acerbum Duci; quem demùm obſtinata illorum conſilia eò compulerunt, ut, quod per pacem obtineri non poterat, armorum vi extorqueri imperaret. Igitur ventum eſt utrinque ad manus; pugnatumque aliquandiù ambiguè, cùm ſine ordine, aut cujuſquam Imperio quæque pars multitudinis oppidanorum armata Venetis occurreret. Verumtamen, cùm hinc indè manipulis barbarorum noſtri affunderentur, tranſverſiſque ictibus obvios perturbarent; ingens trepidatio, ac tumultus, ob multorum cædem, inter illos exortus. Tunc ad paucorum exemplum, poſitis armis, unanimes deditionem amplexi, fidemque in omnibus Reip. ſpoponderunt. Sciathi eventus proximarum inſularum incolas perdomuit; inter quos, qui Scopelum, ac Celidromim (inſulę ſunt contra Theſſaliam, parùm diſtantes à Sciatho) tuebantur, vectigalia libenter obtulere. Accepta ab iis ſanctè fides: dein tributa, leges, & Venetum jus vi-

 ctis

1655 ctis impoſitum. Poſt quę deventum ad reliquam claſſem, quam prope Helleſpontum anchorę tenebant. Hìc quiſque Mauroceno gratulari, expeditionis ordinem inquirere, atq; ita tot rerum proſperrimarum ſerie ad magna incitari, ut creſceret in dies cupiditas dimicandi. Interim, cùm Aprilis menſis deficeret, nondùm Turcis in Ægæum trajicientibus, tantumque roboris penes Pręfectum navium Lazarum Mocenicum eſſet, ut aptè illis obſiſtere poſſet; Franciſcus, collectis triremibus, ad alia obeunda munera animum vertit. Commendatâ igitur fortiſſimo Duci reliqua claſſe, ad inferiora Ægęi contendit, ut venientem ab Italia Hieronymum Fuſcarenum D Marci Procuratorem ad ſummum maris Imperium communi omnium plauſu ob inſignem virtutem nuper evectum exciperet. Verùm, cùm is Andron maris Ægæi inſulam, viginti millia paſſus à Delo poſitam, vix appuliſſet; inopinato morbo correptus, pauciſſimos intra dies occubuit. Quapropter ingentis expectationis viri fatum expreſſis gemitibus claſſis proſecuta.

Ad Helleſpontũ proficiſcitur.

Hieronymus Fuſcarenus Imperator moritur.

Maurocenus, cui ob defectum Imperatoris ſumma adminiſtratio debebatur, anxius de claſſis eventu, inſtare enim in dies certamen intellexerat; ſtatuit Græciæ, atque Aſiæ Præfectis (Belirbey nuncupantur à barbaris) non modicam triremium manum ad intercipiendos intra Helleſpontum Venetos deducentibus ſe objicere; ut indè major Mocenico victoriæ fiducia foret.

Lazari Mocenici navale prælium, atq; inſignis victoria.

Verùm

Verùm hic, qui freti anguſtias, ut memoravimus, inſederat, ubi Thraces Ægęo imminentes deſcenderunt in pugnam, diù univerſam eorundem claſſem exagitavit. Demùm, nonnullis triremibus disjectis, cùm Præfectus Turcarum animo impar, ſubtrahere à certamine ſuos, quàm in ulterius diſcrimen deducere mallet; arreptâ fugâ, ea ſecum navigia traxit, quæ impulſu remorum aguntur. Tunc cum navibus extra ſinum cępta contentio: quas quinq; horarum ſpacio Mocenicus cùm laceſſiſſet, nondùm ſatis videbatur, quà rem fortuna datura eſſet; adeò ſpes, vires, animi utrinque paria fuere. At, aucta hoſtium clade, nihil invium fuit virtuti Venetorum. Hi namq; cùm undecim barbarorum navigia flammis conſumpſiſſent, ac totidem ferè proximis ſcopulis impacta æquor hauſiſset, reliqua partim redacta in Mocenici poteſtatem, partim, adjuvantibus auris, licèt vix apta fugę, victorum manus declinaverunt. 1655

Epidaurũ obſidet Mauroce-nus.

Hæc ubi renunciata ſunt Mauroceno, qui Epidaurum eadem tempeſtate oppugnare conſtituerat, ut maturaretur res, effecere. Quamobrem ad illam Peloponneſi oram profectus, cui ponte jungitur Epidaurum, militem haud procul ab urbe ad montis radices expoſuit. Sed cùm ipſa loci ſtuctura apertis obſtaret aggreſſionibus, alium obſidionis ordinem exorſus eſt. Conficere enim rerum omnium egeſtate incolas cùm decreviſset, levis armaturę manu, quà

oppor-

1655 opportunum illis continentis commercium, ducente Marchione Borrio, præmiſsa, ipſe cum univerſo terreſtrium, ac maritimarum virium apparatu urbem circumdedit. Verùm quò hęc natura ſitus expugnatu difficilior, eò obſtinatiores defendentium animi, quibus validiſſima erant męnium munimenta, arma, frumentum, & commeatus, quamvis diuturnę obſidioni pares. Nihilominùs, cùm muralibus tormentis, tùm bolidibus fervebat obſidio, eaque tantùm fiducia bellum à Venetis protrahebatur, ut, qui frangi virtute non poterant, mora comminuerentur. At ubi nullus fortitudini aditus, quid ſperandum, ubi propemodùm cuncta pertinacię hoſtium, fortunæque permiſsa? Æſtiva tempeſtas jam dilabebatur, militem difficiles terra marique ſtationes vexabant; adeò tamen interiora loci vi bolidum corrupta, atque incenſa, muri verò concuſſi apparebant, ut, ni aſperitas cautium obfuiſset, inſtaret conſilium unico aggreſſionis impetu urbis expugnandæ. Animadvertenti Mauroceno inutilem prorsùs per invia loca impreſſionis conatum una ſuccurrebat ſecundi exitus ſpes, ut videlicet pertinaci obſidio laſsatos incolas fame compelleret ad deditionem. Sed intuta regio, importuoſum mare, atque autumnalibus obnoxium procellis, non modica demùm ſubſidia, quæ per idem tempus ſeu occulto, & per dolum parato ab hoſtibus itinere, ſeu vigilum noſtrorum incuriâ, nocte in

Ob loci difficultates, & proximam hyemem obſidionẽ ſolvit.

in urbem irrepſiſse conſtabat, ipſius animum eò 1655 impulerunt, ut cauta conſilia cæteris anteponeret. Itaque, dimiſſis navalibus ſociis, ac regione penitùs devaſtata, contentus urbem ruinis, incolas direptione bonorum mulctaviſse, Kal. Octobris ſolvit obſidium.

Non ideò tamen properatum eſt illicò in ſtationes. Nam amplexus tentandæ Megaræ ſententiam (locus eſt haud procùl ab Ægina in confinio Atticę, ac Peloponneſi) in quam Thraces, poſt amiſsam Pagaſam, annonam in exercitus commodum convexerant, triremes in proximum portum deduxit. Tunc, explicato in loci conſpectum exercitu, detrectantes deditionem Græcos, ac Turcas, qui jam oppido egreſſi ad pugnam ſe comparaverant, aperto certamine invadit. Diù dimicatum non eſt dubia fortuna. Ubi enim Venetus miles undique hoſtibus circumfuſus primùm eorum cohibuit audaciam, cædis potiùs, quàm pugnę ſpecies cępit eſse. Hinc Megarenſes, laxatis ordinibus, partim in acie, partim in ipſo fugiendi tumultu obtruncati ſunt. Neque multùm de integrâ loci poſseſſione decertatum. Hoc namq; allato oppidanis pavore, brevì ſe omnes Mauroceno tradidere. XIII. Tormenta indè ablata: ingens hordei, ac frumenti apparatus inventus; plurimiſque incolarum ad implendos remigum ordines deſtinatis, reliqua omnia everſa ſunt, atque incenſa.

Megara armis tētatur.

Cędes Megarēſium, ac loci expugnatio.

Vix

Mauroceno Cretæ Pręfectura demandatur.

1655 Vix collectis ſubactorum hoſtium ſpoliis altum claſſis tenuerat, cùm Mauroceno ſummam Cretæ Inſulę adminiſtrationem ab Senatu commiſſam fuiſſe, innotuit. Idcircò Franciſcus, ſtrenuo duci Barbaro Baduario ſibi in claſſis Pręfecturam ſuffecto, traditis navibus, in Cretam proficiſcitur. Ubi ſummo plauſu cùm civium, tùm militum exceptus, ut demandatum ſibi munus diligenter abſolveret, in eam primùm curam incubuit, ut augeret novarum copiarum delectu urbis præſidium, munitioneſque exteriores va-

Ejus ſtudia ad ſtruendã urbis defenſionẽ.

1656 lidiori aggere confirmaret. Verùm, ubi deferbuiſſe ob diuturnum bellorum tædium animos Cretenſium, laſcivire militem, diſciplinam, ac laborem aſpernari, marceſcenteſq; ocio colonos nullo defendendę urbis ſtudio incitari cognovit: illam vim ingenii in Mauroceno civitas demirata eſt, ut, quæcunque etiamſi minima per ſe adiret, nec in quemquam graviùs, quàm in ſemetipſum exerceret Imperium. Parſimoniæ, vigiliarum, ac laboris exemplo cum vilioribus militum certabat; nihil, quo militaris diſciplina labefactaretur, impunitum abire patiebatur: nec, quod in uno difficillimum, aut facilitas auctoritati, aut ſeveritas amori aliquid unquam derogavit. Excitato ſuorum ſpiritu, non neglexit alias artes, quibus non inſulam modò tueretur, ſed bellum ipſum, ut tempora Reip. poſtulabant, penitùs finiret. Quippè crebrò cum barbaris mentionem pacis per fidos nuncios injiciens,

In firmãda pace, utilia Reip. cum barbaris pertractat.

jiciens, oſtendebat, *ſupereſſe Reip. validam claſſem, recenter conſcriptas copias, Venetamque virtutem clade Turcarum ſæpè comprobatam. Cretam intereà, congeſtis nuper præſidiis, ſolertiſſimè cuſtodiri; bellum arduum, cruentumque futurum, nullatenùs tamen ceſſuram urbem. Ergo reſipiſcerent, utilemque fœderis tranquillitatem, quàm exitiabile bellum, ſectarentur.* At ſuper his, ſpecioſa verbis, re autem inania, aut ſubdola barbaris afferentibus, ubi non adeſſe ſpem intellexit, ut, qui pacem libidine belli turbaverant, arma fęderis amore deponerent; ad augendas vires animum vertit. Igitur delectus militum in agris haberi cęperunt, convocari finitimorum præſidia, impelli reluctantes, frumentum, cæteraque opportuna bello convehi; adeò ut ſicuti ſecuritas totius inſulæ ab una illa urbe pendebat, ita totius inſulæ robur dixiſſes in urbem eſſe collectum. Extructæ prætereà aliquot triremes: proviſum iis ſedulò viris, atque armis; mox, ut ſtudia hominum magis provocarentur, largitionibus. Immunem demùm vectigalibus portum, ne præſidium cujuſquam rei inopia laboraret, inſtituit.

1656

Sed fruſtrà.

Augetur urbis pręſidium

Milite.

Navibus.

Immunitate.

Sed, quamvis cuncta cuſtodiis referta eſſent, non temperabant incurſionibus Turcæ, fines urbis crebris rapinis perturbantes. Auxerat demùm cupidinem eorum ubertas ſegetum, quarum ferax admodùm inſula. Itaq; intercepturi aditum Cretenſibus, ne frumenta colligerent, obductis multiplici ex parte aggeribus, ſubje-

Turcę conantur agros occupare.

G ctam

1656 ctam planitiem, patrium uti ſolùm exercebant. Verùm Franciſcus proſpiciens, ni conatibus barbarorum obviam iiſſet, Cretenſes rei frumentariæ caritate in poſterum comminui poſſe: diſperſos hàc, illàc tumulos, hoſteſque ſtatuit invadere, ne pateretur jungi, quos tunc diſcretos, & nondum penitùs in camporum poſſeſſione firmatos, vincere potuiſſet. Id ſub menſis Martii exitum feliciter perfectum eſt. Siquidem ignaris hoſtibus educta inter tenebras levis armaturæ cohors, ubi primùm illuxit, duplici ex parte barbaros laceſſivit. Tunc, ut ad fallendum ſilentio, ita deprehenſis cominùs Turcis, initoque prælio, ut formidinem augeret, cuncta clamoribus miſceri imperat. Hoſtes, nondùm comperto, quod cædis initium, quis finis, veriti majorem inſtare multitudinem, brevì cuſtodita à ſe ipſis loca irruentibus permittunt. Qui autem in proximis receptaculis excubabant, quamvis nondùm cognito noſtrorum impetu, ad rumorem palantium latè diffugiunt. Hoc motu munitionibus barbarorum incruento exitu potiti Cretenſes. Nec de integra urbis libertate modica ſpes inceſſerat; cùm ſuperiore anno Thraces, conſternatis navalibus copiis, vires ſimul, audaciamque poſuiſſent.

Sed pelluntur à Mauroceno.

Inter hæc, cùm recedenti frigori ſucceſſiſſet belli tempus, expectatione erectus eſt Maurocenus, quinam in poſterum ſtatus futurus in-

ſulæ

1656

ſulæ, quæque Turcarum molimina impenderent. Enimverò paſſim pervulgatum, ingentem claſsem ab hoſtibus comparatam; ac propterea Laurentius Marcellus, cùm ſua virtute, tùm diuturnæ militiæ experimento clariſſimus, quem ſummæ maritimæ Patres præfecerant, Helleſponti fauces cum robore claſſis inſederat.

Laurētius Marcellus ad Helleſpontum.

Verùm Thraces ob internos tumultus, quorum adeò ferax immanis Regia eſt, diù expeditionem protraxere. Cùm enim, adoleſcente Rege, ſummum regimen etiam nunc penes Primores eſset, ii inter ſe ſententiis pugnabant, quemnam neceſſitati parem claſſi præponerent. Tandem Sinano, quem feritas, & inconſultus impetus præſtabat indomitum, traditis maritimis viribus (harum ſumma LX. triremium, XXIX. navium, ac IX. Quinqueremium erat) hic decimo Kal. Julii ad gemina oppida, in Helleſponti faucibus ſita, pervenit.

Sinanus, Turcarū Claſſis Præfectus in Ægeum conatur erūpere.

Veneti, ubi hoſtes adfuerunt, immixtis, ut inter ſe anteà convenerant, navigiis, ſtrenuè certamen ineunt. Inter reliquos verò Marcellus, qui vel hoc argumentum magnanimitatis exhibebat, quòd eum nonniſi difficillima delectarent, ita in hoſtem audacter invehitur, ut ad primum ejus concurſum Sinanus perculſo ſimilis obſtupeſceret.

Venetorū pugna & Marcelli virtus.

Nunquam breviori diſcrimine parta inſignior victoria. Paucarum horarum ſpatio ita Thraces virtuti noſtrorum conceſsere, ut præter aliquot triremes, quibus illorum Præ-

Ejuſdem victoria, mors, ac cædes Turcarū.

 fectus

1656 fectus ſubterlabi conatus eſt, nullum ex cæteris navigiis ruinam, incendium, ſervitutemve declinarit. Decem millia Turcarum cęſa ſunt: inter quos non pauci ex iis, qui claſſi cum imperio præerant. Multi quoque conflagrantium navigiorum flammas evitantes, poſtremò in mari periere. Magnum id vulnus Imperii Ottomanorum, immò, ni obſtitiſſet fortuna, prorsùs inſanabile. Quid enim auderet fuſa latè, & conſternata claſſis? Si tamen illa claſſis; nam cum Sinano XIV. tantùm evaſere roſtratę. At, cùm ea ſit humanarum rerum conditio, ut ſecunda adverſis permixta nec omne in ſumma deſperatione ſolatium, nec in ingenti lætitia periculum penitùs tollant; Venetis quoque tantæ victoriæ dulcedinem pręproperum Marcelli fatum infecit. Cùm namque Imperator, propemodùm oblitus dignitatis, ſuos in agendo exemplo magis, quàm conſilio hortaretur, in ipſo pugnæ exitu, ferrea glande, majoris bombardæ impetu emiſſa, confractus occubuit.

Maurocenus ſuadet oppugnationē Cydonis.

Vulgato proſperę pugnę eventu, ubi ita profligatas navales barbarorum copias Maurocenus accepit, ut illis vires ad invadendam Cretam minimè ſufficerent, altioris facinoris ſpe animum accendit. Ad ſummam enim univerſi belli, quę ex minimarum plerumq; rerum momento pendere ſolet, ratus victoriam pertinere, fortiſſimum mentis conſilium claſſis ducibus aperuit, ut, arrepta opportunitate, Cydonem aggrederentur.

Facil-

Facillimum fore à perterritis urbem extorqueri, quam nulla, aut modica ſaltem præſidia eo anno communierant. Imparatos hoſtes diù minimè obſidionem perlaturos; eoſdemque nec numero validos, nec animo promptos: immò, etiamſi obfirmatè reluctarentur, poſſe ibidem ſine ullo claſſis diſcrimine navales copias tamdiù detineri, dùm urbem, aut vis armorum, aut pertinacia obſeſſorum expugnaret. Fugatos interim, diſſipatoſque ad Helleſpontum Thraces à patriis ſedibus ferendæ opis gratia non exceſſuros. Contremuiſſe Byzantium adverſo claſſis eventu; nec conducere extenuatis viribus relinqui regni caput. Quòd, etſi parari iterùm naves potuiſſent, noſtra claſſe, & mari eos diſtineri, ne opportuna ſuis ſubſidia conferrent. Maturandum ergo conſilium; nam, ubi occaſio prœteriiſſet, ſeram pœnitentiam futuram. Intereà funeſtiſſimam illam peſtem, Regni viſceribus incubantem, abituram; ad priſtinæ libertatis ſpem redituram Inſulam; brevì denique hac arte tàm nefarium, infeſtumque Reip. bellum comprimi poſſe. Hæc cùm variè inter ſe expendiſſent Proceres claſſis, Creta procul dubio ab ingruente calamitate vindicata eſſet, ni, ita fatis volentibus, aliud conſilii genus propoſitæ felicitatis ſpem intervertiſſet. Quippè cùm non ſine ingenti claſſis detrimento in Helleſponti anguſtiis quotannis hoſtis expectaretur ad prelium, ex re iis viſum Tenedon inſulam vi capere, ut tuta ibi navium ſtatio foret, dataque occaſione, aptè ad certamen exirent. Sita eſt Inſula haud procul ab Helleſponto, quinque milliarium intervallo diſtans à littore Troadis: intra cujus portum navalium ſocio-

1656

Idque rationibus oſtendere adnititur.

Sed Tenedos à Venetis tentatur.

1656 ſociorum copias Turcæ redigebant, ut conſerentibus pugnam Venetis à tergo eſſent. Compoſitis in hujuſmodi ſententiam animis, adverſus Tenedon mota ſunt arma. Neque antè à bello ceſſatum, quàm unà cum Tenedo Lemnos etiam (inſula altera eſt contra Tenedon, inter Imbrum, & Athon) ac Samothracia, Lemno propior, in ora Thraciæ, in poteſtatem devenerint. His motibus, Byzantij ocìantibus barbaris, elapſus eſt annus; nulli intereà labori parcente Mauroceno, ut ampliùs ſtabilirentur urbis munimenta, augerenturque vires in præſidium.

Tenedos, Lemnos, ac Samothracia occupantur.

1657 Verùm eadem incrementa, quæ in tàm atroci bellorum conditione Venetorum animos quodammodò ſolabantur (Senatus enim Tenedo, ac Lemno redimere Cydonem, ac Rithymnam deſignaverat) proxima tempeſtate in damna potiùs verſa ſunt: immò, dùm exectas radices belli Patres rebantur, longiùs hoſtium rabies emanavit. Siquidem barbari diù, multùmque ob illorum inſcitiam laborantes, in quibus agendarum rerum ſumma vertebatur; tandem Mahometem, Cuperlium cognomento, Regii ſigilli cuſtodem, quod apud Thraces ſupremæ poſt Regem dignitatis, poteſtatiſque munus eſt, (Baſſa Viſſerius appellatur) creavere. Is, ut ferox erat ingenio, & rei militaris peritus, ita, ubi expediebat, conſilio, ac manu promptus, bellum ad extrema revocaturus, utilioribus

Fædi anni principium.

Cuperlii ſtudia, & ingenium.

ribus primùm civitatis ſtudiis, mox ampliſſimo terreſtrium, ac navalium copiarum apparatu Imperii ſedem erigere adnixus eſt. Utque captaret ſibi famam, quæ in novis conatibus multùm valet, atque indè initia dignitatis prǽclaro aliquo facinore inſignirentur; cuncta occultis curis agitare, firmare ſibi optimi eventus fiducia Regis animum, ſuſpectos, noxioſque ſine oſtentatione, ac tumultu de medio tollere, allicere demùm favorem plebis, ea maximè declinans, quorum recens odium deflagrabat. Hâc arte extimulatis ad defendendum Imperium mentibus, parendi diſciplinam brevì reſtituit; juſſaque ejuſdem, quamvis abditis rationibus innixa, quia ingens de auctore invaluerat exiſtimatio, promptiùs populus, miles, ac primores civitatis exequebantur. Internis rebus accuratè diſpoſitis, externa quoque auxilia reſpexit; nihilque ad belli ordinem accommodatius viſum, quàm, ut, emiſsâ celeriùs claſſe, collectiſq; ſociorum copiis, prǽveniret adventum Venetorum. Itaque, cùm ferociſſimum hominem Topalium claſſi præfeciſſet; ipſe cum XL. M. armatorum Seſti, Abydique littora inſedit. Novis hæc aggeribus, tormentariiſq; ſuggeſtibus muniri imperaverat, ut audentes pugnam Venetos facilè ab Helleſponti ingreſſu prohiberet. His recuperandi Tenedon ſpe comparatis, initio veris in Ægæum erupit Topalius, ut navales ſocios exciperet:

1657

Turcarũ claſſis munit.

In-

1657

Lazarus Mocenicus Imperator in Ægeo.

Intereà Senatus, Lazaro Mocenico Equiti D. Marci, inſigni ob amiſſum in bello per vulnus oculum, demandato claſſis Imperio, maritimum exercitum in Græciam miſerat. Igitur, ubi Mocenicus Cretam appulit, atque indè in Pelagi interiora provectus eſt, non ſervandæ Tenedos tantùm, ſed ſubigendę quoque Chii inſulæ conſilium adamavit. Talia paranti ingens navium numerus, quas Babylone mittere quotannis in auxilium Thracum Ægyptii conſueverant, occurrit. Quibus poſt brevem pugnam perdomitis, dùm Topalium obſidionem Tenedo intentare molientem inſequitur, in Piratarum claſſem incidit; nec ſecundo minùs eventu eandem diſſipat, ipsâ barbarorum Prætoria navi, & Claſſis Præfecto in poteſtatem redactis.

Ægyptias naves ſubigit, ac Piratas.

Procurator Div. Marci declaratur.

Læta ſucceſſu Reſpublica, Procuratoria D. Marci dignitate Imperatorem decoravit: qui poſt alias quinque piraticas naves prælio ſuperatas, ſpe univerſæ Turcarum claſſis debellandæ in Helleſponti fretum pergit. Nec territus munimentis, quæ Mahometes ſedulò cuſtodiebat, cum hoſtium navigiis pugnam conſerit. Thraces, quibus omne conſilium in tanto Venetorum auſu nutabat, ubi ad neceſſitatem pręliandi compulſi ſunt, aquarum curſu adjuti, pari ardore certamen iniere. Atrox contentio fuit, & diù utrinque cruenta. Sed fortuna, vireſque prorsùs inæquales; cùm duplex Venetis hoſtis inſtaret. Præter auctiorem enim barbarorum claſſem,

Progreditur ad Helleſpõtum. Atrox ibi pugna.

ſem,

ſem, adverſos fluctus efferens mare, quod repentè ventis intumuerat, ita naves fatigabat, ut vix concitato remigio impelli in hoſtem poſſent. Nihilominùs tres dies modò in anguſtiis; modò in aperto Ægęi fortiter adeò dimicatum eſt, ut neminem lateat, ſervato duce, de totius belli exitu agi hac acie potuiſſe. Sed, inclinante ad Venetos victoria, ultimam pręlio manum impoſiturus Mocenicus, dùm ſtrenuè ſuos ad extremos impetus accendit, dejecti mali pondere attritus, in puppi proſternitur. Tunc potiti multis hoſtium navibus Veneti, licèt ab certamine victores evaſiſſent, attamen ob diuturnæ pugnæ laborem, extinctamque jactura Imperatoris fiduciam, à conſilio quidquam tentandi penitùs dimoti ſunt. Secùs Mahometes; qui uſus occaſione, collectiſque reliquiis claſſis, Tenedon deſertam, mox expugnatam vi Lemnon, Turcicam in ditionem denuò redegit. 1657

Venetorũ victoria, & Mocenici mors.

Tenedos, ac Lemnos occupatæ à Turcis.

Huic tàm fędo rerum aſpectui non modò imprudens vulgus ingemuit; ſed etiam Senatus querelas illata detrimenta evocarunt. Hinc męror in ore cunctorum, & triſtior ex concepta victoriæ ſpe majorum facies. Verùm, cùm ſapientiores graviora pertimeſcerent, cautum eſt, ne, ob ſupremi ducis defectum, barbarorum audacia gliſcens, in ſubjectarum Reip. inſularum perniciem devolveretur. Nondùm prætereà hyems inceſſerat; eòque apertiùs neceſſitas eligendi Imperatorem urgebat, quòd nemini

Męror Venetorũ.

 incom-

1657 incompertum eſſet, recenti victoria elatum Mahometem, antequàm in hyberna proficiſceretur, novi aliquid moliturum. Nihilominùs, cùm de ea dignitate ageretur, unde univerſa tanti belli adminiſtratio penderet, virumque animo, ac conſilio parem difficillimo tempori comitia poſtularent; ſumma Senatus diligentia quæſitum, ut omnium expertiſſimo Imperium demandaretur. At, cùm eam animi vim præ ſe ferret, proſperiſque belli eventibus probaviſſet Maurocenus, quam in tantis rerum fluctibus exigere magnitudo belli videbatur; brevì, converſis in eum Patritiorum ſtudiis, declaratus eſt Imperator. Eadem quoque die Parens ejus Petrus Maurocenus, ob ingentia erga Rempub. merita, inter D. Marci Procuratores cooptatus: adeò ut, quæ ſecundarum rerum ſpes ob fortiſſimi ducis Lazari Mocenici obitum nuper veluti exaruerat, auctiore fiducia, collatis in Maurocenos dignitatibus, revireſceret.

Franciſcus Maurocenus Imperator eligitur.

Petrus Maurocenus ejus parens D. Marci Procurator.

Claſſis lætitia.

Erecta inde univerſa civitas; ſuſceptoq; nuncio, Claſſis Proceres ita exultavere, ut veluti per Maurocenum egregiè agendorum vates, lætitiæ non temperaverint. Milites verò in honorem ejus inſtructa claſſe, exploſiſque ex nautico more omnium navium tormentis, hilari cantu conſalutavere Imperatorem. Neq; ſpem fefellit Maurocenus. Quippè quidquid Reip. profuturum ſedulò animadvertens, traditæ ſibi claſſis vires pendebat,

Studia Imperatoris.

debat, ut iis haud impar belli ratio reſponde- 1657
ret. Verùm ejus conſiliis nec navalium, nec terreſtrium copiarum robur par erat. Exhauſtis enim ob pręteritum certamen viribus, ita univerſa claſſis languebat, ut ad quoſcunque hoſtium motus omnia in lubrico forent. Illud ergo in primis proviſum, ut novis copiis exercitus, naves commeatibus, armiſque firmarentur. Miſſæ hac de cauſa per Ægæum triremes, quæ vectigalia ab inſulis exigerent; cùmque urgens belli neceſſitas eadem paululùm auxiſſet, ne quid inteſtini motus inter ſubjectos oriretur, promptiorum fidem pręmiis proſecutus, ac pęnarum ſeveritate reluctantes deterruit. Intra modicum temporis non exiguo remigum, ac nautarum numero ab inſulis in claſſem traducto, convocatiſq; captivis, quos ab oppidis à ſe ſuperioribus annis ſubactis collegerat, ita longas naves complevit, ut ad priſtinum robur revocata claſſis videretur. Intereà Thraces, ob depulſos à Tenedo, ac Lemno Venetos, eximiam Turcarū.
de iis ſe tuliſse victoriam non ignari, ad validiores conatus arma comparabant. Non æquo tamen animo ab Rege, & Cuperlio latum eſt, ſummam Venetarum copiarum adminiſtrationem Mauroceno commiſſam. Utque inſuper reparatam ab eodem claſſem, atque auctioribus præſidiis communitam Cretam rumor vulgavit, ita à prioribus conſiliis mentem abſtinuere, ut nihil ampliùs eo anno adverſus Remp. attentare

H 2 auſi

1657 auſi fuerint. Quapropter potiorem autumnalis, hybernæque tempeſtatis partem copiæ utrinque in ſtationibus conſumpſere.

1658 Sed Maurocenus inopinatis motibus barbaros deprehendere conſtituens, Idibus Februarii Præfectum navium Hieronymum Contarenum, ſedulum in re navali virum, ad Helleſponti fauces cum navibus mittit, ut vacuo hoſtium inſidiis pelago, aptiùs ipſorum inſulas aggrederetur. Inde, cum triremibus interjectum mare exploraturus, Chium proficiſcitur: quatriduumque ob maris æſtum ibidem commoratus, compoſita demùm tempeſtate, Aſtypalæam inſulam contendit. Hinc brevì Chalciam deventum. Inſula hæc Turcarum ditionis, duodecim mille paſſus à Rhodo Cretam verſus diſtat; cujus incolæ non vectigalibus tantùm, ſed nullo officii genere ſe Reip. obſtrictos jactantes, jamdiù patientiam Venetorum laceſſerant. Opportunum ratus Imperator horum audaciam cohibere, ut in eodem periculo par adjacentibus inſulis metus eſſet, occupandi per vim loci ſpe permotus eſt. Itaque excurſibus primùm, agrorumque direptionibus oppidanos perturbavit: mox tanto ardore irruit in arcem, ut, ſuperatis mœnibus, omnia pavore, ac cædibus impleverit. Tunc reſiſtentium plurimi trucidati: reliqui ſpontè dedere ſe in ſervitutem. Actâ dein à militibus prædâ, ac velis in altum datis, Carpathum inſulam, inter Cretam, Rhodumque ſitam, pergit.

Frãcíſcus mittit Hieronymum Cõtarenũ ad Helleſpõtum.

Chalciam inſulam tenìat;

ac ſubigit.

Verùm

1658

Tẽpeſtas maris, & claſſis naufragium.

Verùm dimidio vix itinere confecto, adeò pelagus ventis repentè urgentibus intumuit, ut veluti continuis aquis cum nubibus mare coiret. Jamq; ſubitæ nubes cęlum abſtulerant, jam clavus non ſequebatur ducentem; illiuſq; pręſertim triremis latera, quam Imperator conſcenderat, ita laxabantur ad fluctus, ut neque irrumpentes undas propellere, nec ſalutem, vento artem ſuperante, nautæ ampliùs ſperarent. Poſtremò, cùm ingenti aquarum impetu fractum eſſet gubernaculum, cęcis itineribus ita paſſim per pontum trahi triremis cępit, ut ejuſdem curſum regeret vis ipſa procellæ. Itaque cedendum fortunæ Maurocenus intelligens, adeò ut, ſi maris iram effugiſſet, cautibus demùm illiſa navis frangeretur; adverſo fato perculſus ita doluit, ut tamen ſaluti ſuorum forti animo proſpiceret. Cùm enim de more ſola Imperatoria triremis facem in ſumma puppi elatam ferret, quam reliqua claſſis ſequebatur; extingui eandem (ſatis efficax exemplum ad probandam in ſuos caritatem) imperavit: mallens, ſervatis ſociis, ipſe perire, quàm ſuorum diſcrimine ſervari. Dimoto ab Imperatoria navi lumine, quiſque ſui fati vim ſectatus, hùc, atque illùc, acriùs ſęviente ventorum rabie, agebatur. Multę intereà è triremibus ejectę, aliquot in vadis fractę, cum iiſque non modica vis hominum periit. Inter reliqua majoris magnitudinis navigia ſcopulis impacta Jacobi Capellii Quinqueremis per fluctus diſperſa eſt;

Mira vis animi in Mauroceno.

1658 eſt; quamvis plurimi illorum, qui eadem vehebantur, ſalutem in littore invenerint. Plures horas proximæ mortis minas protrahente tempeſtate, jam Veneti ſuis erroribus Pelagum impleverant; cùm, diſſipatis tandem nubibus, redditoque nautis cęlo, immanes undarum vortices defecere. Cæterùm Imperatoriæ triremi ita incompoſiti maris furor ignovit; ut, licèt nullo rectore ſecuta impetum ventorum, felici tamen flatu ad Carpathi oras compulſa, ultimum diſcrimen non ſine Superum auxilio evitaverit. Collectis ibi reliquiis naufragii, Aſtypalæam provectus eſt Maurocenus; votiſque pro ejuſdem incolumitate perſolutis, integrum menſem in reparandæ claſſis operam inſumpſit.

Imperatoria triremis ſervata Carpathum appellit.

Triſte omen tunc primùm Imperium ſummum ſuſcipienti milites rebantur, quòd primis conatibus tantæ calamitatis vis obſtitiſſet. Et, ſicuti contingere in adverſis ſolet, excidiſſet animo virtus expectatione tanti ducis excitata, ni promptioribus ejuſdem ſtudiis rursùs erecti, vires ad hoſtium excidium reſumpſiſſent. Nuſquam intereà cunctandum intelligens Imperator, cùm, veluti obſtupeſcente ad recentem cladem exercitu, calido adhuc vulneri ſenſus abeſſet, elapſi temporis jacturam illuſtrioribus factis penſare conſtituit. At in Cytheram trajiciens, cùm ab incolis admoneretur Turcarum claſſis Præfectum XL. cum triremibus, nonnulliſque navibus paulò antè ab Helleſponto exiiſſe

Claſſis prope Cytheram convenit.

(non-

(nondùm Hieronymo Contareno ob tempeſtatum diſcrimen fretum cuſtodiente) latèque per Ægæum non ſine noſtrorum detrimento evagari, aliis curis aperire animum cœpit. Suſpicatus enim magni aliquid hoſtem auſurum, ſi, omiſſa inſularum defenſione, navalium copiarum robur aliò deduxiſſet; claſſe ibi detenta, ſua accuratè tueri decrevit, donec, Italicis adventantibus copiis, tutiùs, exercitum dividendo, vires diſtrahere poſſet. Interim nullus ocio dies dabatur. Modò ad publica negotia accolas concire, modò militum animos ad conſtantiam componere, ſæpè à ſubactis exigere tributa, ita ut & robur, & fides in dies augerentur. Talia paranti Venetorum ſubſidia, cum iiſq; Pontificiæ, Melitenſes, atque Etruſcę triremes ſupervenere. Erectus indè fiducia virium Imperator, ubi ſuſpectiora loca idonea navigiorum manu permunivit, nihil magis optabat, quàm navali prælio barbarorum copias diſſipare. Igitur, cùm per expeditas biremes, ad explorandum miſſas, innoteſceret hoſtilem claſſem prope Paron detineri, illùc extemplo properatum. Neque perfunctorio penitùs itinere. Quippè, cùm ſub lucis exordium ad inſulam perventum eſset, deprehenſos ibidem barbaros ad certamen penè provocaverat. At ii more ignobilium ferarum, quæ ad crepitum arborum, nemorum receſsus petunt, vix conſpectis noſtrorum ſignis, prelii diſcrimen ſubire non auſi, velociter

1658

Navaliũ ſociorum advẽtus.

Imperator Paron proficiſ.itur.

ter

1658 ter adeò aufugerunt; ut capi ſuos, quorum aliquot copias in littus effuderant, quàm tuendo eos pugnam inire, maluerint. Itaque citiùs hoſtes præceps curſus abſtulit, quàm Maurocenus cominùs eos ferro laceſſeret. Sed non eadem evadendi felicitas iis, qui in extrema inſulæ ora auxilium à ſuis fruſtrà poſcentes, inventi ſunt. Siquidem facilè à Venetis circumventi, nulla propemodùm cõntentione, tranſierunt in ſervitutem. Hoc perfecto, aliò utiliorum motuum ſpes claſsem revocavit.

Turcarū aliquot copias ſubigit.

Inerat animo Imperatoris præclariſſimi facinoris cupido, cujus exitum ni caſus multiplici errore diſtraxiſsent, vindicata à tyrannide Turcarum Creta, tota denuò paruiſset Imperio Venetorum. Compulſa enim hoc eventu hoſtium claſse, cùm pavidus ejuſdem Præfectus abeſset, nihil utilius, ampliuſque ad gloriam Reip. futurum intellexit, quàm ut Veneta claſſis Cydonem oppugnatum duceretur. Urgebat acrem animum victoriæ decus, & pręmium: tanti enim operis merces poſtrema hoſtium conſternatio futura videbatur. Quamobrem, & rei magnitudine, & opportunitate temporis incitatus, vix Proceribus claſſis hac de re animum aperuit, cùm mirabili animorum conſenſu, quæ apud ſe conſtituerat, eadem ut ageret, omnes ſuaſere. Verùm, cùm illud ſperandæ victoriæ argumentum eſset, quòd Cydon tunc temporis tenuiſſimo obfirmaretur præſidio, in

Statuit Cydonem adoriri.

eo

eo fiduciam proſperi eventus quiſq; collocabat, ut, 1658
omnibus quàm occultiſſimè comparatis, in conſpectum urbis ex inſperato exercitus erumperet. At alia Superum decreta. Cùm enim hoſtis abeſſet, qui conſilia noſtrorum prępediret, verterunt hi in ſuos armorum detrimenta; temeratiſque ſecretis, Cretæ incolumitatem penè ab Imperatoris manibus eripuere. Jam, inchoato proſperis auſpiciis itinere, Delum inſulam ventum erat, eductoque ibidem milite, omnium ſpem fronte, alloquiis, atque exemplo adaugens Maurocenus, ſedulò inter duces obſidionis laborem partiebatur: cùm exorta inter Franciſcum Marchionem de Villa nova, & Jacobum Equitem Gremonvillium, qui pręcipuis belli officiis fungebantur, tacita primùm contentio, utri ſcilicet primum ejus facinoris munus demandari æquius eſſet, brevì in apertas iras proſiluit. Quis crederet? Sic inter ſe de redimendæ Cretæ momento certabant, tanquam duos tanta victoriæ magnitudo non caperet. Impletis hac diſſenſione cohortibus, cùm ea, quæ inter ſe duces clàm conſtituerant, paſſim per Inſulam vulgarentur; factum eſt, ut per quoſdam Tænariorum myoparones, Delo tunc Cydonem proficiſcentes, meditatę obſidionis ratio hoſtibus aperiretur. Tunc ab iis non ultrà dilata munimenta, ne imparatos Venetus miles inveniret. Igitur mittere ſtatim ad convocanda finitimorum auxilia, ſtruere inſidias viarum, non modicam

Sed diſſenſione Ducũ inceptũ pervertitur.

Turcę, detecto noſtrorum conſilio, parantur ad bellũ.

1658 triremium manum deducere in portus cuſtodiam, omnem denique belli apparatum in urbem redigere. Quæ, ut renunciata ſunt Mauroceno, cùm recludi, quę premeret, conſcios hoſtes, cuncta bello proviſa, neq; ſine ingenti copiarum diſcrimine intentari obſidium poſſe animadvertiſset; à conſilio ſuperiore dejectus, in Turcicę claſſis Pręfectum impetum vertit. Hunc ad interiora uſque ſinus Adriatici perductum, non ſine principis Urbis ſolicitudine, commeatuum commercia intercipere, relatum fuerat. Itaque navali certamine mulctaturus hoſtis audaciam, explorans, qua aptè capi poſset inter anguſtias, diù Supero ex mari reducem circa Peloponneſi littora inſecutus. Tandem, eodem prope Eubœam repentè deprehenſo, cùm ad pugnam omni ſtudio ſuos impelleret, impar pernicitas navigiorum priùs barbaros abſtulit è conſpectu, quàm, undè ii ſolverant, Veneti convenirent.

Maurocenus claſſem hoſtilem inſequitur.

At Turcæ diffugiūt.

Sæpè eâ tempeſtate Thraces incertis latebris Maurocenum fatigavere. Bis prope Chium penè circumventi, totidem claſsem verterunt in fugam. Quamobrem, cùm inutiles conatus totam penè æſtatem conſumpſiſsent; ſatius eidem viſum, eò copiarum robur ducere, quò tutiùs ob hoſtium formidinem, ſpoliis eorundem potiretur. Igitur ad Claron præcipuam Myrtoi maris inſulam provectus, cùm tentari eam placuiſset, non illicò ad vim cuſtodibus inferendam,

Claron inſulam Maurocenus armis expugnat.

dam, cohortes in littus effudit. Sed oſtentans 1658
leviorem ſervitutem apud Venetos deditis, quàm
bello, armiſque ſubactis futuram, monuit eos,
ut ſibi proſpicerent; neve ſervandarum mercium
gratia, quibus affluere incolas fama vulgave-
rat, vitam miſerrimè perderent. At iniquo a-
nimo ferentes Turcæ refertiſſimam opibus ar-
cem à noſtris diripi, ad arma unanimes confu-
gere. Conſilii tamen infelicitatem brevì even-
tus oſtendit. Quippè, omnibus ad bellum utrin-
que comparatis, cùm oppidum undique Vene-
tus miles adoriretur; tantus repentè pavor, in-
certum pęnitentia, an interno diſſidio, propu-
gnatores invaſit, vix ut clamorem aſsultantium,
nedùm impetum ſuſtinuerint. Captis ergo mœ-
nibus, cùm nonnulli diſcurrentium cęderentur;
reliqui, ablato effugio, catenis obruti ſunt.
Continuò arcem Venetus miles depopulatur;
VIII. tormenta muralia aſportat. Poſt quę diſ-
jici muros, imperatum: neque ante diſceſſum
indè eſt, quàm cætera flammis corrumperen-
tur. Feſtinanti poſt hæc in hyberna Mauroce-
no quatuor onerariæ naves prope inſulam oc- *Quatuor*
currere; quibus ſubigendis modicum laboris *onerarias*
inſumptum. Siquidem, in Venetorum poteſta- *occupat.*
tem redactis poſt brevem pugnam navigiorum
rectoribus, ingens annonæ copia, quam Cydo-
nem erant delaturi, collecta eſt in triremes;
adjectiſque reliquæ claſſi navibus, Samon de-
ventum. Novum hìc victoriæ genus. Cùm e- *Samon*
populatur.

1658 nim non modicam equorum manum, cuſtoditam à Turcis, in littore deprehendiſſet Imperator; levis armaturæ cohortem expoſuit, quæ cuſtodes belluarum invaderet. Neque mora. Nam pars occupavit equos; reliqui Turcas aggreſſi, haud levem non tàm hominum, quàm equorum tumultu pugnam conſervere. Diù anceps contentio non ſtetit: Veneti enim, pulſis hoſtibus, potiti equis rediere in triremes; continuòque Melon properatum eſt.

Turcarũ motus.

His dùm vacabat Maurocenus, diſtractus à Daciæ motibus Mahometes (nova illìc rixarum ſemina) Cydonem tantùm, ac Rithymnam præſidiis, atque annona firmare conatus eſt. Reliquam armorum curam haud negligens, augendis maritimis copiis ſedulò ſtuduit; ut tandem, Daciæ rebus compoſitis, bellum in Cretam totis cum Imperii viribus verteretur. Nec ulla arte flectere ejus animum in hac rerum inclinatione Veneti potuere. Cùm enim Joannes Capellius D. Marci Procurator, ac Joannes Baptiſta Ballarinus à Secretis Senatus, Byzantii Remp. procurantes, experti fuiſſent, eam Turcarum indolem eſſe, ut largitione, & pecunia, quæ armis quandoque validior eſt apud inhiantes muneribus Thraces, vinci poſſet; munerum oſtentatione Cydonem, Rithymnamq; repetere, ac bellum penitùs inhibere adnixi ſunt. At jactans Mahometes, nonniſi integra Cretæ inſulæ conceſſione paſſurum Regem bel-

Capellius, ac Ballarinus tractant cum barbaris de ineundo fœdere.

Sed incaſſum.

li con-

li conſilia langueſcere, quæ hac ſpe obtineri 1658
poſſent, oſtendit; ſi ſecùs, omnia vi, atque ar- *Igitur animi parantur ad bellū.*
mis conficienda. Verùm Patres, quod jure poſſi-
derent, etiam armis tuendi animum ſibi eſſe af-
firmantes, illud in poſterum curàvere, ut ſufful-
tæ novis delectibus navales copiæ proximo ve-
re ad gerendas res in Græciam convenirent.
Cùmque ob immenſos belli ſumptus egeret æ- *Mira Patrum Venetorū virtus.*
rarium, libens Senatus opes ſuas in medium
protulit; ut planè unuſquiſque Patrum in rei
familiaris locum adoptaſse ſibi communem
Reipub. defenſionem videretur. Hinc Mauroce-
no, cujus prudentiæ Senatus fiducia inniteba- 1659
tur, prorogatum eſt Imperium: ipſe verò poſt
deductum in hyberna exercitum, per omne re-
ficiendarum virium ſtudium totum fermè hye-
male tempus tranſegit. Has curas propior re-
rum proſperarum occaſio cum vere ſubivit. Miſ- *Tænariorum legati ad Maurocenum.*
ſi namque ad Imperatorem à Tænariis legati,
qui fidem ſimul, & opem ad novos conatus
pollicerentur; indicatiſque captu facilioribus
Peloponneſi oppidis, ad tutiores victorias eum
veluti manu perducerent. Populi quidam Tæ-
narii ſunt illam Peloponneſi regionem inco-
lentes, quæ Septentrionem, Ortumque ſolis
intercedit (hæc à quibuſdam Leuctrum appel-
latur) &, quamvis barbarorum inter provin-
cias degant, pietate tamen, atque inſtinctu a-
nimorum ita verę religionis cultui addicti ſunt,
ut Turcarum jugo ſolvendorum dumtaxat ve-
ctiga-

1659 ctigalium nomine ſubjiciantur. Amplexatus ſtatim horum fidem Imperator, ut preveniret hoſtium motus, amicorum pœnitentiam, cùm legatos eximiis præmiis donaſset, propoſitum primò ab iis accepit, Abæam (hæc veteribus Hira) inopinanter trajiciendi. Magnam ea in urbe rerum omnium copiam, aptumque navibus populum, qui facili negotio in poteſtatem venturus eſset: locum verò ipſum, quia ab imparatis cuſtodiebatur, vel minimo labore oppugnantibus ceſsurum. Itaque, excepto Tænariorum præſidio, ubi in ſinum Meſseniacum deductus eſt, inſtruendam aciem Equiti Gremonvillio Copiarum Præfecto tradit. Indè in Abææ conſpectum pergit: dùmque à metatoribus haud procul à vicis caſtra ponuntur, Abeatarum vulgus, commotis repentino hoſtium incurſu animis, in Venetos, neglecto diſcrimine, audacter deſcendit. M. fermè pedites, CCC. verò equites incolarum eruperant; quos ſi in urbis præſidio meliora conſilia detinuiſsent, ſicuti plurimi eorum incolumes, ita difficilior obſidentibus victoria. Veneti equites, quibus Georgius Cornelius Eques probatæ fortitudinis dux præerat, primo hoſtium impetu ſtrenuè ſuſtentato, cùm ignara incolarum turba nec concurſando ſigna ſequi, nec ſervare ordines edocta per campum latè ſpargeretur, tantam ipſis cædem intulere, ut fermè dimidium cohortis in ipſo pugne exordio ceciderit. Barbari, ubi

Imperator ſtatuit Abæam obſidere.

Eruptio Abæatarum.

Eorùndem cædes.

ubi tot ſuorum corpora proſtrata circumſpexerunt, confuſione primùm, mox tanto impendentis lethi terrore obruti ſunt, ut præcipites ad proxima mœnia certatim contenderent. Tunc, impellente copias Mauroceno, uſque intra muros aſſiduis cladibus acti Abæatæ. Quò cùm non cæde ſolùm, ſed immixto fugientium agmine coacervarentur manipuli, aliique ſuper aliorum corpora ruerent, atq; incolumes sauciis, vivi jam trucidatis cumularentur; pauciſſimi eorum, declinatis victorum gladiis, urbem intravere. Occupatis hac hoſtium conſternatione vicis, continuò exercitus in urbem irrupit. Nec fruſtrà in ea laboratum. Namque, confractis obicibus, atque incolis fermè cunctis occiſis, vix ſuperfuit, qui in arcem illaberetur. Contemplatus tunc loci naturam Franciſcus, eam potiſſimùm partem tentare cœpit, quam maximè munimentis deſtitutam deprehendit. Laceſſita ergo arx omni genere tormentorum. Demùm, cùm, via per murorum ruinam patefacta, ad manus deventum eſset; paucorum cædem loci deditio conſecuta. Abæatarum plurimi ad complendos remigum ordines coacti; XIV. muralia tormenta in claſſem recepta; devaſtatam verò igne urbem milites ex edicto Imperatoris ſolo æquavere.

1659

Urbe capta,

Arx quoque ſubigitur.

Abæa nullo propemodùm detrimento virium expugnata, repentè Tænariorum ardor evanuit. Hinc, qui primùm inſtructos ſe ad diſcrimi-

Tænarii recedunt.

1659 crimina quæque exhibuerant, nunc variè, ne bellum invaleſceret, robur Turcarum, ſuorum paucitatem cauſabantur. Motus Imperator inconſtantia gentis, ne, ſi ultrò proceſſiſset, inſidiis undique clauderetur, ad illud animum intendit, ut paratos egredi Helleſponto Turcas non modò à Creta, ſed ab Ægęo etiam ſummoveret. Jamq; ad Melon inſulam pervenerat, cùm renunciatum ibi XXXVII. hoſtium roſtratas naves prope Chium conveniſse. Ratus idcircò, utilius fore eam claſſis partem diſſipare, cùm intereà ab Hieronymo Contareno navium Præfecto Helleſponti fauces ſedulò cuſtodirentur, Chium advolavit. Claſse haud procul ab inſula perducta, ne fortè hoſtium navigia fugam capeſſerent, ſinus oſtium obſideri pręcipit. Verùm, cùm paulò antè ad Jonium ſinum Turcę divertiſent; eò properantes Veneti, apud Argennum promontorium in conſpectum hoſtis advenerunt. Tunc pugnaturi inter ſe pręlii munia partiuntur; quiſque alacri oratione ſuos accendit, objectiſque quinqueremibus, claſſi hoſtium propinquat. At paria utrinque vota non erant. Quippè, ſicut Fidelibus nihil certamine optabilibus, ita nihil magis inviſum barbaris: immò, quò intentiùs illi manus conſerere concupiebant, eò celeriùs Turcarum Pręfectus fugam arripere annitebatur. Juſſi nihilominùs Veneti palantes triremes perſequi: indè expeditiores eorundem naves adeò in curſum effundi cępere, ut

Maurocenus Turcicas triremes inſequitur.

Sed barbari fugiunt.

1659

Antonii Barbari, ac Hieronymi Piſauri facinus.

ut penè ad regia hoſtium ſigna pertingerent. Inter reliquos duces Antonius Barbarus, Hieronymuſque Piſaurus, ille Claſſis, hic Adriatici Sinus Præfecti fugientium itinere præoccupato, ſibi quiſque triremim ſubegerat. Hinc noſtris robur, ſumptuſque certatim in barbaros impetus. Neque majori victoriȩ locus reliquis defuiſset, ni ob graviorem quinqueremium molem, quȩ pari celeritate ferri non poterant, ac poſtremò obverſum in Occidentem ſolem, longè jam ablatis hoſtibus, ſignum receptui tubæ ceciniſsent. Turcarum formido auxit cupidinem pugnȩ. Igitur Lyciȩ oras explorare decrevit Imperator, ut inſidiis circumventam illorum claſsem denuò aggrederetur. Sed pavitantibus barbaris Rhodi primùm, mox Chii portus ſubſidio fuit: utrinque enim aptè dilabentes, copiam dimicandi Venetis eripuere. Intelligens Maurocenus, fruſtrà tentari hoſtis vecordiam, ad Helleſpontum, res ſuorum inviſurus proficiſcitur. Quò cùm ab Contareno apprimè obſeſsas freti anguſtias, paratumq; ſtrenuè ducem ad quodcunque navalis pugnȩ diſcrimen, animadvertiſſet; firmatis omni ex parte cuſtodiis, ad majora triremes iterùm ducit.

Maurocenus trajicit ad Helleſpontum.

Non viſum tamen eidem longiori itineris tractu à ſuis abeſſe, ut promptum ſe ad occaſiones perhiberet. Idcircò Toronaicum in ſinum provectus, qui in littoribus Macedoniæ eſt, cùm opportunum turbatæ procellis Turcarum claſſi

Inde Toronem appellit.

K por-

1659 portum jamdiù cognoviſſet; loci utilitatem hoſtibus ablaturus, navales, terreſtreſque copias ad arcem admovere conſtituit. Torone ei nomen *Torones deſcriptio, & Situs.* eſt; quę Orientem verſus faucibus portus imminens, anguſto telluris tramite continentis crepidini adhæreſcit. Locus ſaxo quadro ſeptus, non tàm magnitudine molis, quàm ſitus naturâ ęſtimandus, quòd vel modicis viribus defendi facillimè queat. Tutum ibi claſſis Turcicę effugium, & prompta navium, ob ſaltuum copiam, inſtauratio. Sed Maurocenus, ne à proximis oppidis ſubſidia ad Toronęos mitterentur, expeditam velitum cohortem è triremibus expoſuit, quæ brevem illam terræ partem, per quam locus continenti jungitur, circumductâ acie obſideret. Nondùm Venetorum manus utiliſſimum arci tramitem occupaverat, cùm incolæ, cognito conſilio, timore abjecti, famiſque vim è longinquo reformidantes, locum deſeruere. Tunc *Occupatur a Venetis.* divitem arcem ęxercitus ingreſſus eſt. Reperta tormenta bellica majora XXXIV. cum iiſque ingens mercium, annonęque congeries: nonnulli prætereà ex incolis in ditionem tranſierunt. Prædâ relatâ, ne denuò locus emolumento Thracibus eſſet, effoſſis cuniculis, męnia funditùs everſa ſunt.

Vix Imperator portum relinquens altum tenuerat, cùm erectos ſummoperè ſuorum animos ſentiens, ex præſentium proventu ad altiora mentem erexit. Situm eſt in Chii inſulæ con-

1659

Chiæ arcis deſcriptio.

conſpectu pervetuſtum oppidum (Ciſmum vulgus appellat, Chiamq; arcem quidam ex ſcriptoribus nuncupavere) quod ab Aſiæ minoris continenti modicè porrigitur; & ſicuti difficilem ad ſe aditum ob munimentum portus exhibet, ita duplici murorum corona circumdatum eſt. Dives populus, vicorumque, ac camporum adjacentium ubertas, quos ingens hominum multitudo oppido perutilis incolebat, quibuſdam ex Venetis ducibus capiundi loci deſiderium anteà fecerant. At ſtudia incaſſum adhibita: nam firmitas arcis, ingenſque præſidium, quod in illius cuſtodiam ſervabatur, inanes motus non unica vice reddiderant. Veruntamen Maurocenus, quem à fortibus conſiliis ardua non revocabant, fretus plurimùm ingenio, licèt quampluri-

Maurocenus conſtituit arcem oppugnare.

mi ſuorum à tentandi oppidi diſcrimine abhorrerent, jam ſecundum eventum animo præceperat. Igitur, ut ad certam victoriam properans, eò proras convertit. Intereà, cùm nonnullis ex Proceribus validiſſima hoſtium munimenta, quibuſdam inacceſſa loci ſtructura occurreret, paſſimque irriti aliorum conatus in memoriam redigerentur; ut proſperi eventus ſpe omnes confirmaret, *Niſi à leviſſimis*,

Oratione ducum animos firmat.

inquit, *rerum ſummam plerumque pendere crebra pugnarum experimenta me docuiſſent, annuerem hodie, milites, veſtro, penè dixerim, timori; atque à re periculo plena animum, armorumque vim lubens avocarem. At, cùm ſæpiſſimè cognitum, maximos bellorum exi-*

1659 *tus à temporis momento, parvaque, haud tamen neglecta occaſione profectos fuiſſe: non video, cur præſentis victoriæ opportunitatem, dùm mihi ratio decipiendi hoſtes ſuppetit, pene unanimes contemnatis. Arx in propinquo eſt, veſtra opinione magis, quàm incolarum fortitudine tuta; eòq; pronior ad ruinam, quòd nondùm extremos aggreſſionum impetus pati conſueverit. Hæc vobis petenda: ſed priùs aſtu evocandi è muris oppidani, ut diviſos, incautoſque faciliùs opprimatis. Nec, patrata cæde, in arduo erit aditus ad ſuperandos muros, propugnatorum copiis anteà denudatos. Quod præmium adſit; decus facinoris, divitias incolarum ob oculos ponite. Sed quid cunctandum, ubi captæ arcis gloria triumphi titulo accedit? Si meis conſiliis fides ineſt, præſtate fortem animum: magna pars victoriæ erit, vincere voluiſſe. Eos alloquor, qui, me imperante, toties plena manu victorias, ſpolia, plauſus uſq; in hanc diem aſſecuti ſunt. Ego ipſe dux in agmine, in diſcrimine commilito, ingenio, voce, manu ubique adero, brevì quidem debellatæ arcis laudem inde relaturus.* Hic Mauroceni ſermo ita copiarum fiduciam excitavit, ut nemo auderet illius belli exitum in dubium revocare, cui Imperatoris mens adeò confidebat. Quapropter, cœpto ad oppidum itinere, ubi eò Veneti convenerunt, ſpeculatus Franciſcus non è longinquo ejuſdem munitiones, omnem conſilii vim adhibuit, ut, expectationem oppidanorum decipiendo, tutiùs muris potiretur.

Continuò ſequitur ardor militum.

Aſtu deducuntur incolæ ad eruptionem.

Expoſitam itaque levis armaturæ cohortem, ſpecie hauriendæ aquæ è fontibus, quibus regio abundat, ad imminentem arci collem miſit;

ſit; ratus ſpe certaminis, prædęque, incolas, uti 1659 conſueverant, adfuturos. Neque eum fefellit conjectura. Quippè vix proximum tumulum manus noſtrorum inſederat, cùm plurimi oppidanorum ingenti clamore erumpentes in hoſtes ſubito impetu irruunt. Tunc Imperator raptim portum ingreſſus, auctiorem militum cohortem educit, ſuperatoque callium flexu, à tergo barbaros adoritur. Ad hæc cùm ii, qui vim inſequentium fugam ſimulantes paulò antè declinaverant, adverſus eoſdem inopinanter converterentur; redacti inter anguſtias Thraces, *Cęduntur* utrinque atroci clade à Venetis concluſi. Hinc *à Venetis.* tantus deceptorum pavor exortus, ut non modò quiſque hoſtem ampliùs non propelleret, ſed, quà datum iter, univerſi in fugam agerentur. Cæſa hoc fraudis aſtu penè omnis palantium incolarum multitudo: cùmque aliquot gnari locorum gladios decurrentium incertis latebris evitaſſent, in arcis conſpectum Venetus miles reducitur. Intereà Bernardus Nanius Præfectus Quinqueremium, notęque vigilantiæ dux, ad disjiciendos muros ab Imperatore delectus, arcem ingenti propugnantium pavore concutiebat. Utque à ſuperiore pugna victores manipuli rediere, ſigno dato, alii ad portas conten- *Fit impetus in arcem;* dere, pars ſcalas inferre propugnaculis, plerique ſuperare mœnia, omnes penè exhauſtum proxima militum eruptione oppidum ulteriori cæde implere. Impigrè nihilominùs aderat reliqua

1659 liqua incolarum turba, nitenteſque per ardua Venetos paſſim deturbare moliebatur. Verùm atrox tantùm in ipſis murorum anguſtiis prælium fuit. Nam, cùm Veneti ſecuri jam de incolumitate, de gloria certarent, brevì ulteriùs irrupere. Ubi autem multiplici ex parte tumulos occupaverunt, cædes, non pugna exorta: adeò enim in barbaros ſævitum eſt, ut non ætas, aut ſexus eoſdem à ſtragibus exemerit. Trium horarum ſpatio hæc geſta ſunt. Tantumque inſperatæ victoriæ gaudium inceſſit, ut vix actæ rei fidem milites caperent: mirantibus cunctis, tam validæ ſtructuræ oppidum, fruſtrà à tot ducibus tentatum, tanta celeritate, ac nulla propemodùm ſanguinis effuſione, expugnari potuiſſe. Nec leve victorum præmium fuit, domos incolarum diripientium, opeſque tot annos inexpugnabilis loci fiduciâ congeſtas. Quę ubi peracta, onuſtus miles manubiis Turcarum, cùm utiliora quęq; ac inter ea LXXVI. Tormenta, in triremes comportaſſet, jubente Mauroceno, arcem incendit, evertitque.

Quę expugnatur.

Imperator ad Helleſpontū proficiſcitur.

Properans poſt hæc ad Helleſponti fretum Claſſis, cùm Trojæ oris propinquaret, ingens tormentorum fragor exauditus; ex quo pugnari ab Contareno deprehendens Imperator, eò, remiges acriùs impellendo, feſtinavit. At, niſi dirempta contentione, ad locum deventum non eſt. Namque Contareni naves adverſo ventorum impetu extra ſinum compulſę, diutiùs in certa-

certamine detineri haud potuerant. Intereà tamen, cùm Thraces viam ſibi ad egrediendum munientes, prope Seſtum oppidum, in Europę extremo ſitum, anchoras jeciſſent; ut primùm æſtus defecit, denuò fretum ſubeunte Maurocено, Veneti omnes ducentem impavidè ſecuti. Tunc triremes, quarum ope naves quoque remulco trahebantur, primæ auſæ hoſtem laceſſere: Imperator verò ultra provectus, cominùs rem gerere exoptans, cum Præfecto Thracum prælium init. Ille animò adeò erecto, ac deſpiciente fortunam congredi cum hoſte conſueverat, ut omnia virtuti magis conceſſura, quàm vires Turcarum, & quęcunque caſus in pręliis objectare ſolet, fortibus conſiliis detrahere quidquam poſſent, arbitraretur. Econtrà Barbari, quamquam noviſſent famæ in bellis maximam eſſe jacturam, nec minus ſe tunc exiſtimationis ob vecordiam, quàm ſuperioribus annis, ob debellatam claſſem amiſſuros, nihilominùs animis omninò impares, ita aciem collocaverant, ut ſolertiùs viderentur curaſſe, quà ſubterfugerent victi, quàm quò ex hoſte victoriam referrent. Igitur tormentorum ictibus tantùm à ſe invadentem repellere; plurimùmque fiſi oppidi munimentis, confertim penes littus conglobare navigia, nullum ulteriori pugnæ aditum prębentes. Sed adhuc Maurocenus ſuis ſtimulos addens, multiplici conatu trepidantes divexabat. Utque imperiis exempla conjungeret, eouſque pro-

1659

In Turcarum claſſem invehitur.

1659 proveƈtus eſt, ut tergis cedentium aſſultaret. Nec ardor diſcrimine immunis. Quippè ferrea glande dejeƈtus improvisò malus, ſuiq; ponderis ruinâ in ſubjeƈtam turbam devolutus, aliquot ex Imperatoriis militibus interfecit. Ille nihilominùs animo ad patrandum facinus confirmato, cùm ferro, atque igne cunƈta miſceret, multique ſuorum Turcicis navibus immixti, cominùs aggredi eaſdem conarentur, ita demùm barbari virtutem Franciſci pertimuere, ut terga vertentes, in interiora ſinus, quà anguſtiori divortio Aſiæ, atque Europæ labia invicem porriguntur, confraƈta navigia redegerint. Perſecutus Imperator, quoad potuit, fugientes. Tandem gnarus nullam pavidis ſpem proficiſcendi in Cretam eo anno ſupereſſe, illud ſedulò providit, ne aliundè ad infeſtandam inſulam copiæ barbarorum confluerent. Nec deerat occaſio, ni hoſtium motus ipſe occupaviſſet. Enimverò per eoſdem dies XXIV. Alexandrinas naves, annonam, atque armatos convehentes, brevì Cydonem t rjeƈturas, nuntiatum. Igitur, colleƈtis triremibus, Rhodum extemplò contendit. Verùm Ægæi, mox Carpathii maris adverſam navigationem perpeſsus, cùm diù navigia barbarorum, ſtruƈtas à Mauroceno inſidias non ignorantium, oppertus eſſet, opportunior tempeſtas per has moras elapſa eſt.

Confringitur in ipſa pugna Imperatoria triremis malus.

Fuga barbarorum.

Mauroceνus Rhodum ſe confert.

Intereà, cùm Contareni naves Rhodum appuliſſent, per eaſq; tranſitus in Cretam interciperetur;

retur; ſcrutatus ſuas, hoſtiumque vires, & quo- 1659
nam facinore peractas ea tempeſtate res claude-
ret, Chelidoniam Mediam, quam vulgò Ca-
ſtrum Rugium nuncupant, obſidione tentare
conſtituit. Jacet inſula inter Cretam, & Cy- *Chelido-*
prum, mille paſſus ab Aſiæ littore ſejuncta; *niæ mediæ*
quę, cùm ob Ægyptiarum navium commercium, *deſcri-*
tùm ob viciniam continentis, magnarum opum *ptio.*
fama pollebat. Mediam dixere, quòd inter duas
alias ejuſdem nominis inſulas poſita ſit, quas o-
mnes æqualis fermè itineris tractus utrinque
diſterminat. Valida illi munimenta, crebrę tur-
res, & duplex murorum ordo. Oppidum præ-
tereà lectiſſimo refertum præſidio, ac turba co-
lonorum, quę ad propellendos hoſtium conatus
intra muros redigi conſueverat, bellum impe-
ditum, arduum, cruentum minabantur. Sed,
cùm hæc Imperatorem avertere à priore conſi-
lio haud potuiſſent, eò brevì, ſecundante ven- *Ejuſdem*
to, naves convenerunt. Primum obſidionis mu- *obſidium.*
nus Petro Quirino prę̨clarę indolis viro deman-
datum; traditęque eidem quinque triremes, qui-
bus commeatus ab inſula prohiberet. Reliqua
navigia eo ordine portui applicita, ut lædi ab
oppido minimè poſſent. His proviſis, ductus ab
Gremonvillio miles deſertos ab incolis vicos, o-
mnes enim intra arcem confugerant, depopula-
tur. Mox caſtris in propinquo communitis, paſ-
ſim mœnia infeſtantur, hinc à triremibus, il-
linc à diſpoſitis per idonea loca tormentarìis ſug-

1659 geſtibus, ubique ab nunquam intermiſſis ſtudiis Mauroceni. Sed natura ipſa loci oppidanos adjuvabat. Quippè cùm parari utrinque cuniculos placuiſſet, ita ſaxum, cui impoſita muri fundamenta erant, nixus Venetorum foveas molientium eluſit, ut penè incaſſum labor ceſſerit.

Nihilominùs impar animus obſeſſis erat: & præcipuè cùm illata à muralibus tormentis damna ſummoperè eoſdem deterrerent, veriti, ne pervicaciâ Veneti efferarentur, poſt aliquot dies de deditione locuti ſunt. At Franciſcus, quem non minùs delectabat virtus etiam in hoſtibus poſita, quàm abjectiſſimus eorum pavor incendebat, intra aptè communitam arcem immeritò trepidantes ita mulctare ſtatuit, ut aſpernatus deditionis conſilium, eos armorum vi cadere, quàm propera, turpique conceſſione incolumes eſſe maluerit. Igitur validiore tormentorum impetu muri concuſſi. Ubi verò ſatis aptam evadendi in oppidum viam animadvertit, inſtructis copiis, ac ſigno pugnæ dato, undique ad mœnia ſuccedere militem imperat. Tunc Veneti propinquant muris, tumulos occupant, obſiſtentes intercipiunt, ingenti clamore mutuò ſe ad victoriam incitantes. Nec multùm barbari auſi ſunt obniti irruentibus. Nam pauci admodùm deſperatione veniæ immanes redditi, fortiter pugnando ceciderunt: reliqui ſubito pavore perculſi, dùm fugam meditantur, fermè ad unum trucidati. Potitus primo murorum ambitu Maurocenus,

Franciſcus ultimam vim inferre Turcis molitur.

Arcē aggreditur,

expugnatque.

cenus, continuò impetum adverſus interiorem arcem convertit. Sed eadem hìc quoq; hoſtium formido, & pares exitus armorum. Siquidem poſt multorum cædem, ablatis obicibus, capta Chelidonia. Direpto à victoribus oppido, de illius tuitione actum. Cùmque aptiſſimus ad commercium Africæ portus eſſet, aliquot ex Proceribus, inter quos Pręfectus Copiarum Gremonvillius, in illam abiere ſententiam, ut arx idoneo communita prędidio Reipub. utilitati, ornamentoque ſervaretur. Verùm, quia nec teneri ſine validis munimentis ob loci magnitudinem, nec in tàm ardua bellorum conditione tutò diſtrahi vires exercitus poſſe videbantur; reliqui huic conſilio non aſſenſere. Ne tamen, ſi oppidum integrum, incuſtoditumque deſeruiſſent, nulla laus, aut utilitas ſequeretur, quòd ſubactum eſſet; omnia à fundamentis exciſa. Cæterùm dives præda fuit: ablata XXXVI. muralia tormenta; omnes pretereà Gręci una cum Thracibus, qui inſulam incolebant, tranſtris deſtinati. Hæc poſtquàm Imperator perfecit, Melon feſtinavit; captiſque eodem itinere onerariis quibuſdam navibus, ſæviente jam hyeme, ſeceſſit in hyberna. Intereà barbarorum Præfectus nunquam auſus Cydonem proficiſci; ne cum Mauroceno congrederetur, tota ea tempeſtate latitavit.

Chelidonia ſolo æquatur.

Veneti proficiſcuntur in hyberna.

1660

Pavor ingens in Regia Turcarũ.

Belli exitus, quod ſuperiore anno geſtum eſt, mentes dimicantium diverſis motibus affecit. Vi-

1660 res, animoſque Fideles auxerunt; barbari ferociam infregere. Quapropter mœſtum Byzantii ſilentium erat, & tacita impendentium malorum divinatio. Tot namque amiſſa oppida, fuſa ſæpiùs, atque intra Helleſpontum concluſa claſſis, tot militum millia bello exhauſta, intercepta demùm navalium ſociorum commercia ingens aliquod detrimentum Imperio minabantur. Nec aberat extremum malorum. Etenim Veneti oſtia Propontidis quotannis obſidentes, non Turcicę claſſis modò, ſed onerariarum quoque navium ab Europa, Aſia, Africaq; eò confluentium iter ita prępediebant, ut fame Byzantium urgerent. Igitur, cùm eò deducta res videretur, ut de Regię limitibus decertandum eſſet, placuit intentiùs muniri Helleſponti fauces; ne tandem Veneti proſperis eventibus elati, poſtremo nixu ipſam Imperii ſedem invaderent.

Novis munitionibus obducuntur arces Helleſponti.

Has curas levis dictu res interceſſit, quę tamen ſicuti noſtris rerum proſperarum æſtu ferventibus addidit animos ad bellum, ita ſuſpectiorem ſuorum fidem barbaris effecit. Cùm enim Rebelli cuidam Meſſanenſi commiſſa Mahometis callidi ingenii ducis, machinariiq; inſignis (hic navali Thracum præerat) triremis fuiſſet, ut ad recentiora Seſti, Abydique munimenta inviſenda deduceretur: factum eſt, ut in Venetorum ditionem ſceleris quondam peracti pęnitentia rebellem impelleret. Itaque de conſtituto itinere deflectens, muneris ſpecie Mahometem, triremim,

ſeque

1660

Maurocenus in ditionem recipit Turcicã triremim, cum Mahomete navalis Præfecto.

ſeque ipſum Mauroceno credidit, diuturni erroris improbitatem eximio facinore obliteraturus. Imperator, cùm Præfecti captivitate, tùm ſecundâ explorandi ſtatus hoſtium occaſione delectatus, Mahometem gratum populo ſpectaculum Venetias miſit; quem Patres, in pretium redimendæ libertatis M. Antonii Delphini, Turcis obtulere. Hic pueriles annos nuper egreſſus, optimi parentis Nicolai Delphini Cretæ Præfecti veſtigiis inſiſtens, dùm permixtus dimicantium manipulis è portis urbis erumpit, à barbaris circumventus, vincula eorundem non effugit. Ideò ductus Byzantium ab Thracum Præfecto Cuſseino, ut eo munere favorem Regis ſibi reconciliaret; aſpera captivitate egregium robur animi compenſabat. Sed Turcæ, quorum ea natura eſt, ut fortunam ſuorum, non ingenia æſtiment, parvi ſalutem Mahometis facientes, veluti in pignus majorum rerum, ſervare prædam ſtatuerunt. Delphinus idcircò poſt latos intrepidè carceris cruciatus, tandem viceſimo ſecundo captivitatis anno, eodem religionis amore, & conſtantia erga Remp. occubuit.

Tentatur redemptio M. Antonii Delphini.

At fruſtrà.

Iſq; tandem moritur.

At Maurocenus conſilia Turcarum per mancipia perſcrutatus, cùm hos pavore torpeſcere, deeſſe ornandæ claſſis vires, omniaque plena ſolicitudinibus accepiſſet; ſtatuit hoſtium ignaviam in Venetæ claſſis gloriam convertere. Igitur Eubœam Inſulam permodico præſidio firmatam inopinanter aggreſſurus, edixit, ut triremes

Eubœæ obſidendę conſilium ventorũ vis turbat.

1660 remes ſimul, & naves itineri quamprimùm accingerentur. Neque cępta res fortunam rationi adverſam nacta eſset; ni ſubitus turbo eò properantes Venetos variè diſpuliſset. Sed, cùm immiti pelagi æſtu in contrarias partes claſſis ſubindè traheretur, ita ut multò ante majora navigia, quàm ea, quæ remigio aguntur, Euripum ſubierint; ceſſit conatus in ſalutem incolarum, nova veteribus ob indicatum motum munimenta jungentium. Quare ſicuti ſecurum priùs hoſtem, & fiducia aliò vertentis belli ſecordiùs agentem facilè opprimi poſse ſpes inceſſerat; ita nunc, detecto conſilio, ardui diſcriminis facies cuique Venetorum occurrebat. Franciſcus hac de cauſa, ne ſummam rerum temerè in non neceſſariam aleam daret, ad tutiora converſus, Sciathum inſulam XX.M.paſſus ab Eubœæ ora boreali diſtantem proficiſcitur. Arx in ea celſo loco ſita; cujus aditus adeò anguſtus eſt, ac crebris cautibus, quibus undique inſula abundat, inęqualis, ut vix ab hominibus ſcandi queat. Validum ibi præſidium, nec defectura, niſi poſt diuturnam obſidionem, alimenta: adeò verò contumax loci populus, ut quamvis aliàs vi, atque armis cohibitus, vel ſolo vectigalium nomine offenderetur. Ad Inſulam brevì perductus Maurocenus, exploraturus animos incolarum, eos primùm ad deditionem allicere aggreditur. Simul oſtentans copiarum robur, extrema quęque adverſus pervicaces

Sciathi ſitus.

Oppidanos vocat ad deditionẽ Maurocenus.

caces moliturum ſe minitatur; nec, ſi bellum 1660 eligerent, vi oppreſsos ſæviora ſupplicia, mortemque declinaturos. Sin, poſitâ audaciâ, permiſiſsent ſe Imperio Venetorum; futuros omnes incolumes, neminem è patriis ſedibus egreſſurum; nec defuturam tutam bonorum poſseſſionem, pretium feſtinandi. At detrectantibus deditionem barbaris, ſtatim miles ducente Gremonvillio, idonea loca conſcendit. Extruendis deindè aggeribus, convehendiſque tormentis, ob inæqualia ſaxorum juga, diù laboratum. Quæ tamen ubi compoſita, terra ſimul, & mari cęptum obſidium: tantaque intra paucos dies ruina mœnium ſecuta, ut oppidanos denuò ad deditionem vocari poſse meritò Imperator putaverit. Cùm verò ii obfirmatè reluctantes, arma ſibi, paratumque libertati, aut morti animum jactitarent; non defuere inter Venetos, qui tentandum aggreſſionis impetum arbitrarentur. Sed, cùm crebrę cautes, quibus muri adhærebant, ita proclives eſsent, ut non ſolùm ab oppidanis jacta, verùm etiam quæcunq; ſuo pondere ruerent, admodùm officerent oppugnantibus; in eam ſententiam itum eſt, ut oppidum miſſilibus tormentis è majoribus bombardis exploſis eateùns peteretûr, quoad, auctis ruinis, abſumtiſque alimentis, turba incolarum ad ultimum inopiæ adduceretur. Octo dierum ſpatio ita pugnatum: Nec antè in poteſtatem arx redacta, quàm everſis turribus, męnibuſque, magna

Rennenſeſq; armis aggreditur.

1660 gna ex parte proſtratis, proxima iis ædificia igne devaſtarentur. Conſternati his cladibus Thraces, cùm eorum permulti cecidiſsent, ne reliqui feſſi fame, machinis, ferro eadem fata ſubirent, Sciathum Mauroceno tradidere. Tunc, acceptis aliquot incolarum ad remigum ordines complendos, Turcæ in proximas oras, uti convenerant, abierunt. Muri arcis ab imo convulſi; ne ex fiducia munimenti nova in poſterum pervicaciæ materia ſoboleſceret. Sancitum verò, ut Græci, qui in inſulæ poſseſſione relicti erant, quotannis mille nummos vectigalis nomine Reip. perſolverent. Indè omni annonæ, armorumque apparatu in triremes conjecto, Ægæum Maurocenus raptim emenſus eſt. Ubi autem Cytheram appulit, educto milite, ſtativa ibidem habere tamdiù decrevit, dùm navales ſociorum copias exciperet.

Sciathi deditio.

Maurocenus Cytheram advectus, ſocios ibidẽ opperitur.

Italorum triremes brevì claſſi junctæ ſunt: demùm ſub Auguſti menſis exordium aliquot naves ab Ludovico XIV. Galliarum Rege, poſt percuſsum ab eodem cum externis Principibus fœdus, in opem Reipub. miſsæ, convenere. His quatuor lectorum militum millia vehebantur, quibus Almericum ab Atheſte Mutinæ Principem, ingentiſque expectationis virum Purpuratus Mazzarinus præfecerat. Igitur, redactis in unum viribus, de gerendi belli ratione tàm magno, elatoque animo diſseruit Imperator, ut non modica victoriarum ſpe ſocios impleret.

Venetorũ, ſociorumque navalium adventus.

Almericus Mutinæ Princeps ſimul adeſt cũ quatuor millibus Gallorum.

Cùm-

Cùmque illud eſset in votis, ut Creta Inſula à barbarorum tyrannide vindicaretur: ante omnia petendam armis Cydonem, oſtendit. Omnibus ergo, quæ obeunda erant, maturè diſpoſitis, ab Cythera claſsem reduxit: Ciamumque tranſvectus, Hieram ubi tenuit, ſtatuit S. Venerandæ (ita vocant) arce potiri, ut hac capta in occupata à barbaris tutiùs irrueret. At vix levis armaturę cohors littus inſederat, cùm egreſſi ab arce oppidani progredienti Mauroceno inconditum agmen objiciunt. Prima quidęm pręlii facies atrox; cùm tota ſimul decurrentium turba magno impetu in noſtrorum ordines penetrare conaretur. Neque ſine ſummo utrinque detrimento diſceſſum indè fuiſset, ni ducis hoſtium nex, qui primo concurſu plumbea glande confoſsus eſt, reliquorum animos confregiſſet. Tunc quibus priùs in expoſcendo pręlio eadem audacia, nunc eadem in declinando vecordia. Igitur propelli paulatim Thraces, mox fundi, ac per invia agi: tandem paucis exemptis, quos pręceps fuga è noſtrorum manibus abſtulit, omnes obtruncati ſunt. Peracta palantium cæde, applicitæ muris ſcalæ; unicoque conatu capta ſunt męnia.

1660

Claſſis Venetæ motus.

Pręlium ad S. Venerandę arcem.

Cędes Turcarũ, & loci expugnatio.

Sed, dùm victor converſus ad prædam omnia paſſim depopulatur, de adventu Venetorum commonefacti barbari, quorum caſtra haud procul aberant, expeditiores cohortes emiſerunt; eęque bipartita acie ante noſtrorum ſtationes conſtite-

1660 re. Imperator, ubi paratos ad dimicandum hoſtes animadvertit, ut ſpeciem fidentis prçſeferret, prior in aciem educere ſtatuit. Igitur, ut probatæ virtutis centurionibus primos ordines inſtruxit, ſtrenuè ſuos provexit in prælium. Diù tamen pugnatum eſt majore Chriſtianorum, quàm hoſtium, periculo. Enimverò non modò multitudine præliantium Turcæ præſtabant; verùm, cùm collem quoque tenerent, facilè in cæſorum locum novos ſubinde manipulos demittebant. Nihilominùs, cùm Venetus miles nuſquam laxaret ordines, ſed in directum utrinque niteretur, adeò certamen extendit, ut feſſę pugnando primæ acies eſsent, equiteſq; hoſtium, nudato agminis latere, agerentur. Adhuc tamen prælium neutrò inclinatum ſtabat: cùm pedites, novis copiis firmati, recentibus animis, corporibuſque noſtrorum cuneum urgerent. Jamque multum diei proceſſerat, cùm tandem, à quibus pugnæ, victoriæ quoque initium eſt ortum. Siquidem, cùm Veneti catervatim barbaros impellerent, nonnulli objectam turbam perrumpentes, multorum clade viam reliquis ad interiora aciei aperuere. Igitur dùm alii aliis ſuccedunt, prioreſque magis inſiſtunt defatigatis; Turcæ terga dantes, ſigna paſſim deſeruerunt. Non mitior in fuga, quàm in prælio, cædes à noſtris eſt facta. Immò Præfectus ipſe Turcarum, quem victoriæ fiducia eò deduxerat, ut intereſſe prælio, atq; in prima acie verſari

Nova cũ Turcis pugna.

Victoria Venetorũ.

ſari auſus eſſet, inter fugientium tumultum gladio transfixus decidit. Ubi, pulſis hoſtibus, majorem ineſſe ſuis ſpem, videt Maurocenus; omnibus pro concione laudatis, proximâ die Cydonem proficiſcitur. Cùmque imminentem urbi locum, quem haud exigua barbarorum manus cuſtodiebat, occupare adniteretur, initum denuò cum iis prælium; egregièque vincentibus Venetis, ibi caſtra communivit. Patuiſſet tunc animo Imperatoris oppugnandæ urbis occaſio, ni ejuſdem Prefectus impendentia diſcrimina, præcipuè ex Gallorum adventus rumore, paulò antè proſpiciens, portum navibus, urbem militibus, atque annona tutiorem reddidiſſet.

1660

Exercitus Cydonem pergit.

Copiarum itaque ſuarum robur æſtimans, ad obſidendam urbem, cui ingens ambitus, & cuncta bello erant præparata, minimè aptum; tutiori conſilio, ſita haud procùl ab Cydone oppida invadere decernit. Ad proximam ergo arcem (hanc vulgus Calojerum vocat) ducto exercitu, dùm deligit collem, undè faciliùs obſidium intentare poſſet; ii, quibus loci commiſſa defenſio, educto clàm preſidio, in proximos ſaltus dilapſi ſunt. Id ubi compertum, nulla cunctatio interceſſit; namque adverſus Calamon (ita proximam arcem incole appellant) continuò delata ſunt arma. Nec proſpero minùs eventu; quamvis ſitus, ac ſtructura loci difficilem victoriam exhiberent. Poſt brevem enim pugnam prioris oppidi exemplum incole ſecuti. His pre-

Maurocenus Calojerum ſubigit,

& Calamon,

1660 ter omnium ſpem debellatis, ad extremam quoque arcem, Apicornum ab accolis dictam, deventum eſſet; ni jam prono ad occidentem ſole, incerta nox motum diſtuliſſet. Poſtera igitur luce eò miles proceſſit; vixque ad præterfluentes aquas caſtra à metatoribus poni juſſerat Imperator, cùm irruentibus ingenti peditum agmine barbaris, valido impetu deſcenſum eſt in aciem. Concurſum utrinque magna cæde; mixtęq; primo congreſsu invicem cohortes, ſedulò, ſi qua lababant, reſtitutę. Indè certaminis judicium in ancipiti adeò fuit, ut nutante viciſſim multitudine, penè uſque ad veſperam pari fiducia protractum ſit pręlium. At, cùm Veneti ad nutum ducis intenti, ubique hoſti reſiſterent, & præcipuè qui ab Garennio Equitatus Gallici Præfecto ducebantur, Turcarum ordines ſępè perfregiſsent: horum dux, intellecto periculo, lævum cornu in Garennii cohortem immiſit, à qua dexterum jam circumveniri, fundique animadverterat. Novum inde, atq; atrocius certamen exarſit; geminatoque armorum tumultu, in rabiem effuſi milites ruebant paſſim in vulnera, & mutuos ictus obviis pectoribus excipiebant. Interea, cùm hìc ſurgerent acervi cadaverum, ita Maurocenus alterius quoque Turcici agminis ordines miſcebat, ut non terga, non frons, aut latera aciei eſsent. Tandem multiplicis pugnæ labore ſejunctos ab exercitu aliquot Thracum manipulos acriùs aggreſsus, eoſdem in fugam impulit:

Sub Apicorno manus utrinque commiſcẽtur.

Garennii virtus.

pulit: exemploq; commotum univerſum agmen 1660
variè paſſim turbabatur; pluribus in locis mili-
te ſigna deſerente. Tunc affulſit noſtris certioris
imago victoriæ; alacrique clamore ſublato, ce-
dentes diù perſecuti ſunt. Jamque peractum e-
rat prælium ſumma gloria Venetorum, & mo-
dico, ſi mala utriuſque exercitus conferantur,
virium damno, ni cędes fortiſſimi ducis exitum
certaminis triſte quodammodò feciſſet. Cùm e- *Garennius occiditur.*
nim Garennius, cujus ferro plures ceciderant,
altiùs profugientium multitudini immiſceretur;
tandem hoſtibus undique concluſus, tantæ for-
titudinis pretium memorabili fato perſolvit. U- *Fugam Turcarũ Apicorni expugnatio ſequitur.*
bi ſe quiſque ultione, & ſanguine Turcarum
ſatis implevit; actum de vi arci inferenda. Sed
edocti loci cuſtodes, exitum reſiſtendi certam
mortem eſſe; brevi relictis muris, imminentem
neceſſitatem antevenere. Igitur, occupato oppi-
do à Venetis, ablatâ, quæ in eodem ſervabatur,
annonâ, avectiſque XIV. Tormentis, ut muri
funditùs everterentur, conſtitutum fuit. Poſt
quæ propiùs Cydonem cum claſſe ſuccedens Im-
perator, terreſtres quoque copias propero agmi-
ne in conſpectum urbis redegit. Tunc in proxi- *Maurocenus in Cicalariæ vico exercitum explicat.*
mo vico, cui Cicalariæ eſt nomen, locata ſunt
caſtra. Is medius inter proceros monteſ, ſylvam-
que raris quidem, ſed editis in altum arboribus;
cujus aditum equitibus, propinqui verò collis ca-
cumen levis armaturæ manu Præfectus copia-
rum Gremonvillius obfirmavit.

1660

Eruptio Turcarũ in Venetos.

Verùm longè alia facies in hoſtium caſtris erat; qui, aptum ad deprehendendos Venetos locum arbitrati, ſex mille pedites, ac quingentos equites per cuſtoditum ab illis montem emiſerunt. Cùmq; potiti poſt brevem contentionem jugo, terga noſtri exercitus invaderent; eductę ſub idem tempus ab Cydone cohortes, in frontem Venetæ aciei impetum dedere. Latior tunc in noſtrorum ſtationibus ex ſubito diſcrimine timor; mileſque ob multiplicem Turcarum motum majora reformidans, juſſa tribunorum ægriùs exequi, turbare paulùm ordines, ac nutante primùm gradu, mox aperto pavore vallum penè deſerens, contendere ad proximum littus, quò naves appulerant. Senſit Maurocenus ob metum ſuorum imparem penitùs pugnam. Ut ergo properantem ad naves multitudinem, ſublato effugio, ad neceſſarium certamen adigeret, dimoveri ab crepidine portus navigia imperavit. Gnarus deindè ſupremi ducis exemplum magni in pręliis momenti eſſe, educta Melitenſium cohorte, permiſcetur ſuorum manipulis, hos evocans in pugnam, alios manu, ne diffugerent, retinens, cunctos increpitans, quòd, ubi quærenda victoriæ laus, turpiter ſigna deſererent. Mauroceni ardorem ſecutus miles, repentè conſtitit ante cornua aciei; nec modò ſumma vi defendi locus cępit, verùm converſo denuò, quà Cydon in conſpectu erat, peditum agmine, objectus eſt à tergo equitatus,

Noſtrorum timor, &, ni obſtitiſſet Imperator, fuga.

ne

ne pertinaciùs hoſtis inſtaret. Reſtitutis magna ex parte ordinibus, ut unumquemque ad ſubeundum ſtrenuè diſcrimen magis Franciſcus incitaret, agminibus obequitans, milites ſubindè alloquio erigebat: *Quid timerent tot jam rebus geſtis inſignes? cum iis pugnandum, qui ab ultimis cladibus nondùm animos collegerant. Vix primum concurſum laturos hoſtes, dummodò, uti aliàs, Venetos viros experirentur. Utrinque æquales vires, & commiſſum æquo marte prælium; ſed in ſtrenuo, brevique fortitudinis experimento ſitam victoriam. Audacter ergo inirent certamen; devolutas acies disjicerent: Nobiliorem futuram victoriam, quam è manibus barbarorum ex inſperato eripuiſſent.* Jamque collatis ſignis, acies concurrunt; obſtupeſcentibus barbaris, victoriam, qua paulò ante uti cęperant, denuò in diſcriminis aleam revocari. Diù in anguſtiis dimicatum eſt: Nam univerſam penè planitiem Turcarum exercitus compleverat. Cùm tamen cædibus paulatim via fieret, miſſique Melitenſes ad collis verticem Thraces ferro, atque igne deturbaſſent; majori ſpe, veluti tunc primùm manus conſererent, à noſtris prēlium inſtauratum. Proſternebantur intereà implicatorum invicem militum corpora, ſedulòque à poſtremo agmine manipuli utrinque prodeuntes, vim hoſtium in diverſa deducturi, lateribus copiarum aſſultabant. Sed fortuna demùm melioribus adfuit. Quippè, cùm in turmas equitum invecti fortiùs Veneti, eas veluti globo confregiſſent; ſubita ſtragis facies

1660

Victoria inclinat ad Venetos.

Thracum cędes, ac fuga.

1660 cies remiſſiores reddidit conatus barbarorum. Hi, veluti audaciæ prioris obliti, primùm cedere, ac manipulos invicem permiſcere; poſtremò fugientium paucorum impetum omnes ſecuti, revocantium ducum vocibus haud paruerunt. Tunc hoſti non arma, non ordo, non conſilium: ſed à Venetis tandiù fundi, cædi, capi, dùm intra vallum conſternatæ cohortes agerentur. Hæc cùm flexo in veſperam die contigiſsent, nocte proxima cautum Mauroceni conſilio fuit, ne exhauſtum infeſto certamine exercitum nova Turcarum eruptio tandem defatigaret.

Enandiã exercitus proficiſcitur.

Quamobrem, collectis impedimentis, ad arcem, quam contra Cretam barbari conſtruxerant, ejuſdemque urbis nomine recentiorem Cretam, ſeu, ut alii malunt, Enandiam nuncupaverant, deventum eſt. Imperator non ignarus magnum Turcis incitamentum ad bellum, Cretenſibus ad formidinem futurum, ſi integra arx relinqueretur, cujus ope oppugnantium cohortes aſſiduè urbis muris imminerent, nec tamen lædi ab obſeſſis poſsent; vi, armique petere locum ſtatuit. Igitur aggeribus, ac copiis utrinque diſpoſitis, crebris concurſationibus moliri cœpit obſidium. At pone tergum inſtabant etiamnum Thracum agmina, quę, ne Veneti progrederentur, & arcta viarum obſiderent, per occaſiones ubique præſidia ſubmittebant. Prę-lium poſcentes barbaros diù incertis motibus

Crebri cõcurſus cũ hoſte.

non

non eluſit Maurocenus. Quippè, ne aut animo, aut viribus impar haberetur, ordinibus raptim inſtructis, ipſe prior agmen eduxit. Commiſſum per inæqualitates locorum varium, ſed atrox, cruentumq; certamen; pulſique ab aggeribus barbari denuò pugnam non unica vice inſtauravere. Non priùs ea pugnarum occaſio receſſit, quàm exturbati loco hoſtes, undè veluti ad inſidias in noſtras munitiones irrumpebant, in juga montium decederent. Exercitus confuſio ægrè cuſtodum Enandiæ animos affecit: & unde priùs conſtantia ad defenſionem oppidi, nunc impendentis excidii metus emanabat. Exindè non modò mœnibus, aut impoſitis tumulis non digrediebantur, ſed intra urbem ita latitabant, ut nulla arte ad pugnam provocari poſſent. Maurocenus neceſſitatem ultimam trepidantibus allaturus, contrahere arctiùs aggeres cępit, tumulos aſtruens, unde machinamentorum omne genus proximum in hoſtem jacularetur. Jamque haud procul aberat exitium obſeſſorum; cùm mœnia, domos, militem una veluti ruina pariter involueret. Sed invidens fortuna felicitati Chriſtianorum, ipſos in perniciem ſuam armavit, &, quos incommoda pugnarum non vicerant, luxus, mirum dictu, atque opulentia ſuperavere. Igitur, ex hoſtium ignavia ſecuritate orta, cùm cępta à multis eſſet vici depopulatio, ac dives nonnullorum præda 1660

Quo in fugam acto, incolæ nihil ob pavorem audent.

Dũ Veneti populantur agros, falſo rumore turbãtur.

N reli-

1660 reliquos ad direptionem incitaſſet; brevì, neglectis ducum vocibus, in rapinarum licentiam totus penè exercitus effuſus eſt. Juvit hoſtes noſtrorum aviditas, omiſsa pugna, prædam ſectantium. Cùm enim exigua manus Turcarum haud procul à Venetorum tergo inter inæqualia collium deliteſceret, comperta noſtrorum incuria, non ultionis ſpe, ſed, ut fallaci clamore metum inferret, in apertam planitiem, ductis latè in aciei ſpeciem ordinibus, erupit. Continuò diſperſus inter Chriſtianos rumor ſtructas inſidias ab hoſte, adeſse ingentem multitudinem, decurrenteſque Thracum turmas poſtremam cohortem turbaviſse. Vulgatur cum rumore pavor, ac plerique vana metuentes, mutuò ſolicitudinem augent. Nec diù ordines perterrefacti tenent. Quippè, cùm permulti, poſitis armis, ut liberiùs locum popularentur, repentina concurſus hoſtilis ſuſpicione tranſverſos, aut obvios perturbarent; altiùs confuſio undique invaleſcit. Hinc, veluti omiſsa defenſionis fiducia, non defuere, qui fugam capeſserent, antequàm hoſtis occaſione uteretur. Igitur, ubi quamplurimos noſtrorum receſſiſse à ſignis, barbaris cognitum, ex temerarii impetus inſania in patrandi facinoris ſpem verſi ſunt, propereque irruerunt in ſubjectos.

Nec magno ſine diſcrimine.

Neque ad ſubitæ rei aſpectum indultum tempori ab obſeſſis: quoſque direptio bonorum ad vindictam non traxerat, excivit effuſa ſtolidè

pro-

profugientium multitudo. Itaque, porta repentè patefacta, auctiſque invicem animis, ubi cominùs Venetos advenere, omnia tumultu armorum complent, &, quò majorem iiſdem formidinem incutiant, fuſus quiſque per agros multiplici ex parte cedentibus aſſultat. Impar omninò exitus inopinati conatus fuit. Quippè non hortationibus, non minis à fuga retinere copias potuit Maurocenus. Cùmque hoſtis jam retrò ageret, levia tantùm prȩlia inter extremos Veneti agminis milites, prȩcurſoreſq; barbarorum commiſſa. 1660

Ubi tutum ad locum peruentum eſt, & fuſas paſſim cohortes Imperator collegit, quamquam exacto diſcrimine feſſus, omnium tamen, quæ ultionem morarentur, impatiens, monuit milites, ut dedecus in gloriam quamprimùm verterent; & novo prȩlio vecordiam hoſtis, fuga tantùm Venetorum vincentis, experirentur. At, ubi animis ſuorum, & prȩcipuè Gallorum, qui levia quæque, ut eſt natura pavoris, reformidabant, parùm ſibi fidendum animadvertit; cùm ipſe præthereà ob diuturnos labores ægrè affecto corpore, vix ab aperti morbi ſævitia abeſſet, imminentis mali vim quietis ope declinaturus, Cretam pergit. Veruntamen, cùm per idem tempus hyems ingrueret, abſcedentibus navalibus ſociis, ubi, quæ opportuna ad tutelam urbis, diſpoſita fuere, Cytheram ad hybernandum claſſem reduxit. Ob

Cretam exercitus deducitur.

Claſſis Cytheram.

N 2 imma-

1660 immanem ægritudinem Almericus Princeps eodem anno extinctus eſt : qui, cùm vix Paron Inſulam appuliſſet, ſuorum copias dùm refici curabat, præmaturo fato conceſſit.

Regii Sigilli cuſtos Mahometes moritur.

Inter hæc Mahometes ſe voti compotem arbitratus, ſi, dùm in Cæſarem arma verterat, Venetis ablata retineret; idoneis tantùm præſidiis communire expugnatas urbes moliebatur, Creticum bellum, expeditus ab Daciæ, ac Pannoniæ motibus, confecturus. Ve-
1661 rùm anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, dùm ultimam huic conatui manum imponere ſtudet, inopinato morbo correptus intra paucos dies intabuit. Ita, poſt firmatum Imperium, raro exemplo deceſſit Mahometes, cùm (quod barbaris inſolitum) in illo dignitatis apice eodem favore apud Regem, potentia inter ſuos, ac fortitudinis, prudentiæque fama penes omnes conſenuiſſet. Achmeti filio, quem ipſe acribus diſciplinis imbuerat, conceſſa ab Rege dignitas fuit; hicque ferociſſimus Mauroceni hoſtis, Cretam ardua obſidione perſtrinxit.

In cujus locũ Achmetes ſufficitur.

Cæterùm Imperator vix mediam hyemem in ſtationibus tranſegerat, cùm delatum ab exploratoriis navigiis, ſolviſſe ab Ægypto XX. Alexandrinas naves; eaſque mille, ac quingentos milites, bellique omnem apparatum brevì Cydonem devecturas. Rei momentum, paratuſque ad imperia miles incitavere ad facinus

1661

Maurocenus adverſus Alexandrinas naves proficiſcitur.

cinus mentem Mauroceni. Quamobrem, velis in altum datis, ad illam Ægæi partem propera navigatione contendit, quæ aptiùs Cretam proficiſcentibus imminebat. Vix ad locum deventum erat, cùm hoſtium naves in Venetam claſsem improvidè inciderunt. Gaviſus proſpero incępto Imperator, dùm acuit animos ad pugnam, repentè vis omnis ventorum ita cecidit, ut, veluti de induſtria æquante prælium fortuna, nullus fugiendi locus hoſtibus pateret. Raró aliàs tanto remigum ardore actæ triremes, ut è propinquo deprehenſos barbaros adorirentur. Et dubio procul nulla ex horum navibus è manibus noſtrorum evaſiſſet, ni, verſo rerum ordine, elementa propemodùm ipſa pro Thracum ſalute pugnaviſſent.

Sed prælium nebulę culpa intercipitur.

Cùm enim Veneta claſſis undique hoſtilibus navigiis circumfuſa primos tormentorum impetus in eadem exoneraſſet; orta denſiſſimæ nebulæ obſcuritas temporis momento proſpectum dimicantibus abſtulit. Quare ceſſatum utrinque ab armis, ne, tenebris officientibus, ſuos quiſque mutuis erroribus infeſtaret. Eluctabatur intereà barbarorum claſſis, ut caliginis ope certamen effugeret. Cùmque turbidus aer diù pugnandi vota diſtuliſſet, ubi tandem, irruentibns ventis, diſſipari nebula incępit; iiſdem adjuti hoſtes navigia raptim ſubduxere.

Una tantùm ex hoſtium navibus occupatur.

Una tantùm ex Ægyptiorum navibus fortè Venetorum tri-

remi-

1661 remibus immixta, ubi reddita lux fuit, à Mauroceno occupata. Reliquas ocyùs aut ſubigere, aut prohibere ſaltem à Creta decreverat Imperator; idque, ſi vires in promptu, facilè conſequi potuiſset. Sed, cùm quaſdam ſuorum triremes Peloponneſum, cæteras Rhodum, & longiùs ſitas inſulas, turbo compuliſset; reverſus eſt Cytheram, fuſa latè navigia ibidem excepturus. Quibus perfectis, abſoluto Imperatoriæ dignitatis curriculo, cùm Georgius Maurocenus ſuffectus adventaſset; tradita eidem claſse, Venetias profectus eſt.

Venetias revertitur Maurocenus.

FINIS LIBRI PRIMI.

FRAN-

FRANCISCI MAUROCENI PELOPONNESIACI, VENETIARUM PRINCIPIS,

Geſtorum

LIBER SECUNDUS.

EPITOME.

MAUROCENUS *falsò accuſatus abſolvitur. Auctis, ob Turcarum expeditionem in Pannoniam bellorum ſuſpicionibus, Fori-Julii Provincia eidem demandatur. Fruſtrà tentatis conditionibus pacis, bellum adverſus Turcas aſperatur. Franciſcus Præfecturam claſſis, mox Imperium ſuſcipit ſecundò. Achmetes mittitur à Rege ad conficiendam Cretæ obſidionem. Continuò Urbs ſumma vi ab eodem tentatur. Maurocenus Marchionem Villam reducit, ſtudetq; intercipiendis navalibus copiis barbarorum. Dein ingreſſus civitatem, partes ſuorum compo-*

componit. Obſidium præcipuè ad Propugnaculum Panigrà intenditur. Hinc non unica vice Imperator vulneratur. Erumpunt Turcæ in urbis foſſam: ingentes ibi concurſiones, & prælia. Exteriores munitiones deſeruntur; ac paulò poſt ob copiam imbrium paulùm bellum remittitur. Senatus, Turcæque, ſe ad bellum intentiùs comparant: Maurocenus verò urbem ſedulò reficit. Sub initium Januarii Propugnacula Sabulonariæ, ac S. Andreæ multipliciter aggreditur Achmetes. Imperator claſſem barbarorum nocturno concurſu invadit; inſignem victoriam, occiſo Duraco, refert. Hinc D. Marci Eques declaratur. Catherinus Cornelius, ac Marchio S. Andreæ Mombrunius conveniunt. Machinamenta Achmetis adverſus maritimam urbis partem à Mauroceno pervertuntur. Poſt atrociſſimam aggreſſionem à noſtris ſtrenuè ſuſtentatam, Achmetes inteſtina proditione capi urbem poſſe exiſtimans, Uvalachiæ, ac Moldaviæ Principatum offert Mauroceno, ſed cum irriſione nuntius dimittitur. Adventant aliquot Gallorum copiæ, quæ proſperè certant cum oppugnantibus. Hyeme ſubeunte, obſidium nuſquam remittitur. Regis furor in Achmetem, ac milites. Aloyſius Molinus ad Turcas mittitur conficiendæ pacis gratia, ſed fruſtrà. Bellum intenditur; ac paulò poſt Catherinus Cornelius obit. Sex millia Gallorum in urbis ſubſidium miſſa funeſto exitu manus cum barbaris conſerunt, eodemque prælio Belliſortii dux occiditur. Qui ſupererant, urbem deſerunt, atque una cum iis Vincentius Roſpilioſius Pontificiarum copiarum ductor. Pavor Cretenſium inhibetur elata oratione Mauroceni; qui Procuratoria D. Marci dignitate extra ordinem inſignitur. Achmetes tandem vali-

dam

dam aggreſſionem tentat , & vix à Venetis depellitur . Inde Imperator , advocata Ducum concione , de ſtatu Urbis , præſidii viribus , ac de rebus in poſterùm agendis diſſerit . Captum ab omnibus conſilium dedendi Cretam per ſexdecim dies differt . Iterùm vocat in opem ſocios : quibus ab Dia ſolventibus , demùm fœdus init cum hoſte . Conditiones pacis Decretò Senatus approbantur . Diſcedentes Venetorum naves tempeſtas maris disjicit . Maurocenus Patriæ jam redditus , rursùs accuſatur . Verùm , indicto judicio , & re perſpectiùs cognita , brevì omnium votis abſolvitur ; denuò Patribus , quæ in bellò egerat , magno conſenſu , plauſuque approbantibus .

1662 *Maurocenireditus in Patriã.*

Optimo conſilio Veneti Patres inſtituerunt, ita fôris exercerentur ab civibus Imperia, ut domi adminiſtratæ rei ratio redderetur. Quippè, cùm fingere multa rumor ſoleat, & tàm de optimis mala, quàm de malis optima, infenſo virtutibus errore, concelebret; eveherent ſæpenumerò ſtudia partium ignavos ad maxima, atq; èconträ actum de illis videretur, in quos ob ęmulationem virtutis invidorum aculei excitantur. Quamobrem ſummo cum Reip. emolumento lata olim ſententia, qua cautum eſt, ne ex immodico vulgi favore, aut ira, ſed ex ſeveris, probatiſq;rationibus facta ſingulorum ęſtimarentur. Hinc in tuto magnorum virorum honor; hinc ſtudium veræ laudis, & ſtrenuè quęſitum ab optimis per pericula decus Reip. Reducem ex Gręcią Maurocenum quo plauſu univerſa civitas exceperit, nemini ex illius facinoribus incompertum. Eædem illi, quę militum, laudes Senatus; atq; ex multiplici genere rerum ſtrenuè actarum varia urbis præconia. Nec deerant, qui toties Græcis victoriis inſignem, vix anteà inſpectum civem altiùs contemplarentur: mirati tot annos ab eo in caſtris eadem conſtantia tranſactos, omnia claſſis munia pari conſilii, ac fortitudinis famâ adminiſtrata, præclara demùm tot prȩliorum proſperè initorum monumenta; quibus non decoris tantùm, ſed, & utilitatis plurimum Reip. comparaverat. Veruntamen,

Civitatis erga eundem ſtudia.

Deinde accuſatur.

tamen, cùm ea ſit invidorum natura, ut recentem aliorum felicitatem ęgris oculis introſpiciant, nec idem ſibi ipſis quoque patere ad gloriam iter moleſtè ferant; auſi nonnulli, quędam damnando, geſtæ dignitatis ordinem carpere. Hæc relata ad Senatum, animos Patrum, ut veritas dignoſceretur, ad acrius examen revocavere. Miſſus idcircò in Græciam Quæſitor, is Stephanus Magnus fuit, Patritius Venetus, miræ morum elegantiæ, ac probitatis; à quo indictum judicium, producti teſtes, cunctaque de more pertractata. Verùm fraus, ut ferè fit, in auctores recidit: vicitq; molientes dedecus præclarè geſtarum rerum teſtimonium. Expreſſa enim certis rationibus virtus Mauroceni euſq; potuit, ut non modò, quæ peregerat, plenis ſuffragiis Patres comprobarent; verùm etiam accuſatores, quia inſonti periculum fecerant, ex Senatus Conſulto calumniæ nota mulctarentur. Hinc Decemviris negotium commiſſum, ut, tradito poſteris more, delatores poſtularent, atque in pravorum exemplum debitis pęnis afficerent. Ita, declinata obtrectatione, in neceſſariam quietem Franciſcus ſeceſſit. Non ideò tamen militaris diſciplinæ ſtudia ita animo ejuſdem exciderunt, ut providis conſiliis etiam abſens adjutorem ſe non perhiberet. Nihil prętermiſſum, quo juvari Remp. poſse intelligeret: Quippè Cretæ inſulæ incolumitati ſedulò proſpiciens, oſtendebat, quo opere, quibus muni-

1662

At nòn modò abſolvitur, ſed accuſatores illatæ injuria poſtulātur.

1662 mentis firmari deberet; undè promptiora urbis, & incolarum ſubſidia; qua arte excitandę mentes militum, ac tribunorum; quò denique dirigenda tutiùs arma, ut barbari depellerentur. Inde ingens ejus dictis fides, atque auctoritas; ſummumque in uno cùm civilium, tùm bellicarum adminiſtrationum pondus.

1663 *Achmetis conſilia.* Inter hæc Achmetes, qui hactenùs vana pacis ſpe Cęſari illuſerat, ne Cretico quidem bello ſummoperè intentus, ea potiſſimùm cura detinebatur, ut auctoritate, opibuſque novæ dignitatis faſtigium confirmaret. At, ubi validiſſimum quemque, & Regis favore elatum, ſubmiſſis, qui publicè quaſi conſenſu ad pęnam depoſcerent, oppreſſit, aut longinquis expeditionibus amovit; Mahometis verò, militum, plebiſque benevolentiam promptis artibus adeptus eſt: ſolutus domeſticis cogitationibus in externi belli ſtudium incubuit. Itaque, colle-*Turcarũ expeditio in Cęſarẽ.* cto exercitu, vertit in Cęſarem Imperii vires: tamdiù parata adverſus Illiricum, finitimaſque Reip. provincias arma ſimulans, dùm, facto raptim in Pannoniam impetu, improvidos, eòq; ſpe pacis incautiùs agentes Auſtriacos invaderet. Nec repentini motus rumor tantummodò Cæſarem commovit. Enimverò, aliquot illius regionis urbibus expugnatis, cùm demùm intra Bellogradi męnia ſe recepiſſet, non modicam *Suſpiciones Venetorum.* Reip. ſuſpicionem injecerat, ne, ſi ibidem iniiſſet fędus cum Auſtriacis, in Illyricum ea belli moles

moles devolveretur. Sed ex ſucceſſu rerum 1663.
augeſcente in dies Pannoniæ vexandæ libidine,
cùm mox in interiora ejus irrueret, atque in-
dè univerſa regio acerrimo bello conflagraret;
periculi vicinia Venetorum Patrum animos al-
tiùs ſolicitavit. Hi namque barbarorum armis
patere Forum-Julii ſentientes, ſtatuerunt majo-
ribus præſidiis confirmare limites provinciæ,
ne imparati, immunitique Foro-Julienſes de-
prehenderentur. Habiti hac de cauſa delectus
militum, ſumpta arma, cunctaque imminenti
bello proviſa. Interim cautum, ut ſtrenuus
vir univerſæ regioni præficeretur. Nec de *Maurocenus mittitur*
Franciſco Mauroceno dubitatum eſt: qui, licèt *in Forū-Julii.*
poſt tot armorum labores neceſſarium ocium
excoleret, adeò tamen in eum totius civitatis
ſtudia collimabant, ut ipſi ſervandorum Reip.
terminorum curam demandari neceſſe eſſe, una
voce omnes diſſererent. Itaque cunctorum ſuf-
fragiis Præſes Provinciæ declaratus: continuò- *Ejus in*
que, ſuſcepta Præfectura, in Forum-Julii tra- *cuſtodiēda regio-*
jiciens, acri diligentia proſpicere adnixus eſt, *ne ſolertia.*
ne quid detrimenti Reſp. caperet. Hinc locare
circum peditum turmas, cogere incolas ad ca-
pienda arma, ac fines cuſtodiendos, aggeribus
extruendis inſiſtere, inire demùm conſilia cum
Auſtriacis, ut, ſi ultrà hoſtis irrupiſſet, junctæ
vires eidem objicerentur. Verùm Achmetes poſt 1664
varia armorum diſcrimina tandem ad Arrabo-
nis fluvii ripam ab Germanis fuſus, feſſum la-
bore

1665 bore itinerum, bellique militem quiete refectu- *Achmetes Fœdus init cum Cæſare.* rus, pacem ſanxit cum Cæſare. Tunc reverſus eſt Byzantium: alioque bellorum ſuſpicionibus inclinatis, communita Fori-Julii loca nulla belli ſemina infecerunt. Nihilominùs Maurocenus, diſpoſitis ubique cuſtodiis, auctoque exercitu, ne, recedente belli pavore, miles ocio torpeſceret, gerendorum prœliorum præceptis copias imbuebat, ut, quæ tunc in ſimulatis pugnæ exemplis didiciſſent, in vero deindè certamine non pertimeſcerent.

Dum hæc in Foro-Julii peraguntur, ea opinio percrebuerat, revocatum nuper à Pannoniis exercitum brevì in Rempub. audaciùs eruptu- *Studia Venetorũ ad firmãdam pacẽ.* rum. Quamobrem declinaturi Patres vim hoſtium, per Joannem Baptiſtam Ballarinum (jam enim Joannem Capellium mœrore, laboribuſque confectum acer morbus oppreſſerat) pertentare eorundem animos decreverunt, ut, ſublatis contentionibus, Creta honeſto fœdere in *Nec Achmetes diſſentit.* Reip. ditione confirmaretur. Nec Achmetes id prorsùs averſabatur, utpotè qui arduum, ancepſque bellum futurum, expoſci ſe communibus votis ad conficiendum obſidium, neque ab ſede Imperii tutò diſcedere poſſe intelligeret. Indè ſociare invicem conſilia; adniti, ut pax perpetraretur, petere, ut, qua montibus in duas veluti regiones Creta dirimitur, hinc Veneti, inde Thraces pari jure Inſulam obtinerent. Hæ quietis conditiones aliquandiù in ancipiti hæſe-

1665

hæſerunt; cùm Patres, ut belli incommoda evitarent, ceſſuri quidem hoſtibus, quod ii elapſis annis abſtulerant; ita tamen ſtabilire urbis poſseſſionem exoptarent, ut non ſecùs in pace, quàm in bello tutò & habere inſulam poſsent, & facilè armis eandem tueri. At, dùm hìc de feriendi fœderis negotio agebatur, alia in caſtris rerum facies. Præcipuè Veneti, ubi ſatis copiarum adeſse viſum, præmaturè ab hybernis exeuntes, improvidum Cydonis præſidium repentè adoriri conſtituerant. Sed diſtulit primò conſilium adverſæ tempeſtatis motus: atq; ubi paulùm remiſsa procellæ ſævitia, Hieram perventum, denuò acrior turbo ita noſtrorum exercitum impulit, ut penè ſtatim deſiſtere ab incœpto Duces cogerentur. Nec, cunctantibus ipſis, vis ventorum, aquarumve infringebatur. Undique effuſis imbribus opplebatur tellus: eadem littori, ponto, campiſque facies. Hinc obſidionem intentare molientes fruſtrà laborabant. Cùm enim lubrica humus, redundanſq; aqua fallerent pugnantium greſſus, nec brevia à profundis, ruinam minantia ab ſolidis diſcernerentur, multi veluti per ludibrium ab hoſtibus fundebantur. Igitur, nè ultrà miles incaſſum fatigaretur, recepto in naves exercitu, in eam ſententiam itum, ut maritimis præliis diſjicerentur hoſtium triremes, atque indè expectata ſubſidia Cydonem non communirent.

Dùm de firmanda pace agitur, Veneti Cydonē aggrediūtur.

1666

Sed Veneti aſſiduis imbribus cōſternati recedūt.

Primum hujuſmodi facinus ab Nicolao Leonio

1666 nio Patritio Veneto, & Hieronymo Grimano Equite, ac Navium Præfecto patratum eſt. Ille namque plures liburnicas, ac triremes, quę cum milite, & commeatu Cydonem feſtinabant, adortus; brevì omnes in poteſtatem redegit. Hic decem onerarias prope Pagaſam inſecutus; poſt atrox certamen victor ad ſuos ingenti cum pręda reverſus eſt. Non ſegniùs intereà reliqui duces terra, mariq; rem gerebant. Hi intercipiendis commeatibus, alii vaſtandis inſulis intenti: præſertim verò ante Cretę muros quotidiè concurſus, & prælia, eaq; ob multitudinem hoſtium ſæpiùs cruenta. Acceſſere his variæ Thracum eruptiones in Illiricum; quamvis nec propiores inſulæ metu vacuæ. Zacynthi incolæ prę cæteris trepidavere, quibus oſtentatum bellum, brevìq; illatum etiam fuiſſet: ni id priùs compertum Venetis, & raptim congeſta prope Inſulam ſubſidia. Senatus ordinem rerum proſpectans, nihil in poſterùm ab hoſtium vi tutum ſenſit. Poſtremò, cùm anceps motus multiplex bellum minitaretur, diſtractiſque copiis, Claſſis Proceres, ut ſuſpiciones exigebant, alii alia munera obirent; in Franciſcum Maurocenum Claſſis Præfecturam contulit.

Nicolai Leonii, & Hieronymi Grimani facinora in Ægęo.

Turcarū motus.

Franciſcus Maurocenus Claſſis Prefectus eligitur.

Sed ſtruebat jam fortuna irarum, bellique ſemina; tantò in ſæviorem armorum impetum eruptura, quantò majori pacis imagine tegebantur. Veneti, ut egregio aliquo facinore facilio-

ciliorem fęderi viam ſternerent, ultra animos 1666
barbarorum efferavere. Turcæ, ob auctum ipſa mora, qua non modicè exercitus excreverat, robur, promptiùs erecti ad ultionem, congregatas Imperii vires in unius obſidionis experimentum deduxerunt. Indè atrox, rejectis conditionibus pacis, diſſidium: Cretenſis indè belli moles, & pertinax urbis oppugnatio, cui centum, & viginti millium Turcarum cæde parta nobilitas. Vix tentaſſe Venetos Cydonem, eoſque præpediendorum commeatuum cauſa Ægæum percurrere rumor vulgavit; cùm oborta Byzantii ingens primorum ſolicitudo, mirantium, ubi pax expectaretur, pręlia invaleſcere. Hinc trepidare populus, mox fremere, & vires ſuas circumſpicere: demùm vecordiam Regis incuſare; qui, inſtantibus belli curis, deſidia torpeſceret. *Quippè ſuos quadam feriendi fœderis reverentia contineri, ne bellum per acies conficerent: at Venetos aperta vi uti, & ipſo comparandæ pacis prætextu libidinem armorum licentiùs explere. Igitur mittendos in ultionem exercitus, qui ultimam bello manum admoverent. Non eſſe eò conſternationis rem perductam, ut ab exiguis Chriſtianorum copiis impunè Thraces terra ſimul, & mari divexari ſe paterentur. Iiſdem artibus defendendum, augendumque Imperium, quibus partum fuerat. Contemni alioquin Ottomanicæ domus dignitatem, nec amitti modò, quæ tanto ſanguinis pretio acquiſierant; ſed brevì ipſa felicitate cœpti in Regni interiora hoſtes irrupturos.* Hęc ſæpiùs jactitata Mahometis feritatem excitave-

Queſtus Turcarū, & conficiēdi belli cupido.

P re:

1666 re: qui, ut gentis ſuæ vota obſecundaret, copiis raptim ab univerſo oriente collectis, Achmeti eam provinciam aſſignavit; ut ipſe exercitui ducem ſe præbens, Cretam omni virium nixu aggrederetur. Achmetes, ubi neceſſariam expeditionem animadvertit, facilius iter ad eventum armorum paraturus, cavit, ne Venetis ſuſcepti à ſe belli conſilium innoteſceret. Exindè affirmans, ſe conficiendi fœderis cupidum, alioq; motum ſimulans, ſtudia quietis, honeſtumq; pacis nomen prætendebat. Non effugere tamen Patrum diligentiam aſtus barbarorum: atque, ubi compertum ex ingenti copiarum apparatu, quantum diſcrimen ea belli moles eſſet allatura, Senatus Conſulto proviſum, ut ad tuendam Remp. arma illicò ſumerentur. Dùm itaque habentur delectus militum, aliaque navium manus ſedulò ornatur; data opera, ut ad Imperatoriæ dignitatis faſtigium ejus fortitudinis vir attolleretur, quem luctuoſa tempora, horrendumque bellum poſtulabant. Nec diù in incerto fuit, quinam illo in rerum articulo à Patribus declararetur. Cùm enim ingenti animorum conſenſu omnium vota Maurocenum expoſcerent; commiſſum ſecundò eidem non annuentibus tantùm, ſed etiam plaudentibus ordinibus, ſummum terreſtris, maritimique exercitus Imperium. Tunc non impendentium malorum diſcrimina, non rumor auctæ hoſtium multitudinis debellandæ Cretæ deſiderio con-

Vocibus populi Rex excitatus expeditionẽ in Cretã Achmeti demãdat.

Veneti Patres maritimas, terreſtreſq; copias augent.

Maurocenus ſecũdò declaratur Imperator.

convocatæ Franciſcum à munere deterruerunt: *1666*
ſed flagrantem ſtudio defendendæ Reipub. animum recentibus exemplis probaturus, ad Inſulam extemplò contendit.

Cretam navigare pergit.

Græcarum Inſularum nobiliſſima Creta, ab occiduis montibus, qui candidi ſunt, Candia hodie dicta, ab Ortu ſolis, Occaſum verſus longiſſimo tractu porrigitur, hinc Africa, illinc Aſia objacentibus. Inſulæ forma tribus clariſſimis promontoriis protenſa eſt; Samonio in Orientem, Criumetopo in Occidentem, Cimario, aliàs Cyamo, & Dictynæo in Septentrionem. Alluitur, quà Orientem ſpectat, Carpathio mari, quàque Occidentem, Jonio, cui Adriaticum conterminum: ad Septentrionem præterfluente Ægæo, Libyco verò, ac Ægyptio, quà vergit in Auſtrum. Primum hujus Inſulæ imperium penes Reges fuit: populari deindè ſubjecta dominio brevì in poteſtatem Romanorum tranſiit; ex quibus demùm conceſſit in prędam Saracenorum. Expulſis Saracenis Gręci ſucceſſere; quibus ab Italorum, Gallorumque armis erepta, Bonifacio Marchioni Montis Ferrati contigit. Hinc magno emptam habuerunt Veneti; qui quadringentos annos eam poſſidentes, Colonia Patritiorum in Reip. modum auxerunt. Hanc Præſides Ducum nomine moderabantur: qui non civilem modò, ſed militarem quoque rem gerentes, unà & concordiæ incolarum, & libertati proſpiciebant. Cæterùm Latinis, Græ-

Cretæ deſcriptio.

1666 ciſque monumentis percelebris inſula eſt; utpotè quæ prima navales, equeſtreſque pugnas ediderit, atque arma literis miro bonarum artium amore conjunxerit. Magnitudine verò multùm reliquas antecellit; longitudo enim ducenta, ſeptuaginta millia paſſuum, latitudo quinquaginta millia habet: ambitus autem quingenta, octoginta novem millia paſſuum complectitur. Situm commendant ubertas collium, fluminumque, temperies cœli, ac ſaluberrimus aer, in quo nulla unquam infeſta veneno animalia fuere. Porrò tellus frumenti, vinique, & dictamni ſoli inſulæ peculiaris ferax; adeò verò referta paſcuis loca, & externarum gentium frequentia excultæ urbes, ut cæteris omnibus Mediterranei Maris inſulis, ſeu opes, ſeu ſoli fertilitas, ſeu varietas commerciorum reſpiciantur, meritò anteferatur. Centum urbes antiquitùs habuiſſe ſcriptores memorant; quas ad tres tantùm temporis injuria redegit. Hæ Creta, Cydon, & Rithymna. Regni caput Creta

Urbis ſitus, & munimenta. conſtituit, quæ à quibuſdam Matium, & Cytæum nuncupatur, hodiè Candia: indè totius inſulæ nomen. Hæc fermè in medio, quà Ægæi fluctibus inſula perfunditur, conſurgit, non tàm ob robuſtum mœnium ambitum, quàm ob exteriora munimenta expugnatu difficillima. Trium millium, & quingentorum paſſuum horum circuitus. Urbs verò triangularem exhibet figuram, ejuſque baſis ita pelagum reſpi-

cit,

cit, ut eadem parte capacem cujuſcunque navigii portum, atque à procellis tutiſſimum præbeat. Septem regia, ut vocant, propugnacula urbem circumſtant; quæ ab incolis S. Andreæ, Jeſus, Panigrà, Bethlemiticum, Martinenghium, Victurium, ac Sabulonaria appellantur. Hæc patula, humiliſque foſſa penè undique ambit; deindè propemodùm innumeræ extra foſsæ labrum productæ munitiones, ad quas promptè per ſubterraneos calles pervenitur. *1666*

Obſidionis, bellique exitus.

Subactis, ut dictum eſt, ab Turcica vi Cydone, ac Rithymna, poſtrema de præcipua hac urbe contentio remanebat; in qua plùs fortè ſanguinis profuſum, quàm ejuſdem viarum anguſtiæ capere poſſe viderentur. Delectus Maurocenus ad difficillimum propugnationis munus, ita manu, voce, vulneribus toleravit obſidium, ut nondùm ſatis liqueat, utrum cladium atrocitate terribilius, an Venetæ virtutis experimentis ſpecioſius bellum fuerit. Octo, & viginti menſes (quis crederet?) circa urbem unam barbari pependerunt. Ille verò per omne tempus totius Ottomanici exercitus impetu permodicis viribus ſuſtentato, ſex, & quinquaginta aggreſſionibus, quadraginta, & ampliùs ſubterraneis præliis, quadringentis, & ſexaginta cuniculis eluſis, centum, & viginti millibus Turcarum cęſis, ſuorum fermè triginta millibus amiſſis, tunc demùm extremum deditionis remedium amplexus eſt, cùm nonniſi concrematæ, ac funditùs

1666 ditùs everſæ urbis veſtigia occupari à Thracibus poſsent. Deditionis pretium ſalus obſeſſorum, & claſſis. Utramque iniquis temporibus à victorum pervicacia obtinuiſſe, admiranda vis ingenii, ac propemodùm incredibile facinus fuit. Id enim in extremis aſsecuti ſunt Veneti, ut, licèt deſolatis munimentis, turcidato exercitu, abeuntibus ſociis, atque ultimo urbis fato impellente, non libertatem modò defenderint, ſed Reip. Imperium indecora barbaris pace firmarint. Intereà, quot motus Achmetis, quantaq; dolo, atq; arte intentata molimina repulerit Maurocenus, omnia ad unum referre inacceſſum cupienti opus; cùm ſingulis ferè momentis eximium aliquod facinus ad Cretam ederetur.

Achmetes Eubœam pergit. Igitur Achmetes Kal. Maii Theraſiam profectus, ibidem munia exercitus inter ſuos ſedulò partitus eſt. Digreſſus indè in Eubœam, naves armis, & milite onuſtas crebrò Cydonem demittebat; cùm, ne ſibi Cretam perducto prompta præſidia deeſsent, tùm ut priùs ſcrutaretur, an facile commercium, & ſatis tuta navigatio. Inter hæc, ne tânti apparatus famâ Cretenſes ad acrem diſponerentur defenſionem, fœdus, concordiamque ſpecioſis, irritiſque nominibus adhuc jactabat; componendarum rerum ſpe Ballarinum tamdiù detinens, dùm hunc in ignobili vico, haud procul à Thebis, propera mors ingenti omnium luctu eriperet. *Joannes Baptiſta Ballarinus moritur.* Ubi ſatis copiarum Cretam tenuiſſe barbarus ſenſit, ſolutis ſub

Octo-

Octobris menſis exitum navibus ab Epidauro, quò paulò antè advectus fuerat, ipſe quoq; Cydonem raptim advolavit. 1666

Viſſerius Cydonem intrat.

Hyeme parandis ad obſidionem rebus tranſacta, XI. Kal. Maii movit exercitum; 1667 æquatâque ſolo Enandiâ, ne propinqua illius urbis mœnia quanto plus ſpei ad effugium, tanto minorem animum ad ſtrenuè agendum militibus præberent, in Cretæ conſpectum agmina deduxit. Locum nactus cùm ad pugnandum, tùm ad evadendum aptiorem, vallem, cui Jophyri nomen, inſedit. Ingentis deindè exercitus oſtentatione, cujus robur quinquaginta armatorum millibus, præter cuniculariorum, atque epibatarum turbam conſtabat, multiplici ex parte pertentare urbem exorſus eſt.

Oppugnatione urbis aggreditur.

Jamque feriebantur tormentis muri, externaſque munitiones infeſto agmine Turcæ perturbabant, cùm Maurocenus Superum mare permenſus, Zacynthum pervenit. Tunc primum in Cretæ opem facinus molitus eſt. Quippè, animis illorum, qui ex edicto convenerant, in ſe firmatis, Marchionem Chironem Franciſcum Villam, peritia rei militaris, & peractarum rerum fama inſignem, obſeſſę urbi reſtituit. Hunc Senatus turbis peditum præfecerat: nec indè conſilia expertiſſimi ducis modicè urbem adjuvabant. Verùm, ortâ inter Proceres diſſenſione, quæ magnis conatibus ſemper adverſa eſt, cùm nova ſubindè diſcordiæ moles ſoboleſceret, Sabau-

Maurocenus Villã copiarum Præfectũ reducit.

1667 baudiam, undè diſceſſerat, declinaturus aliorum invidiam, adproperabat. Sed Imperator hortatus ducem, ne in tanto rerum diſcrimine, quam ſummo plauſu militum cęptaverat, urbis defenſionem repentè deſereret: illo Cretæ reddito, ipſe cum idonea longarum navium manu intercipere hoſtium ſubſidia ſtatuit, quæ in dies magis ad exercitum furtim commeabant. Hieram advectus, aliquandiù Turcicę claſſis Pręfectum brevì, ut exploratores renunciabant, cum viginti roſtratis navibus, ſuis auxilio venturum ibidem oppertus: compuliſsetque ad certamen ejuſdem navigia, ni ille, confecto inter tenebras itinere, inſciis Venetis, ad ſuorum caſtra adnavigaſset. Nec feliciùs alii ſubindè labores ſuccedebant, Turcis per aperta Ægæi quotidiè diffugientibus. Expertus idcircò Maurocenus, difficillimum ſibi ob incerta locorum, & varietatem itinerum prohibere barbaros à commercio pelagi; ſatius credidit, claſsem dividendo, multiplici ex parte hoſti inſidias aſtruere. Verùm, cùm, atrociſſimæ obſidionis rumore pervulgato, jam Achmetes nominis ſui terrorem latè circumtuliſſet, ad terreſtres curas converſus, ſtatuit ſeſe in urbem recipiendo augere fiduciam obſeſsorum. Ergo præcipua cuſtodiendi pelagi provincia Aloyſio Paſchalico Patritio Veneto demandata; decretumque, ut decem cum triremibus, ac quinque navibus, quibus viginti ſociorum triremes additæ erant, vario itinere interjectum ma-

Fruſtrà laceſſere hoſtium naves adnititur.

Aloyſius Paſchalicus intercipiendis hoſtium commeatibus deſtinatur.

mare obſideret. His providè conſtitutis, reliquam claſsem per idonea loca diſpoſuit. 1667

Imperator urbem intrat.

Ubi verò Cretam ingreſsus, multa internis diſsenſionibus feſsa, quas certamen virtutis, atq; ambitio gloriæ inter proceres invexerat, deprehendit; ne indè ratio defendendæ urbis, ut ſolet, labefactaretur, acri diligentia proſpicere adnixus eſt, ut excitatæ intra ſuos iræ adverſus barbaros verterentur. Quamobrem, cùm ex genio variarum gentium ita mentem inſtruxiſſet, ut optimè calleret, quid à quoque exigendum; brevi ad obeunda promptiùs belli munia indulgentem diſſidiis militem honeſtioribus ſtimulis incitavit. Ubi enim quis hoſtis inſtaret, quàm juſtâ causâ diſcrimina armorum adeunda eſsent, quæ demùm laus, quæ præmia manerent ſtrenuè dimicantes, oſtendit; cùm prætereà penè apud omnes recens fortiſſimi Imperatoris memoria, & penitùs in virtutes Mauroceni infixus militis amor prævaleret, animi adeò hortationibus ipſius permoti ſunt, ut intraret mentem cujuſque militaris gloriæ cupido, *duceret, quò vellet*, clamitarent; *non armis non vulneribus quemquam ceſſurum*. Ita in perniciem hoſtium omnibus converſis, firmare munimenta, altiores foſſas effingere, ſolidiores loricas contexere, ſuique ipſius per propria pericula urbis ſaluti caventis fiducia acuere in dies magis ad bellum Cretenſes inſtitit. Econtra Thraces cuncta expugnandis urbibus inventa apud veteres, & nova quæ-

Animos militum componit.

Urbem aggere firmat.

Sed Turcæ ſumma vi rē gerunt.

1667 que ab recentioribus ingeniis excogitata congerentes, tanta ſpe decertabant, ut in ipſo obſidionis limine extremos conatus experirentur. Neque una tantùm belli facies: quippè modò, extructis tormentariis ſuggeſtibus, muros, atque interiora urbis petentes, modò, altioribus foveis nitrato pulvere repletis, fundamenta propugnaculorum convellentes ab imo, ſepę cum catervis armatorum ruentes in vallum, nihil intentatum relinquebant.

Achmetis conatus in Propugnaculũ Panigrà.

Longè tamen major belli moles illi Cretę parti incubuerat, qua muri quædam lorica, quæ à propugnaculo Panigrà dicto uſque ad mare producitur, jugiter ferreis globis à muralibus tormentis emiſſis quatiebatur: Hunc ſibi oppugnandum locum delegerat Achmetes, qui, quamvis multo ſuorum cruore pulſus, potiri mœnibus audaciùs, quàm conſultiùs properans, omnia terrore, & cladibus miſcebat. Nec temperatum apertis aggreſſionibus, ut obſeſſorum animos frangeret, victoriæque fiduciam apud ſuos oſtentaret: gnarus qualia initia belli, talem in cæteris exitum futurum. Sed Veneti nulla ſociorum cæde, nullo molimine hoſtium perterrefacti paſſim depellere invadentes, reficere diruta murorum, objectos aggeres omni machinamentorum genere, ac perſępè inopinatis eruptionibus perturbare. Cùmque teſtis virtutis, atque ignaviæ cujuſq; adeſſet Maurocenus; opportunè milites imperata exequebantur, nec quid-

At pellitur à Venetis.

quidquam ob formidinem recuſabant. Augebatur nihilominùs in dies malum crebra cuniculorum vi, ollarumque incendiariarum jactu, cùm nullus in urbe, aut munimentis locus diſcrimine vacaret. Hinc non ſegnis à ſtrenuo plerumque diſcernebatur; juxtà audaces, pavidiqui interibant: dehiſcenteque, quà tutior videbatur, humo, aut ferreis globis decidentibus, cuncta ſubverſę telluris ruina, torrentibus flammis, ac in fruſta disjecta æris mole devaſtabantur. Acceſſit Kal. Julii intoleranda vis caloris, quæ corpora obſeſſorum ſummoperè conficiebat. Nec eadem pernicie immunes barbari; cùm aperta planities, & nulla umbra defenſa, æſtu quotidiè graviore exardeſceret. Hauſiſſet plurimùm ea tempeſtatis ſævitia Turcarum exercitum, ni militum multitudine abundans Achmetes ſuis ita tempora aſſignaviſſet, ut laborem alii viciſſim ſubirent, diſcederent alii ad quieſcendum: indè nec fatigarentur pugnantes, & citiùs ad exitum opera quæque deducerentur.

1667

Caloris vis infeſta admodùm oppugnantibus.

Irritum intereà conatum ſentiens, quo proſternere propugnaculum molitus fuerat, paulùm remiſſo hujus partis impetu, in reliquis aucto ardore, ac numero oppugnantium, arctiori tormentariorum ſuggeſtuum corona urbem circumdedit. Cùm tamen nondùm ulla exteriorum munimentorum pars occupari à ſuis potuiſſet, effoſſam ſpeluncam parari imperavit; per quam, excavata ſubterranea porticu, in plures cal-

Achmetes ſubterraneos calles cōparat.

1667 calles deſinente, ſubter ipſos Venetorum aggeres ad mœnium foſſam penè pervenerat. Operam tellus juvabat; quæ nec difficilis erat accipiendis ictibus, & adeò tenax, ut quà ſtare illam foſſores vellent, quæ egerebantur nulla ruina ſequeretur. Quapropter ingentia barbarus animo deſignabat, inopinanter in urbem cum armatorum globis evaſurus. Neque à Venetis multum cladesaberat, ſi potiſſimum noctu fraus

Sed fruſtrà. erupiſſet. At nihil ex his diligentiæ Imperatoris ignotum: Hic dolos, aperta, occultaque perſcrutatus, contrarios extemplò cuniculos inſtruxit. Tunc prudenti conſilio devicta calliditas concidit; diuturno labore paratus fornix obruit artifices: pœnituitque Achmetem inveniſſe receſſus, quibus tot hominum vitas miſerrimè perderet. Ita ſubterraneo Turcarum molimine eluſo, nondùm tamen armis finis impoſitus. Novę

Nihilominùs fervet obſidium. quotidiè à barbaris ſtruebantur inſidiæ; contemnebantque pericula milites, pars minis Achmetis, multi feritate, & cupidine prædæ. Perſonabant omnia ſtrepitu tormentorum; nutabant munimenta; roſtra propugnaculorum corruebant. Extrema ubique pericula. Ingens in eruptionibus copiarum ferocia: mors, aut fuga hoſtium, exitus pugnantium. Nec tamen aperta vi magis, quàm dolo gerebantur certamina; nam, qua parte parati cuniculi vis minabatur excidium, Veneti fugam indè ſimulantes, improvidum hoſtem in caſus trahebant. Sed Ac-

hme-

hmetes rimandis obſeſſorum conſiliis, excogitandiſque fraudibus ſagax. Quippè, venenatis ignibus in noſtrorum receptacula immiſſis, eam cladem invexerat, ut horum permulti ſemiuſti, faucibuſque virulento vapore intercluſis, demùm exanimarentur. Primò inopia remedii non modicè labes proceſſit; immò brevì adeò invaluerat, ut vel minimum hauſtum mors ſequeretur, nec ullo humore extingui poſſet incendium. Tandem junipero, aliiſque remediis admotis, vis veneni fracta eſt: horum enim ope peſtifera flammarum lues enervata, propugnantium corpora adeò immaniter non depaſcebat.

1667 Turcæ venenatos ignes in Venetes jaculantur.

Hæc propè ipſos muros urbis. Sed nihilo ſegniùs res in externis munitionibus agebatur. Nam concurſiones, & prælia circùm adeò crebra erant, ut duplex omninò bellum videretur. Thraces, reciſis ope cuniculorum aggeribus, undique irrumpentes, cuncta ad extremum terrorem componunt. Contra Veneti, ſtipatis manipulis, adverſus irruentes nituntur. Pars eminùs tormentis, alii gladiis, manibuſque rem gerunt; permulti, ne ulteriùs irrepant barbari, pilis ſe objectantes, in cædes præcipitant. Maurocenus verò conſilio, voce, ac manu cuique conſpicuus, quò pugnantium clamor vocat, ubi ſummus labor, ſedulò advolans, ſuos hortatur, *ne deficiant, inſtent hoſtibus: nihil profuturam illorum multitudinem, ubi eoſdem confuſio, & terror invaſerit*. Simul, ubi imparem pugnam animadvertit, ſubſi-

Atrox in externis munitionibus prælium.

Franciſci ſtudia.

1667 ſubſidiarios manipulos provehens, ſe ducem in agmine exhibet, occurſat paventibus, retinet cedentes, ſuoque corpore adit quæque periculoſa. Enituit pręcipuè in eo mira vis animi, cùm ad ſemilunare quoddam munimentum acriùs pugnaretur. Ubi enim fundi Fidelium aciem cognovit, ita ſe in trepidantem turbam, increpando militis formidinem, conjecit, ut, excitato denuò ſuorum ſpiritu, in ſpem victoriæ labantem cohortem reſtituerit.

Qui demū vulneratur.

At tantus in eo ardor (jam enim præliantium multitudini altiùs immixtus erat) diſcrimine haud penitùs caruit. Siquidem elata ex accenſo cuniculo ingens lignorum, telluris, lapidumque congeries ita effuſa eſt, ut evolans ſaxum modicè extremam ejus quoq; brachii partem libaverit. Non propterea tamen fractus eſt animo, aut priùs locum deſeruit, quàm, omnibus iis, qui primas munitiones ſuperaverant, interfectis, reliqui præcipites intra vallum cogerentur. Eminens in Imperatore virtus ita cæteros quoque Proceres incendebat, ut æquè militum, ac ducum officia ſubirent. Non diu, non noctu fovendis corporibus data cura, ne imparatus quis ab hoſte deprehenderetur.

Ducū Venetorum virtus.

Fervebant omnia ſtudiis tribunorum: qui in primis ordinibus cùm ſæpenumerò adeſſent, ad munia quæque opere magis, quàm voce ſuos incitabant. Præcipuè Antonii Barbari Cretæ Præfecti, Marchionis Villæ, Joannis Rudulphi Uvertmellerii Helvetii,

Præ-

Præfecti Armamentarii, atque Equitis Bartholomæi Variſani Grimaldi, militum ducis, virtus emicuit. Hi namque nullis laboribus parcentes, non modò obniti obſeſſoribus, ac perrumpentes ingenti clade depellere; ſed eò fortitudinis devenerant, ut non rarò hoſtem intra vallum adorirentur. Veruntamen, quò magis acuuntur affectus animorum, eò majorem virium jacturam crebra utrinque certamina inferunt. Barbari adacti quaque die per proſtrata ſuorum corpora ſuccedere ad urbem, nonniſi informi, profligatoque agmine recedunt à muris. Veneti quæcunque pericula parvi facientes mortem in acie oppetunt. Indè feſſas cohortes quotidianæ cædes magis exhauriunt. Plurimi ex tribunis, centurionibuſque ſauciantur: ac præſertim Villa glandis plumbeæ ictu ita percuſſus eſt, ut vix atrocitatem vulneris ſuſtinuerit. 1667

Iterùm Achmeses ad Propugnaculũ Panigrà.

Jamque adoleverat æſtas, cùm denuò difficilius ea parte diſcrimen exortum, qua Achmetes recentibus conſiliis fiſus, propiùs propugnaculum Panigrà cum robore exercitus proceſſit: Cùm enim ſubiiſſet pudor tot armatorum cohortes amiſiſſe, integris adhuc animis, ac munimentis Venetorum: in illius partis oppugnationem incumbere intentiùs incępit, ratus, ſicuti minus in ea roboris ex forma munitionum, ita ſe hortatore, atque inſpectante, nihil ſuorum viribus obſuturum. Igitur ex triplici ſuggeſtu dies, nocteſque verberans muros, ita intra

modi-

1667 modicum temporis voti compos redditus eſt, ut tota fermè propugnaculi fronte confracta, ęquaret ruina altitudinem, undè in interiora urbis impetus fieret. Tunc, capto aggreſſionis conſilio, ubi, curatis corporibus, omnia ad facinus opportuna inſtruxit, dato ſigno, adeò impavidè Thraces ad muros concurrere, ut licèt unum per arma, atque ignes iter, alternis clypeis contecti pertinaci teſtudine ad culmen ſuccederent. Non præbuere tamen Veneti aditum hoſti, ut ulla propugnaculi parte potiretur. Enimverò, cùm cominùs aſcendentes ferro deturbarent, minoribus tormentis paſſim proſternerent, congeſtaſque lapidum moles in confluentem turbam pervoluerent; horrenda cæde mulctatos Thraces, & ipſa occupandi loci difficultate triſtiores uſque ad veſperam à muris prohibuerunt. Ita inter mutuas clades die conſumpta, nihilo lætior, quæ proximè affulſit, lux fuit. Nam cum Imperator lectiores manipulos, arma, ignes, ac miſſilia omnis generis deferri ad pugnæ locum edixiſſet; inſtaurato rursùs inter lucis exordia certamine, diù ancipiti eventu dimicatum. Tandem, cùm cadaveribus ruina impleretur, Turcęq; labore, ęſtu, ac vulneribus defatigati ęgriùs murum, periculumq; ſubirent: frendens Achmetes, nihilque tantis copiis pervium demiratus, ea ſpe vim remiſit, ut, reſumpto à ſuis ſpiritu, validiori impreſſione mœnia tentaret. Verùm, ubi turbatum à pugna militem rece-

Aggreditur muros.

Bis à Venetis repelluntur Turcæ.

Achmetes conatur exercitus pavorem inhibere.

recepit, ſenſitque eum tot ſtragis detrimentis affectum de irritis conatibus conqueri, plurimos infirmitatem ſuorum, virtutem hoſtium reputantes omni in poſterum ſpe deſtitui; ne latiùs conceptus animo pavor ſerperet, *adeſſe finem laborum, totque diſcriminum mercedem*, oſtendere aggreſſus eſt, *dummodò nullum quieſcendi tempus obſeſſis permittentes, extrema fortitudinis experimenta in medium afferrent. Non enim tantæ rei momentum moram pati; ſed augendos animos, inſtandum feſſis: nihil tàm in arduo collocaſſe naturam, quod aſſequi virtus non poſſet.* At fruſtrà hæc ſurdis militum auribus jactabantur; nàm toties à muris tàm truculenta cęde depulſi, vix ſuſtinere ora propugnantium, ne dùm majoribus committere ſe periculis, audebant. Gliſcente militum formidine, diſſidii certus Achmetes ſtatuit, occultato interim altiore conſilio, ſequi quodammodò mentem ſuorum, ne tandem ex pervicacia odium, ac contemptus poſtremò ducis exoriretur. Per idem tempus Hieronymus Javarina à Decemvirorum Secretis, prompti ingenii, notæque prudentiæ vir, in Ballarini locum ſuffectus, advenerat; quo cum, ineundæ pacis prætextu, invaleſcentem motum compoſuit.

1667

Spe pacis animos militum in ſe firmat.

Intereà captaturus ſtudia copiarum, quò plus ſibi auctoritatis ineſſet, vehementiùs à ſe belli finem optari ſimulans, miſſis ad Maurocenum nunciis, non ab re futurum oſtendit, ſi feſſo militi aliquot dierum darentur induciæ. At

1667 præter omnem barbarorum ſpem huic conſilio obſeſſi non aſſenſere. Quippè, licèt omnia in urbe, ac munimentis ſtrage ſqualida, everſa pluribus in locis murorum fundamenta, delaſſatus demùm aſſiduis laboribus miles ſatius eſſe amplecti conditionem induciarum ſuaderent, ut interim vires colligerentur: nihilominùs, eluſis Achmetis propoſitis, unam ſibi in armis ſpem, quietemque, Franciſcus reſpondit. Non enim hunc latebat, hujuſmodi eſſe bellorum ſtatum, ut proſit aliquandò negligere malorum remedia, ne aut ex mora irrepat ſegnities, aut pavoris, ac laſſitudinis indicia major hoſtium fiducia conſequatur. Itaque armorum terrorem ingeminans, ſęviorem pugnam accendi jubet. Redactis deindè quinqueremibus intra oſtium fluminis, quod haud multùm à vallo hoſtium aberat, jubet tentoria Turcarum latiùs infeſtari. Ipſe nunc majoribus cuniculis, nunc inopinatis eruptionibus frontem, ac latera oppugnantium invadit. Ingens Thracum clades hos conatus conſecuta. Immò immanis rerum aſpectus adeò Achmetis animum ægrè affecit, ut, ne aſſiduo tot interemptorum intuitu militum robur frangeretur, eodem, quo quiſque enecabatur, loco, humari corpora imperaverit. Novum indè, crudelitatis exemplum. Non ætas, non dignitas, non mœror, queſtuſque plorantium miſerationem afferebant. Plurimi ſaucii mortuis permixti eodem tumulo condebantur. Hæc tamen ubi pau-

Induciarũ cõſilio non aſſentit Maurocenus.

Ingenti utrinq; clade res agitur.

Turcarũ crudelitas.

paulùm proceſſere, in Turcicæ feritatis irritamentum verſa ſunt. Siquidem barbari cladibus jam aſſueti, ipſa demùm deſperatione ad iram potiùs, quàm ad formidinem verſi, periculi, quàm moræ patientiores videbantur. Hinc ex temeritate ſpes; mortemq; tàm parvi faciebant, ut, veluti leviſſimum eſſet malorum, ea ſtolidè molirentur, quibus certa cædes imminebat. Quamobrem nullus incurſionibus modus; multiplici ex parte eodem tempore munimenta oppugnata; nunquam bolidum, ac tormentorum ictus intercepti: ita verò concuſſi cuniculis aggeres, ut uno momento ſexdecim in locis tellus ſubverteretur. Ad hæc neq; temperatum fraudibus. Namque urbem per proditionem capi poſſe rati, ſchedulas apici telorum affixas in Venetos jaculabantur, ut, vel munerum oblectamento, vel excidii oſtentatione, conſtantiam experirentur. Prẹtereà aliquandò locum mutare, repentinas moras armorum aliqua ex parte nectere, rursùs validiore impetu ruere in murum; miſſis demùm ſpecie transfugarum corruptoribus, Venetos ad exuendam fidem emercari. Verùm, cùm nullus armis, dolove locus eſſet, nova nocendi genera inventa, non ſecùs ac ſi bellum recentibus animis, corporibuſque tunc primùm committeretur. 1667 *& fraus.*

Barbari ad foſſam urbis erumpunt.

Quatuor menſes prẹliantium conatus abſumpſerant, nondùm ab hoſte occupatis munimentis; cùm tandem per cæca quædam diuturno

1667 labore excavata itinera, non longè à foſſę margine aliquot Turcarum copiæ inopinanter erupere. Ingens tunc in urbe metus. Quæ tam propera cædes? Quis in aggeribus graſſaretur? An domeſticæ proditionis nefas? Sonus tubarum, ac ſtridor armorum, quò ſubita, eò ſæviora indicabant. Multi Cretenſium, licèt ad arma conſurgant, trepidanter tamen prope muros conveniunt. Nonnulli inſtare neceſſitatem ultimam arbitrati, fugam meditantur. At Maurocenus, cognito Turcarum auſu, tumulum aſcendens, undè omnibus in conſpectu eſset: *Quid miramini*, inquit, *milites, inconſultam hoſtium audaciam; redactiſq; inter anguſtias cur ampliùs parcitis? Congeſtam, quam cernitis, Turcarum turbam inſana urbis capiendæ ſpes hùc cæco errore perduxit; quos non ſolùm citò pœnitebit incœpti, ſed etiam conatus pœnam veſtræ dabunt virtuti. Concluſis hinc mœnibus, illinc aggeribus nullum ſupereſt effugium. Vobis verò ſaxa, faces, arma, quibus eos opprimatis. Proſternite igitur obvios, incautos trucidate. Non unum mihi conſilium ſuppetit, ex quo vos victoria potiamini. Ubi paulùm proceſſeritis, inopinata eruptio ita eos deprehendet, ut undique profligati vix evaſuri ſint, qui hujus diei facinus queant referre.* Sic, diſſipato terrore, qui priùs ſine ordine vagabantur, alacres ad ſigna concurrunt. Pars acri impetu è portis prodit; nonnulli prompti ad opem in proximis receptaculis collocantur. Reliqui eam murorum partem confertim occupant, quam pręcipuè oppugnare Thraces pergunt. Nihil unquàm eo cer-

Venetorũ pavor.

Sed Maurocẽni voce animos reſumũt.

Atrox prælium committitur.

certamine crudelius. Cùm enim projectorum lapidum ruina, gravibuſq; ſclopetariorum ictibus hoſtes deſuper premerentur, in ipſo pugnandi exordio univerſam planitiem cæſorum corporibus operuere. Sed barbarorum ferocia virtutem à noſtris eliciebat. Quippè illorum Præfectus ſubſidiarias copias ſubmittens tamdiù dimicavit, dùm interventu noctis prælium dirimeretur. Tunc, remiſſa pugna, ſignum receptui datum; exceptique ſunt Veneti intra muros, ne fortè tenebrarum erroribus in inſidias traherentur. 1667

Nox incerta victoria dirimit pugnantes.

Imperator, ut omnium fiduciam in tanta ſuorum conſternatione (quamplurimi enim è noſtris deſiderabantur) revocaret, circumire ſtationes, geſta ſingulorum extollere, alium ſpe, alium gloria, omnes comitate ad futura prælia firmare. Cùmque in proximis muro receptibus miles pernoctaſſet, ubi reddita lux fuit, ſignum canentibus tubis, rursùm impetus in barbaros eſt factus. Verùm hi diſcrimen præcaventes ita copias auxerant, ut toto exercitus robore illùc viderentur conveniſſe. Concurſum magna cæde, pugnaque diù neutrò inclinata ſtetit. Sed, cùm multiplici agmine Thraces Venetam aciem circumvenirent, teliſque, atque ignibus perfringere ordines conarentur; major illata noſtris clades foret, ni diſpoſiti per idonea murorum loca milites aſſiduò ferrearum glandium, omniumq; miſſilium grandine inſultantium pervicaciam cohi-

Poſterò die rursùs prælium inſtauratur.

1667 cohibuiſſent. Maurocenus, intellecto periculo, alium prælii ordinem tentaturus, militem à pugna retrahit; &, ne fugę ſpecies Achmetis animum augeret, ſervatis ordinibus, ac nunquam intermiſſo certamine, retrò paulatim agi copias jubet. Ita expertis invicem vires hoſtium ſegniores paulùm conatus videbantur. At, cùm Turcarum cohortes crebris aggeribus, vineiſque contectæ hac parte ſe ſe veluti confirmaſsent, quamvis exteriora munimenta à Venetis adhuc defenderentur, inopinata ſubindè pericula erumpebant. Non tamen aperto impetu eam murorum loricam aggredi auſi obſeſsores. Nam, cùm aut petendam ſummo conatu urbem, aut collatis ſenſim aggeribus, ad muros ſuccedendum animadverterent; tutiori huic conſilio innixi, altiſsimis foveis, ac ſemilunaribus munimentis eludere omne opus propugnantium conſtituerunt. Ut hos nixus averteret Imperator, ac diverſis motibus aſsultantes defatigaret, nunc invadens objectam molem, quà debiliores obſidionales acceſsus erant, nunc invaſuri ſpeciem præbens, aſſiduè oppugnantium machinas confundere moliebatur. Neq; prætermiſsum tormentis infeſtare; licèt parùm horum ope proficeret. Ferrei etenim globi in adverſos tumulos illapſi, loricis vimineis excipiebantur, iiſque ſine detrimento hærebant. Hæc cùm in dies novos pugnantibus ſtimulos addidiſsent, ſicuti ditiſſimæ urbis expugnandæ cupido Thraces altiùs

Sed Veneti recedunt.

Turcarũ conatus.

tiùs

tiùs allexerat, ita inſenſiſsimę obſidionis tædium 1667 Cretenſes irritaverat. Barbaris audacia pro virtute, labores, vigiliæ, vulnera aviditate prædæ penſabantur. Veneti haud immemores religionis, & gloriæ, loca, quæ defendenda à ducibus acceperant, omni conatu ab hoſtium impetu vindicabant; poſtremò, ubi ſuperior vis invaluiſset, morientes corporibus obtegebant. Indè nulla urbis pars cladibus vacans. Exceſserant prælia modum; quique à pugna victor modò evaſerat, continuò pugnantium clamoribus aliò evocatus, furori barbarorum concedere cogebatur. Nuſquam prior Cretæ aſpectus; nuſquam florentiſsimæ urbis robur. Alia prorsùs frons murorum, alius ordo pugnantium; eadem verò paſſim ſævitia armorum, ac mortis triſtiſsima imago obverſabatur. Munimenta ipſa ita corruerant, ut de ruinis tanto utrinque ſanguinis pretio decertaretur.

Venetorū ardor.

Cæterùm, ſicuti in urbe deſævientis belli procella cuncta miſcebat, ita univerſa inſula adeò devaſtabatur à barbaris, ut ubique lacrymis, & ſanguine exundaret. Expulſis præſidiis, direptis opibus, ac diſſipatis meſſibus, omnia belli horrorem induerant. Aeris prætereà indulgentia in atrociorem ęſtum converſa, utrumq; exercitum crebris internecionibus funeſtabat. Jacebant paſſim milites labore, tabe, ac vitæ tædio proſtrati: mananteque latiùs in dies lue, ob decoquentem deſuper ſolem, paſſim aut ſpectacu-

Æſtus cōficit corpora pugnātium.

1667 ctacula morientium, aut ſimilem exitum expectantium lamenta occurrebant. Truci huic rerum aſpectui Cretenſes ita ingemuere, ut tamen Franciſco hortante rursùs animum ad vitam patriæ impendendam firmarent. Adeò Imperantis fiducia, lætiorque frons omnes excitabat, ut affirmarent unanimes, ſicuti in ſuſtentando uſque in eam diem obſidio, ita in exercendis uſque ad extremum accerrimæ defenſionis conatibus, nunquam ſibi conſtantiam defuturam. Ille, ut diſcretus labor ſtrenuos, inerteſque magis diſtingueret, aliam cuique provinciam demandabat; atque exindè ſedulitate, fide, ac vigilantia pugnantes inter ſe, ipſa decoris contentione accendebantur. Non auctorati milites tantùm, ſociique navales, quibus belli exercitia aſſignata, ſed omnes, quos aut impar laboribus ſexus, aut provecta ætas à muneribus priùs exemerat, immixti armatis quęcunque ſubire diſcrimina, ſauciis opem ferre, arma miniſtrare, ad ipſas ruinas murorum loricas vimineas, telluris congeriem vehere, ne per quaſſata murorum tranſcenderent hoſtes in urbem. Ad hæc, Maurocenus ipſe, ſicuti poteſtate, ita exemplo unumquemq; antecellebat: diurna, nocturnaque officia pari ubique ſtudio, ac fortitudine. Interim Thraces, licèt in urbem opere nunquam intermiſſo devoluti, quotidiè evertendis propugnaculis inſudarent: majori nihilominùs exercitus robore de capiundis exter-

Studia Imperatoris ad accendendos milites.

nis

nis munitionibus decertabant. Hinc pervicax quotidiè pugna, & varia utrinq; genera inſidiarum. Tandem fortuna in eam partem inclinavit, cui, ob auctiorem pugnantium multitudinem, minora ex periculis detrimenta. Quamvis enim Veneti occupatos ab hoſtibus aggeres denuò ingenti hominum clade repeterent; tamen nunquam remiſſa prælia eam militibus jacturam intulerant, ut continua ſanguinis effuſio ſtatutum defenſionis pretium videretur. Ob id comperiens Imperator, utilius fore ſuos in unum redigi; cùm præthereà, ob convulſos undique aggeres, vix quidquam muris urbis exterius vallum præſtaret, nec ſpes ſuppeteret, ut validiſſimus hoſtis ab incępto repelleretur: decedente Octobris menſe, edixit, ut, ſubverſis munitionibus, quæ in Achmetis commodum aptiùs tranſire poſſent, intra muros manipuli ſe reciperent.

1667

Turcarũ molimina adverſus externas munitiones.

A quibus tandẽ Veneti recedũt.

Inopinatus Venetorum à loco, quem ſtrenuè eouſque tutati fuerant, receſſus erexit pertinàciam barbarorum. Quare ſuggeſtuum tormentariorum corona propiùs męnia deducta, crebris ſepimentis obducti aggeres, &, ne certis Cretenſium ictibus peterentur, loricæ vimineæ, tranſverſariæque foſſæ juſſu Achmetis raptim comparatæ. Nec obſidionalibus tormentis modò, quibus muros, & ſubjecta muris ędificia vexabant, ſed ſubitis aggreſſionibus adeò infeſtare obſeſſos cęperunt, ut, ni horum virtùs obſtiſtiſſet,

Hinc bellum paſſim incenditur.

S tiſſet,

1667 tiſſet, inſtaret quotidiè urbis exitium. Achmetes ipſe, veluti majori ſpe accenſus, multos hortatu, & laude, alios ignominia, & probris, omnes fiducia, promiſſiſque acuens, ſtrictis prælium poſcebat. Idcircò proximam mari mœnium loricam tentare exorſus, aliquandiù ancipiti eventu noſtros detinuit. Sed Maurocenus ſummovendis irruentibus ſtudens, aliquot dies propugnatione contentus, eorum conatus ſtrenuè propulit. Tandem in oppoſitum aggerem tormentis primò, atque ollis incendiariis, mox omni nixu virium invadens, ſoluta valli compage, Turcas horrenda clade mulctavit. His motibus fervebat in dies magis oppugnatio, cùm adventante XVIII. Novembris die, delaſsatas obſeſsorum vires multus imber adjuvit, retardans incœpta barbarorum. Enimverò, cùm lubrica humus deciperet præliantes, atque, ineunte jam hyeme, quietem exercitus expeteret; Achmetes, ut corpora refoverent, milites in vallum reduxit. Non ideò tamen intermiſsa tormentorum cura; ſicuti à cuniculorum, atque eruptionum opere nuſquam ceſsatum eſt. At, cùm glacialibus ventis, atq; imbribus fœda tempeſtas ita eorum caſtra turbaret, ut vix tueri tentoria poſſent, quæ aqua, ac turbine raptabantur, nihil, præter leves quaſdam concurſationes, qua parte cuniculi erumpebant, memorabile peractum. XXVII. M. & CCC. Turcarum hoc anno cecidere, VII. M. & D. Venetorum: urbis verò præſidium ad VIII. M. militum redactum. Tan-

Imbrium caſus belli ſævitiã frangit.

Cædes Turcarũ, noſtrorũque.

1667

Senatus conſilia.

Tantæ obſidionis fama ubique terrarum ingenti admiratione excepta. Senatus, licèt Cretenſis Regni ſalutem in lubrico eſſe animadverteret; egregium tamen facinus patratum exiſtimabat, quòd adverſus tanti exercitus molem hactenùs ſui juris civitas eſſet. Accendebant ultrò ſpem Patrum conſtans Imperatoris ardor, & prona mens ad extremos defenſionis conatus, quam nulla rerum diſcrimina deterrebant. Exindè omnium prçconiis variè extollebatur Franciſcus; quo duce, nihil hoſti in tàm ardua bellorum conditione pervium fuerat. Veruntamen optimi cujuſque animum altiores parandorum armorum curæ verſabant; cùmque Thraces ob auctam potiundæ urbis cupidinem novum exercitui robur adderent, hinc quoque ad colligendas vires verſa conſilia, ut obſidio fortiùs toleraretur. Conceſsere in opem Reip. exterorum Principum ſtudia, quæ in dies magis à ſtrenuæ defenſionis gloria eliciebantur. Hinc permulti ab longinquis regionibus, & præcipuè ex Galliis, in Cretam, ut vel rei militaris documenta ſub Mauroceno perciperent, vel ejus virtutem propiùs mirarentur, convenere. Contrà Achmetes ob fruſtrà tentatam oppugnationem non æquè copiarum jactura, ac Principis minis vehementer angebatur. Nam Mahometis indignatio, quamvis premeretur, erupit; immò penè in exitium pugnantis exarſerat. Itaq; Rex ægrè paſſus, Cretenſis belli eventum diutiùs protrahi, ubi

Apparatus bellici inſtruuntur.

Mahometis Regis minæ in Achmetē.

1667 comitate, ac muneribus aliquandiù illum detinuit, tandem apertè execratus ducis ſegnitiem, crebrò diſſeruit, non tàm de urbis expugnatione, quâm de Achmetis fato ante Cretæ muros agi; ita ut ſi incaſſum ceſſiſſet obſidio, ipſius tantùm ſanguine dedecus Imperii obliterandum.

Achmetis aſtus.

Ob id Achmetes ſimul difficultate cœpti, ſimul ſuo diſcrimine conflictatus, mox ferox neceſſitatis ingenio, Regem fiducia victoriæ, exercitum donis, atque annona pelliciens, illud ſummoperè curabat, ut præſto eſſet ſupplementum copiarum, augeretur fides militum, ac poſtrema aggreſſionum experimenta quamprimùm intentarentur. Attamen nihil tutò peragi poſſe ratus, niſi priùs aliqua pacis larva militum animos in ſe firmaret; haud multùm abeſse Venetos à conſilio dedendæ urbis crebrò apud ſuos jactitavit: immò quietis mentionem cum Hieronymo Javarina quandoque fecit, utilia Reip. tractaturo, ni peſtilentiæ vis brevì eundem exanimaſſet. Itaque, dùm eludendæ militiæ gratia alium ſibi pacis procuratorem à Mauroceno depoſcit: ocyùs arma parat, inſtruit novis delectibus cohortes, &, quo majore fiducia miles bellum capeſſeret, univerſas vires, ac de novo advocata aliquot pretorianorum militum millia quos Janizeros appellant (lectiſſimorum id apud Turcas armatorum genus eſt) in conſpectum affert. Hinc nova machinamenta, novos aſtus orditur; paratus ad bellum egredi, ni rigor tempeſtatis obſtitiſſet.

Hieronymus Javarina moritur.

Dùm

Dùm hæc ab eo comparantur, Imperator tempori, rebuſque accommodanda conſilia reputans, cùm, niſi penitùs interceptis, remiſſis certè conatibus hoſtium, quædam quietis imago affulſiſſet; ita permuniendæ urbi vacavit, ut nullus ſine opere dies exciderit. Miſſis itaque primùm expeditioribus navigiis, quæ ex Ægæi inſulis prædas hominum referrent, ipſe omni ſtudio inſtaurandis munitionibus inſtitit. Igitur reficere fracta murorum, congeſta tellure validiores loricas reddere, tumulos mœnibus impoſitos attollere, præſtructaſque portarum moles undique armis, ac milite confirmare. His ſedulò actis, in eam abiit curam, ut, ubi impetum facturos hoſtes conjiciebat, ibi nova veteribus munimenta adjiceret. Quamobrem tranſverſis ſepimentis, perfugiiſque ſecundariis clauſum propugnaculum Panigrà, in cujus oppugnationem potior vis exercitus hoſtilis incubuerat. Indè ſemilunare vallum extructum, ex quo, captis ab hoſte propugnaculi muris, acriùs irruentibus objici Cretenſes poſſent, ac promptiùs è loco Thraces depellere. Acceſſit & militaris fraus. Paratis enim multiplici ex parte cuniculis, proviſum eſt, ut, ſi qui ejici aperta armorum vi non poſſent, incauti ruinis obruerentur. Ubi inſtaurata nonnihil mœnia urbis fuere, haud neglexit ſtudia animorum. Exorſus à ducibus, mox unumquemque militum, civiumq;

1667 Mauroce- nus urbẽ ſedulò re- ficit.

ſpe

Militum animos ſpe confirmat.

1667 ſpe victoriæ hortatus ad operam ſtrenuè navandam, ita gloriæ ſtimulis omnium mentes incendit, ut una ſententia Chriſtianorum ſequeretur, aut amovendos magno nixu ab oppugnatione barbaros, aut fortiter in acie pereundum.

Bellũ rurſùs accenditur.

Bernardus Nanius cũ ſubſidiis adeſt.

1668 Sed Decembris menſe vix quietè tranſacto, ubi prima Januarii dies illuxit, qua nonnullę auxiliares copiæ ab Italia adventarant, cum iiſq; Bernardus Nanius Patritius Venetus (huic Prępfecturam urbis Patres demandaverant) recentibus viribus auctus Achmetes adfuit, cuncta bellicis tumultibus implens, pugnamque elato adeò animo poſcens, ut nunquam ſatis collata muris infeſtandæ urbis machinamenta crederet. Auxere tunc primùm Imperatoris curas novorum conatuum indicia, quòd videlicet adverſus propugnacula S. Andreæ, & Sabulonariæ mirandæ magnitudinis aggeres barbari celerrimè conſtruxiſſent. Hæc loca ſuperiore anno aut non tentata ab hoſtibus, aut modicè laceſſita. Ea enim opinio apud Thraces falsò invaluerat, illius fundamenta præaltis ſaxorum molibus inniti, hujus verò, ob congeſtam undique alluvione maris arenam, cuniculorum opera minimè pati. Verùm de his proditoris cujuſdam conſilio admonitus Achmetes, ac ſimul edoctus, quà faciliùs potiri propugnaculis poſſet; ſtatuit hinc quoque moliri urbis excidium. Motus

Propugnacula S. Andreæ, & Sabulonariæ tẽtantur à barbaris.

tus Franciſcus inſperato diſcrimine, ubi harum partium præſidium auxit, ſatius reputavit, occupatis ſtudiis obſidentium, erectos ab iiſdem aggeres inopinanter evertere. Parati igitur per eoſdem dies cuniculi ope uſus eſt, quo accenſo, propugnaculum paulùm à mœnibus abjunctum ita concidit, ut non Thraces tantùm, qui locum confertim tuebantur, ſed ingens quoq; multitudo armatorum finitimos aggeres cuſtodientium inter ignes, ac rudera obruerentur. Suſpectiorem debellandę Cretæ fiduciam defenſorum ardor Achmeti reddidit: qui tamen, ne omnis exercitus ob Venetorum virtutem ſubito metu contabeſceret, collectis viribus, ocyùs deſcendit in certamen.

1668 *Mauroceni cõſiliũ.*

Orta igitur acrior de urbe pugna; atque, ubi nonnihil tormentis mœnia disjecta ſunt, ſigno pugnæ dato, clamor in caſtris Turcarum ad arma diſcurrentium ingens ſublatus eſt. Tunc fulgentes armis campi, denſumque agmen in conſpectu Venetorum conſtitit. Nec multò poſt, ubi tubarum clangore, & barbarorum ululatu rursùm ſonuit acies, peditum cohortes ad muros admoveri, cunctaque ſtrepentium armorum fragore confundi cœperunt. Sed, cùm pręcipua aſſultantium vis ad S. Andreę vallum contenderet; reliquorum locorum cuſtodia notæ virtutis tribunis commiſſa, eò lectiori cum cohorte Maurocenus adproperavit. Continuò atrox ibidem prælium. Præſtabant Turcæ copia militum:

Achmeses urbem aggreditur.

1668 tum: Veneti ad nutum monentis intenti, catervatim ſuccedebant, frontemque, ac latera irruentium turbare nitebantur. Plures horas dimicatum eſt incerto eventu, ac multum utrinque ſanguinis effuſum. Sed nudaverat jam lævam murorum partem aſſidua cædes; indè, inclinante ad Thraces victoria, cùm multi defenſantium feſſi ab integris ægrè pugnam acciperent, demùm in deteriores metus converſi, vix arma, vix ordines retinebant. Tunc Maurocenus opportunè aliquot manipulos provehens, cùm veluti cuneo cedentes ſuſtinuiſſet, edixit, ut pars media copiarum hoſtilem aciem perrumperet. Id ubi peractum, verſo pugnandi ordine, in victores periculum, cædeſque recidit: Veneti enim acri primùm robore Turcas perculerunt: mox, collatis audaciùs ſignis, tantus iiſdem terror allatus, ut, ni ſubſidiaria cohors in promptu fuiſſet, univerſa trepidantium turba eodem exitio involveretur. Non ideò tamen vincendi ſpes in ancipiti fuit. Enimverò deformi clade acti barbari ita incompoſitum agmen verterunt in fugam, ut quamplurimi eorum, quibus ob pręcipitem decurrendi impetum elabi ad interiora aggerum per ſtipatos manipulos non licuit, impunè ab inſequentibus trucidarentur. Multi, ut gladios victorum evitarent, ex editioribus locis ſe demittentes, jucundo Venetis ſpectaculo, aliud mortis genus invenerunt. Hoc eventu, iteratis poſteà conatibus, crebrò pugnatum

Pugna atrox, dubiaque.

Turcæ à muris recedunt.

tum

tum eſt. At licèt compulſi ingenti jactura Thraces nuſquam aditum in urbem invenerint, nunquam tamen ſubitis aggreſſionibus temperarunt. Immò modò machinis, & ferro, modò ignibus, doliſque, ſæpiſſimè ſubterraneis certaminibus fatigare obſeſſorum ſedulitatem conati ſunt: quamvis non omnia vincendi fiducia, ſed ea ſpe plurima experirentur, ut multa auſis aliqua ex parte fortuna faveret.

1668

Nihilominùs oppugnatio nuſquam remittitur.

Hæc dùm milites moliuntur, haud mitiora detrimenta vis tormentorum urbi inferebat. Singula propugnacula ab hoſtium aggeribus circumventa: & præſertim Bethlemiticum ſex, & triginta tormentis jugiter quatiebatur. Nullus præterea cuniculis modus. Fervebant reſiſtentium cohortes, & ne ruinarum culmine barbari potirentur, nunquam mœnia, quod plurimùm intererat, Maurocenus deſerebat. Id ab reliquis quoque ducibus actum: adeò ut, quæ ipſe adiret, præcipere videretur. Sed quàm modica ea omnia, quæ diurnis contentionibus tentabantur. Tenebræ, & dulcedo fallendi, ad temeritatem plurimùm erant: maximique conatus, ut nox eſſet in partibus, noctu potiſſimùm erumpebant. Aliquandiù hiſce vicibus anceps bellum protractum: &, quamvis Turcarum exercitum crebra certamina exhaurirent, omne cædis genus facilè ab iis tolerabatur. At urbis tenui preſidio cuſtoditæ vires ita imminui cœperunt, ut ſæpè intra refugia ſecundaria milites cogerentur.

Mœnia tormentis decuſſa corruunt.

Noctu ſæpè Turcæ Venetos adoriuntur.

1668 tur. Exindè Imperator, licèt omninò ſuſpectum belli exitum ob hoſtium multitudinem eſse intelligeret, feliciora commentus, ut animos confirmaret, contrariis cuniculis aſtus barbarorum in ipſorum perniciem vertere adnitebatur. Jamque, miteſcente hyeme, alter menſis exceſserat, ex quo Creta eo anno oppugnabatur; cùm reliquæ Venetorum, ſociorumque navalium copiæ convenerunt. Modicum tamen ex iis levamentum. Siquidem inaudita vis belli, multitudo præliorum, ingenteſque murorum ruinæ multò majorem propugnantium numerum exigebant. Preterea, veteranorum militum, ac ducum robore abſumpto, vix Franciſcus paucis iis fidebat copiis, quę truci adeò obſidionis generi, & vix unquam remiſſis vigiliis aſsueverant. Mentis nihilominùs juſtum pavorem tegens, immò ad hilaritatis indicia vultum componens, ad ea omnia, quæ ex re erant, Cretenſes ſedulò hortabatur; ſui ipſius exemplum ubique exhibens, ut, eo præeunte, non labore, non diſcrimine, non clade virtus militis frangeretur.

Cretã accedũt nova ſubſidia.

Nocturnę cum Turcis pugnę origo.

Inter has curas ingens dictu res contigit, quę ſicuti feſsos pugnando animos Cretenſium erexit; ita à barbaris, inopinato quamvis horrore, ac cæde perculſis, admirationem extorſit. Neque in dubium revocandum, obſidionem hac tempeſtate eò redactam fuiſse, ut, nĩ magni aliquid, quo bellum protraheretur, accidiſset, à furore hoſtium ſervari Creta minimè poſset. Sed inſpe-

ſperatum prçlium, ex eoque inſignis victoria tanti diſcriminis eventum diſtulere; extremoſque Thracum conatus concepta repentè formido nonnihil remorata eſt. Quippè Achmetes de eo potiſſimùm ſolicitus, ne ex defectu ventorum cujuſquam rei inopia exercitus laboraret, duodecim mille ab urbe paſſus in extremo inſulæ littore (S. Pelagiæ locus nuncupatur ab incolis) amplam arcem extruxerat; ad quam triremes, cçteraque annonaria navigia commeatuum omne genus deferebant. Indè facillimo itinere, prout exigebat neceſſitas copiarum, utilia quæq; ad caſtra convehebantur. Rebus ſuorum ita curatis, ſtatuit, quam ſibi excipiendorum auxiliorum opportunitatem paraverat, obſeſſis penitùs eripere. Diam igitur inſulam Ægæi maris, duodecim milliarium intervallo Occidentem verſus à Creta diſtantem, occupare decrevit. Cùm enim, ob commodum commercium, ac tutos portus, quibus inſula ameno ſalubrium aquarum uſu frequens undique ſcatet, utiliſſimum Venetis locum, cùm ad recipiendam claſſem, tùm ad miniſtranda obſeſſæ urbi ſubſidia animadvertiſſet; plurimùm expugnandæ urbis conſilio profuturum ſenſit, ſi potitus inſula, clauſiſque ſubſidiis, famis vi Cretenſium conſtantiam tentaret. Delectos hac de cauſa ex flore juventutis MM. milites Calippo Natoliæ Præſidi tradidit; præcepitque, ut Rhithymnam expeditis cum myoparonibus advolans, atq; ad-

Achmetes ſtatuit Diã Inſulam armis ſubigere.

Calippus Natoliæ Præſes, & Durachus Archipirata facinori ſe accingunt.

1668

T 2 jun-

1668 junctis ibidem cum Durachi Archipiratę claſſe navigiis, Diam ex inſperato adoriretur. Non modicæ roſtratarum navium manui præerat Durachus; hicque partim libidine prædæ, partim Achmetis promiſſis motus, qui poſtremò in præſentis facinoris præmium ſummam Claſſis Præfecturam ſe in eundem collaturum pollicitus fuerat, prompta miniſteria deſpondebat. Itaque, cùm juſſis Achmetis impigrè barbari obtemperaſſent, id primùm ſtatutum eſt, ut, quas Maurocenus in cuſtodiam inſulæ collocaverat, triremes (hæ ſeptem numero erant) navali prælio ſubigerent. Laurentius Cornelius Claſſis Præfectus, atq; eximiæ ſolertiæ vir has ductabat: qui variis itineribus interjectum mare perlegens, ſedulò cavebat, ne vel adventantes ab Italia naves, vel Dia Cretam contendentes ab hoſtibus interciperentur. Sed jam à Turcis maturabantur inſidiæ, ſorſque eorumdem cęptis blandiebatur. Quippè, omnibus ad certamen properè comparatis, iter adverſus Venetas triremes cęperant, vento ſecundante; eaſque dubio procul ingenti, quo pollebant, navigiorum robore obruiſſent, ni conſilium per occultos exploratores ad Mauroceni aures perveniſſet. Hic tunc intelligens non dandum fortunæ tempus, quæ inopinatis plerumque caſibus gaudet; expeditam militum cohortem in triremes raptim conjecit, octavoq; Idus Martii Diam profectus eſt. Monitus à conſciis ea potiſſimùm

Statuunt Laurentii Cornelii triremibus potiri.

At Maurocenus, re cognita, ad S. Pelagię arcem pergit.

nocte

noſte Calippi claſſem Rhithymna adventuram, 1668
non procul à S. Pelagiæ arce anchoras jecit, ibidem prętereuntes barbaros repentè aggreſſurus.

Jamque ad ſecundam vigiliam pernoctaverat, cùm Thraces, qui in Cornelium invadere cogitarant, ut ad certam victoriam properavere. Imperatòr, cognito hoſtis adventu, cùm prælii ordinem anteà diſpoſuiſſet, etiam inter tenebras, ut dolum dolo eluderet, barbaros laceſſere conſtituit. Vix remigum fremitus per noctis ſilentium ad vacuas hoſtium aures allatus eſt, cùm terror continuò exortus ita eorum animos commovit, ut ingens confuſio pavitantem turbam inceſserit, tenebris formidinem augentibus. Eodem tempore, quidquid ad horrorem valet, cumulans Maurocenus, cùm claſſicum canere juſſiſset, circumveniri hoſtes imperat; ipſeque ante omnes in trepidantes invehitur. Sed cùm incertum Turcis eſset, quis novus hoſtis inſtaret, an verò inteſtini tumultùs audacia ſubitum rumorem intuliſset, diù per caliginem noctis erraverunt; inſciis etiamnùm, quos oppugnare neceſſe eſſet, quos tueri. Hinc clamor, vulnera, ſanguis palàm; initium in occulto. Ubi verò ignium crebrò micantium fulgor illos edocuit, adeſse Maurocenum, ab eoq; claſsem circumſeſsam; cùm nullum pateret effugium, urgeretque neceſſitas dimicandi, collecta animorum ferocia, atq; implicitis invicem navibus, prælium ingenti tumul-

Ad ſecundam noctis vigiliā hoſtes adoritur.

Turcæ primò trepidi.

Deindè feroces acriter pugnant.

1668 multu conſeruere. Quæ ſubita ruentium clades, quantoque impetu decertaretur, atris licèt nox tenebris occuluerit, exitus aperuit. Audacter, victoria neutrò inclinante, ab utriſq; pugnatum eſt; cùmque vix quidquam manus, oculique proviſu juvarent, diù, immixtis viribus, cęca diſcrimina prӕliantes ſubierunt. Inſtabat

[illegible] à duabus triremibus circumvenitur.

nihilominùs Turcis acrior Imperator; qui, quamvis à tribus Calippi triremibus oppugnatus, tanto ardore profligare eaſdem conatus eſt, ut, duabus vi tormentorum perfractis, poſtremam, cęſis fermè ad unum cuſtodibus, ſubegerit. Tunc primùm victoriæ ſpes Venetis affulſit. Igitur, dùm mutuò ſe ad ſtrenuè agendum invitantes, certatim disjicere objectas naves moliuntur, quædam ex Durachi triremibus ab Aloyſio Contareno devicta eſt. Non ideò tamen Turcę ferociam infregerunt. Inerat penè omnibus

Durachus Nicolai Polanii triremim penè ſubigit.

eadem vincendi fiducia; cui præ cæteris plurimùm Durachus innitebatur. Hic ad omnes fortunæ articulos intentus, modò hos, modò illos pellebat; certum ubique ſuis ſubſidium oſtentans. Demùm in Nicolai Polanii Patritii Veneti triremim, quam paulùm ab aliis ſejunctam deprehenderat, irruens, ita proſperè armorum vi uti incęperat, ut, penè redacto in ſuam poteſtatem navigio, victoris more ſæviret

Sed Imperator, ſuis opem fert.

in milites. Eò periculi magnitudo Imperatorem advocavit; qui, reſtituta poſt acrem contentionem ſuis libertate, ereptaque à Turcarum vinculis

culis

culis triremi, atrocius cum ipſo prelium iniit. 1668

Horrida rerum facies. Indignati hoſtes è manibus ſibi vincendi gloriam extorqueri audaciùs in cędes pręcipitant; erecti è contra Veneti, cùm magnum in illius navigii captivitate momentum quo ad victoriam, neque minor ſpes quo ad prædam eſſet, undique Thracibus aſſultant. Venetos honor facinoris, barbaros agit deſperatio. Utrinque in rabiem effuſi dimicantes, non ignibus, non armis, non truculenta ſociorum cæde retardantur. Jamq; extrema ſolicitabantur remedia, ſex horis ancipiti bello conſumptis, cùm Imperator incommodas tenebras ſentiens. *Peragam, ait, potiori conſilio tantum certamen; novumq; pugnæ genus aut meorum, aut hoſtium victoriam oſtendet. Inuſitata præliandi ratione aggrediar contumaces. Videant illi periculum ſuum: ad tantæ cædis imaginem, vel penitùs ipſorum robur frangetur, vel, ſublata intempeſtivè nocte, tutior nobis pugnæ, victoriæque modus erit. Agite intereà ſtrenuè, milites; ac breviſſimo diſcrimine comparate nomini veſtro famam, quam nulla unquam ætas delebit.* His dictis, accendi piceas faces juſſit, quarum plurimis in oppoſitam turbam projectis, primò repentinus ignis adeò Turcarum perſtrinxit oculos, ut penè attoniti, furoris obliviſcerentur. Diù, quid ſub improviſo igne lateret, barbari timuere. Diffuſum lumen variè monſtrabat triremes, fallebatque. Majores navigiorum umbræ, terribiliſq; maris facies novos animorum impetus, novos ſubindè metus incutiebant. Interim

Atrox Mauroceni cum Duracho cõflictus.

Conſilium novum Mauroceni.

Piceas faces in hoſtes jaculatur.

1668 terim Turcæ, adverſo ſplendore collucentes, veluti ex occulto erumpentibus Venetis improvidè offerebantur. Tandem, dùm, collectis rursùs viribus, priores conatus intentare adnituntur, lethalem ictum, edocente facium fulgore, in quem mitteretur, Durachus excepit. Abſtulit dicto citiùs Pręfecti nex militibus quoque robur: Indè ita diſſipati ſunt formidine, ut, quæ paulò antè ad tutelam ſumpſerant, arma projicerent, latebraſque inani fuga quæritarent. Occupato confeſtim à noſtris navigio, multi Turcarum gladiis percuſſi. Cùmque nullus fugiendi locus eſſet, mortis terror cæteros ad deditionem coegit. Tunc non modò Præfecti navis, ſed aliquot aliæ etiam, quas Aloyſius Magnus, ac Leonardus Morus, hic Claſſis extra ordinem, ille Adriatici ſinus Præfecti, opem ferentibus ſtrenuis viris Aloyſiis Priolo, ac Minio, Petroque Quirino, ſubegerant, in Mauroceni poteſtatem redactę. Duas verò tormentorum vi fractas æquor abſorbuit. Quæ furtim evaſerant, tuto littore egentes, dato in præceps curſu, latentiores receſſus invenere. Calippus actuariolo exceptus, è manibus victorum vix elapſus eſt. Cęterùm, ſicuti non incruenta Venetis victoria, à quibus CCL. milites, nonnulliq; duces, atq; inter hos Daniel Juſtinianus Ærarii Præfectus, Georgius Fuſcarenus, ac Joannes Franciſcus Cornelius è Patritiorum ordine, qui fortiter pugnando ceciderant, deſiderabantur; ita, præter

Præfectus Turcarum interficitur.

Victoria Venetorũ.

pau-

paucos ex hoſtibus, quibus ex fuga ſalus, reli- 1668
qui vel obtruncati ſunt, vel in ſervitutem conjecti. M. & CC. Chriſtianorum in libertatem reſtituti, ſex verò ex Præfectis, præter Durachum Claſſis Ducem, occiſi.

Equeſtri D. Marci dignitate Franciſcus decoratur.

Quo gaudio inter eas miſerrimorum temporum vices proſperum pugnæ eventum navales ſocii, obſeſſa civitas, Senatuſque exceperint, vel indè conſtat, quòd præter Equeſtrem D. Marci dignitatem in Maurocenum collatam, unà cum Senatu (quod rarum omninò honoris genus) Franciſcus à Principe laudaretur. Indè omnes fatebantur, hac navali victoria penſata quæcunq; barbarorum ferocia ante Cretæ muros edidiſſet. Subibat quoque admiratio, quomodò reformidandæ hoſtium vires, inexplorata pelagi vada, aptiſſimus inſidiis locus, tenebræ demùm, viribus tàm imparibus, Maurocenum à facinore non deterruiſſent. Verùm ſecundus hic prælii exitus, ut fit, eum ad majora incitavit. Siquidem, quibuſdam navibus ad Diam cuſtodiendam deſtinatis, cùm non modicum commeatuum apparatum in quodam caſtro, cui Fodelle eſt nomen, haud procul à Creta aſſervari per captivos conſtaret; ſtatuit hujus quoque fiducia hoſtem exuere. Jamque, pronunciato diſceſſu, vela in altum dabantur, cùm improvisò ventus exortus eſt, qui brevì extulit adeò fluctus, ut nautarum officia omninò turbarentur. Simul cùm adductæ nubes cœlum

Laudatur à Principe cum Senatu: eſtque penè inſolita præconii formula, cùm id nemo aſſequatur, niſi totius fermè Senatus vota conveniant.

Claſſis Venetæ motus.

V abſtu-

1668 abſtuliſſent, atque indè rectores navium intutum prorsùs iter affimarent; ne procellę vi claſſis ſuccumberet, flexo itinere, ad Cretæ littora proras vertit. Quò, cùm ex adverſo Turcarum caſtra ſeſe offerrent in conſpectum, eo triremes ordine compoſuit, ut cujuſque ictibus ſtationes hoſtium peterentur. Exindè ſubito ferrearum *Metus Turcarũ.* glandium impetu tantus Achmeti terror illatus, ut acceptum à transfugis fuerit, eum partim navali certamine, partim recenti conatu perculſum, ſpem ſubigendę eo anno urbis amiſiſſe.

Imperator ſtatuit hoſtium triremes laceſſere. Hęc ubi expleta, Hieram claſſem appulit. LX. triremium manum ibi detineri exploratores renuntiaverant, quæ, facillimè remenſo ad caſtra itinere, genus omne rei bellicæ exercitui miniſtrabant. Imperator gnarus nulla arte faciliùs, quàm ſubſidia intercipiendo, ſummoveri ab oppugnatione hoſtes poſſe, eorum navigia non expectavit modò, ſed ſtrenuè provocavit ad certamen. At disjecta paulò antè claſſis barbarorum ſicuti Venetos ad pugnę cupidinem erexerat, ita Thraces ad evadendum incitavit. *Sed Turcę fugiunt.* Propterea eorumdem Pręfectus diſcrimen apertè detrectans, nocte concubia clam triremes ſubduci juſſit; ac, faventibus auris, profectus eſt ad caſtra. Ubi ereptam ſibi prælii copiam intellexit Maurocenus, ne omnia licerent ignavię hoſtium, ad incendendos agros, vicoſque, qui arcem circumſtant, diripiendos levis armaturę cohortem emiſit. *Maurocenus agros hoſtium incendit.* Quibus confectis, reditus in ur-

urbem parabatur. Omninò tamen inceptum averſata non eſt fortuna. Quippè, vix claſse ab littore dimota, cùm in plures annonarias hoſtium naves incidiſset, earum aliquot poſt brevem contentionem occupatę ſunt; cęteris Cydonem, undè diſceſserant, profugientibus. Potior in dies pugnandi occaſio Mauroceno patuiſset, ni urgens Cretę obſidio eum à maritimis curis revocaſset. Ubi ergo proviſum fuit, ut ſuſpectiora pelagi loca à fortiſſimis Chriſtianorum impigrè cuſtodirentur, acceptis in exercitus ſupplementum epibatarum permultis, ſeſe in urbem recepit.

1668

Aliquot annonarias capit.

Urbem ingreditur.

Per idem fermè tempus cùm Catherinus Cornęlius, eximiæ virtutis dux, Illyricique Pręfectus, quem Patres, ne à propugnationis conatu diſtraheretur Maurocenus, Claſſis adminiſtrationi ſumma cum poteſtate præpoſuerant, adventaſſet; Imperatoris conſilio urbem, cui ſumma pericula imminebant, ingreſſus, Propugnaculum S. Andreæ defendendum ſibi delegerat. Unà cum Cornelio Alexander Marchio S. Andreæ Mombrunius Gallus adfuit. Huic provectæ ætatis, probatæque diſciplinæ viro Præfecturam peditum, Villa in Sabaudiam profecto, Senatus demandaverat. Multa ab eodem conſilii, fortitudiniſq; aliis in bellis, quibus cum imperio pręfuerat, edita ſpecimina. Indè exceptus ſummo ducum, militum, Cretenſiumq; plauſu, defatigatorum animos nonnihil erexerat. Verùm Achmetes, quæ natura negaverat, arte perficiens,

Catherini Cornelii, adventus.

& Marchionis S. Andreæ Mombrunii.

Opus Achmetis adverſus maritimã urbis partem.

 ciens,

1668 ciens, cùm optimè calleret, eam urbis partem, quæ mari alluitur, ob tutiorem ſitum, minùs aptè permunitam; jacta non longè ab urbe ſaxorum, ac terræ congerie, contiguum extremo littori aggerem mediis in undis componere aggreſſus eſt. Primis quidem diebus, cùm quidquid ingereretur, tumidum mare abſorberet, non magis ſolicitudinis, quàm irriſionis materiam Venetis præbuit. *Quippè, quæ cautes tàm vaſtæ, quæ tantæ altitudinis arbores, quæque ſatis ſolida machinamenta objicienda pelago crebros ex alto fluctus in littus evolventi, ut illud profundi ſpatium aggeraretur? Nimia ſpe deceptos hoſtes. Satis pro Cretenſibus pugnaturum mare. Niſi Thraces conſilia verterent in melius, id ad exitum perduci nequaquam poſſe.* Sed longa molis incrementa fefellerunt obſeſſos; paulatimque ita vallum excrevit, ut, quamvis æſtuaret fretum, atq; omnia circùm undarum impetu turbarentur, immotum magnitudine ſua conſiſteret. Victa labore operis difficultas extulit Turcarum animos. Achmetes verò eò lectiores ſuorum cohortes deducens, nuſquam ferociùs urbi exitium minatus eſt. Etenim, in varios flexus ductis foſſis, non modò ingenti tormentorum apparatu eandem murorum loricam, ac proxima propugnacula disjicere, ſed propiùs urbem ſuccedens interno receptus, admotis cuniculis, ab imo ſubruere moliebatur. Hęc tamen magna ſuorum jactura confici neceſſe erat. Nam licèt ligneis, terreiſque munitionibus contecti

Thra-

Thraces, ne tranſverſis obſeſſorum ictibus infe- 1668
ſtarentur, teſtudineo gradu muris propinquarent; nihilominùs à tormentariis ſuggeſtibus, quos contra recenter extructum aggerem compoſuerat Imperator, aſſiduiſque ictibus ſclopetariorum ex abſcondito ſuccedentes mulctantium plurimi impetiti in opere concidebant. Veruntamen Maurocenus averti à muris cuniculorum vim hac arte haud poſſe comperiens, &, ni mox obſtitiſſet, inſtare urbis ruinam; altiſſimis caveis occupare improvidos ſtatuit, oppoſitiſque cuniculis ipſorum conatus ſubvertere. Neque inutili conſilio, quamvis dies, noctesque in opere laboratum ſit, nonnullique aeris defectu ob immenſam altitudinem interierint. At, cùm per coriaceos ductus aer follibus inſpiratus, foſſas ſubtus effingentibus demitteretur, nulla difficultate omitti incœptum paſsus eſt, ne voti compotes barbari redderentur. Non præterea levior cura erat tormentarios ſuggeſtus extruendi. Nam ubicunque ab obſeſsoribus aggeres attollerentur; illicò, aptatis ex adverſo tormentis, ingens ferrearum glandium procella è muris emanabat. Impendentia ultrà mala proſpectans Imperator, novum introrsùs murum, quo tutiùs in S. Andreæ propugnaculum ſuis perfugium eſset, ędificari juſſit; atque ita eundem communivit, ut indè pugnare, anteriore amiſso muro, milites poſsent. Quo perfecto; providere etiamnum intentus, ne, ſubverſo Panigrà,

Miro artificio conatur Imperator turbare molimina barbarorum.

Novos receptus parat.

1668 nigrà, victoriæ ſummam in eo verti hoſtes arbitrarentur; interiora urbis à propugnaculo uſque ad mare præalta foſſa diremit: cui agger tàm validæ ſtructuræ imminebat, ut nova veluti frons urbis, operoſiuſque negotium oppugnantibus ibidem obverſaretur. Hæc à Præfecto copiarum Mombrunio, ubique operam ſedulò navante, præconia, atque admirationem eliciebant. Enimverò, cùm ab ineunte ętate militiæ aſsuetus, ſub ſignis conſenuiſset, nuſquam tàm atrocis belli genus deprehendiſse ſe fatebatur: ſolitus, obſidionem Cretę Gigantum opus nuncupare, cui nonniſi Mauroceni virtus ſuffeciſset.

Mombrunii de tãta obſidione judicium.

Achmetes S. Andreę Propugnaculũ aggreditur.

Jamque Achmetes, cùm nihil tàm arduum à ſuis intentari animadverteret, quod ob obſeſſis pari animo non deturbaretur, audacia conſilia tutioribus præferens, ſtatuit aggreſſionis impetum experiri. S. Andreę propugnaculo delecto, undè faciliorem ſibi in urbem aditum rebatur, ubi, cuniculi vi lęva illius parte modicè evulſa, ſuos accendit ad facinus, magno tympanorum, ac tubarum ſtrepitu muros adoritur. Cornelius (ſub idem tempus ob res præclarè geſtas D. Marci Eques declaratus) unaq; Mombrunius, ac Eques Grimaldus, qui tunc aderant, prælium ineuntes, ſuſtentata intrepidè hoſtium feritate, diù eoſdem ingenti clade ab aſcenſu prohibuere. Verùm Achmetes, qui ſpectator operum cujuſque opportunè novos manipulos emittebat,

Sed ab Ducibus Venetis ſtrenuè repellitur.

tebat ab aggeribus, increpans ſuos, quòd toties 1668
à defatigatis repelli ſe paterentur, ac ſimul laborum, victoriæque præmium oſtentans, anceps omninò certamen Venetis reddidit. Interim nutabat dimicantium multitudo; perque loca ruinis referta non una pugnæ facies erat. Frangebantur hic Turcarum globi, illic recens è ſeptis educta cohors armatorum robore, & numero præſtantior, ad inſtaurandum prælium ſuccedebat. Decidentium corpora infra ſe ſcandentes in præceps dabant: alii cominùs gladiis, multi eminùs tormentis, ignitiſque miſſilibus proſternebantur. Nihilominùs Thraces ferociùs ad culmen properare, configere hoſtes gladiis, obnitique obviis pectoribus, ut conglobatos pertinaciori robore disjicerent. Nec ideò tumultus inter Venetos, aut trepidatio. Quiſq; cuſtodiendis muris intentus, pellere hoſtem, in interfectorum locum accedere, voce, manuque incitare ſocios, demùm certis, & libratis ictibus in temerè ſubeuntes miſſilem ignem, ſaxa, & quęcunque caſus offerebat, ingerere. Duas horas ęquali ſpe, eodemque ardore pugnatum: immò conſtrata undiq; cadaveribus ruina animos barbarorum ita efferaverat, ut, ni Achmetes multa cæde permotus dediſſet receptui ſignum, pervicaciam minimè poſuiſſent. Duo Turcarum millia hoc conatu cecidere; Chriſtianorum non ampliùs, quàm ducenti. Inter ſaucios nonnulli ex ducibus recenſebantur: quamvis cunctis optabilius

Irrito conatu ſuos à pugna retrahit Achmetes.

in

1668 in acie cadere, quàm impares laboribus reddi, ac ſenſim confici vulneribus. Quippè Thraces venenatis ſuccis gladios imbuentes lethales ictus inferebant; indè, ſerpente paulatim in reliquos artus tabe, corpora tandem ingenti cruciatu exanimabantur. Dùm hac parte ſic certatur, quiſq; urbis locus igne, ferro, machiniſq; vexatur. Undiq; obſidionales acceſſus, undiq; aggeres, atque in diverſis incurſionum motibus idem immanium ſtragium horror. Maurocenus, quamvis quotidiè munia ſingulorum inviſeret, nihilominùs hoſtium nixus à Sabulonariꝗ propugnaculo præcipuè repellebat. Nec remiſſiore diligentia refici curabat diruta murorum, explorabat vigilias, ac præſidia; utque æmulatione virtutis animi magis erigerentur, promptiorum fidem laudibus, præmiiſque publicè proſequebatur. Econtra Achmetes aſperiora complexus, non comitate, ſed ſuppliciis utebatur: Et quamvis omnia per vim ab exercitu extorqueret, aggreſſionibus tamen ſe minimùm proficere intelligens; converſus ad moras, in eam ſententiam abiit, ut cuniculis, tormentiſque latiùs mœnia proſterneret quò munitionibus deſtitutos nullo ſuorum diſcrimine ſuperaret.

Imperatoris ſtudia ad muniēdam urbem, & milites accendendos.

Achmetis ſævitia.

Hos tamen motus, ineunte Octobris menſe, imbrium caſus compeſcuit. Siquidem tentoria mare verſus partim decidente pluvia, partim intumeſcente ob auſtrales ventos pelago, ita demergi cęperunt, ut magna vis hominum unda haurire-

Effuſus imber turbat molimina Turcarum.

riretur. Verùm non idem ubique levamenti genus. Enimverò, quà urbs interiora inſulæ ſpectat, ita ſe ab aquis Thraces tuebantur, ut illas aptè in effoſſos ductus derivarent, nec objectos aggeres maris tumor pervaderet. Pervicax prę cęteris in S. Andreæ propugnaculum conatus. Nam, adverſus illud confirmatis caſtris, & vallo, hyemem in armis, oppugnatione nuſquam intermiſſa, conſumpſere. Intereà omnia extrema tentanti Achmeti id quoque ad capiendæ urbis ſpem conferre viſum, ut Maurocenum muneribus alliceret ad deditionem. Itaq; revocatis à belli furore ſtudiis, ad illecebras animum vertit; propoſitoque deſerendę urbis conſilio, non modò in tanti facinoris præmium ſummas penès Thraces dignitates, ſed tunc primùm Moldaviæ, ac Uvalachiæ Principatus (regiones ſunt inter Iſtrum, & Hieraſſum flumina) ſe illi gratuitò conceſſurum ſpopondit. Lepidè exornato beneficii genere, non ſine irriſione nuncium Imperator dimiſit; immò, datâ operâ, ut auctiorem de ſuorum viribus ęſtimationem hoſti afferret, eruptiones, excubias, ſtationes, & ſi quę alia præſens uſus poſcebat, ipſe partitus eſt: Tanta in maximo Duce ſolertia.

1668

Achmetes Uvalachiæ, ac Moldaviæ Principatum offert Mauroceno.

Is ſtatus obſidionis erat, cùm Kal. Novembris M. & D. Milites, quos ex Galliæ Provinciis privatorum ſtudia collegerant, nec non Melitenſium copiæ convenere. Illos ſtrenuæ

Gallorũ adventus, & Melitenſium.

de-

1668 defenſionis rumor, & bellicæ laudis cupido à patriis ſedibus exciverat. Cùmque ex omni juventutis, ac nobilitatis flore delecti eſsent, multùm ad augendos obſeſsorum animos profuerunt. Veruntamen obſtupuere Galli, ad atrociſſimæ, inauditæque obſidionis aſpectum: mirati illinc enormes machinas, inexplicabiles aggerum moles, diurna, nocturnaque, ac commiſsa per cæcos receſsus ſubterranea prælia: hinc verò ingenium, ſedulitatem, conſtantiam Imperantis, & tanto ſtudio elaborata munimenta. Nihilominùs ingenito ardore gentis, exemploque Cretenſium erecti, motam de ſe ipſis implere ſpem exoptantes, demandata à Mauroceno munia alacriter ſubiere. Igitur aſſiduò in S. Andreæ valli cuſtodia verſari, quandoque à muri ruina, quæ ingens erat, Thraces depellere, crebrò in eruptionibus, donec ſeſe majori diſcrimini offerrent. XIV. enim Kal. Januarii tercenti, & quinquaginta eorum, dubia adhuc luce, è Sabulonariæ lateribus prodeuntes, tanto impetu in ſepta hoſtium irruerunt, ut, iis, qui circùm excubabant, oppreſſis, primos aggerum nexus ingenti vigilum, & ſtationariorum militum clade confregerint. Tumultus indè in ſtationibus Turcarum. Plerique deſerto, quem tuebantur, loco, pedem ad caſtra referentes, ab exigua Fidelium manu grató ſpectaculo fuſi; multi trucidati. Non priùs deſtitere incępto Galli, quàm ducum vocibus

Gallorum virtus, & eruptio:

Qui proſperè pugnant.

bus admonerentur, evocata à tentoriis reliqua Turcarum agmina in ſuorum opem feſtinare. Tunc, ne utrinque à barbarorum exercitu, atque aggeribus, quos vix ducti à peritis viarum pervaſerant, clauderentur, opportunè in urbem recepti ſunt. M. & ampliùs Turcas hac pugna cecidiſſe tradunt, quinque autem, & triginta è numero Gallorum. Ex reliquis nemo inglorius à prelio diſceſſit. Precipuè verò dux Roanneſius, cujus præſertim opera ſubſidium iſtud advectum, ac Comes S. Pauli copiarum anteſignanus, conſilio, manuque ſuos adjuvantes, omnium preconia meruerunt. 1668

Victores in urbem redeunt.

Dùm hic tanto ardore certamina geruntur, nihil remiſſum in cæteris partibus urbis. Undique barbari occupandis, evertendiſve muris, Veneti arcendis hoſtibus intenti, dies, noctesq; in laboribus tranſigebant. Interim rigor hyemis aſperabatur. Achmetes verò detrimentis, quæ Chriſtianis inflixerat, nondùm contentus, ut acriùs illos laceſſeret, manſit in caſtris. Quapropter actus gravioribus curis Imperator, reſq; ſuorum anxiè reputans, cùm nulla quies obſeſſis daretur, qua vires reſumerent, dimiſſiſque navalibus ſociis, propugnantium inopia plurimùm laboraret, facilè ad nihilum redigi reliquum præſidii robur poſſe, intelligebat. Eadem munia inter paucos, & pericula ſæpiùs redibant: indè miles aut vi hoſtium, aut labore laſſatus, brevì impar oneri reddebatur. His de cau-

Sed Achmetes nuſquam obſidionē per hyemem remittit.

Maurocenus præſidiū auget.

1668 cauſis rursùs ſtatutum eſt, ut plurimi epibatarum in ſubſidium urbis è triremibus transferrentur. Compoſito deindè in majorem ſpem vultu, cùm in iis rerum anguſtiis multi imminerent frontem, oculos, verba adnotaturi; animos militibus addere, revocare omnia in mentem, quæ per duos annos fortiter egerant: hortari ſimul, *ne in poſterum labarent, inſtante in dies Thracum defectione; cùm eorum neminem fides, aut cupido proferendi Imperii, cunctos metus ſub ſignis contineret. Hoc excuſſo, verſis ad ocii dulcedinem fatigatorum mentibus, Cretenſes liberos fore. Jam maximos labores patientia victos. Hoſtibus nihil propemodùm ſupereſſe, quod molirentur. Fluxa iiſdem corpora, exhauſtas copias, ſpem deperditam. Ergo poſtremos obſidionis conatus ſtrenuè repellerent: omnia bella initio valida, per tædia, & moras elanguiſſe.* Acceſſit exactior in tuendis mœnibus diſciplina. Intentiùs nocte curabantur excubiæ: vigilum numerus duplex erat. Quibuſdam ſubitarum eruptionum, aliis valli cuſtodiam commendabat, quod difficillimum, ſibi. Cuncta enim mira ſedulitate proſpiciens, modò propugnacula, modò navale inviſens, ſępè cum acie, quò vocabant diſcrimina, decurrens, conſilio, exemploque ſuis nuſquàm deerat. XXXVI. M. Turcarum, X. M. Venetorum hoc anno cęſa eſt. Permulti deindè duces interfecti; inter quos præcipue Bernardus Nanius Cretę Pręfectus, atq; urbis Dux Franciſcus Battalea, notæ fortitudinis, atque eximiæ erga Patriam pietatis viri. Hi, dùm de pro-

Milites vultu, oratione, atque exemplo ad fortitudinem revocat.

Bernardus Nanius, & Frãciſcus Battalea interfecti.

propulſandis hoſtibus ſoliciti, ante ſuorum copias conſiſtunt, plumbea glande trajecti, magno Cretenſium luctu conciderunt. Marchio quoque Mombrunius tormenti ictu perculſus, diùque ſævitia vulneris conflictatus, vix evaſit. Porrò captivorum ingens copia, quam crebræ eruptiones quotidiè adaugebant. 1668

Mombrunius vulneratur.

Cæterùm Achmetes nunc militiæ queſtibus, nunc minis Regis in diverſas cogitationes actus, non modò debellandæ urbis cupidine, ſed ipſa neceſſitate in dies magis impellebatur. Quippè iniquo animo ferens Mahometes conteri ulteriùs opes Imperii, atque intereà ex ancipiti belli eventu totius Ottomanici exercitus fortunam pendere, omnia extrema corde volutabat. Itaq; miſſi ab eo centuriones cum atrocibus mandatis, qui, increpita Achmetis ſegnitie, extremos nixus intendi juberent. Indè moræ ulterioris impatiens, Hadrianopolim (Thraciæ urbs eſt, ad Hebrum fluvium) ineunte ęſtate provectus, contendere parabat in Peloponneſum, ut mox, ultimam bello manum impoſiturus, Cretam adiret. Ob id triginta prętorianorum militum millia convocata: quorum pars alia adverſus Cretam, alia contra Illyricum (tentari enim Aſcrivium placuerat) deſtinabatur. Sed promiſſa, ac monita Achmetis obſtitere. Hic namque, ne in illum victoriæ gloria cederet, aut congeſtæ vires in diverſa traherentur, inſtare in dies urbis ruinam, majoremq; è longinquo Regiæ

Achmetis cura, & Regis mina, conſiliaque.

At Achmetes animum Regis denuò componit.

1668 giæ majeſtati reverentiam apud milites futuram, differens, Principis animum à priore conſilio revocavit. Quamobrem Mahometes, omiſſa Illyrici expeditione, recenter coactas copias in ſubſidium exercitus mittens, exitum obſidionis anxia ſolicitudine opperiebatur. Ita compoſitis mentibus imperantium, cuncta bellico ſtrepebant apparatu. At ſecùs vulgus militum; qui liberiùs obloquentes, ac pœnis minimè exterriti, hortantis Achmetis vocibus haud paruere. Exprobrantes enim palàm longitudinem belli, duritiem operum, ac vulnerum notas, miſſis ad Regem nuntiis orabant, *ſuccurreret feſſis, & aliquem laboribus terminum aſſignaret. Longa, & irrita militia delaſſatis patriæ, quietiſque cupidinem eſſe. Satis jam pugnatum: ſpem, victoriamque in incerto; luctus, & funera quotidiè obverſari. Igitur annueret tot copiarum precibus, emerita ſtipendia concederet; neu mortem in iiſdem anguſtiis ſed navatæ operæ præmium dilargiretur.* Verùm hi quoque motus minis conticuere: Etenim Rex, *adeſſe quietem defatigatis*, oſtendens, *eam tamen intra Cretæ muros tantùm inventuros, reſpondit. Illud unum iter ad ocium, & præmia. Quod ſi detrectaſſent, mox ſe affuturum in caſtris, regiamque majeſtatem, & ſæviora quæque ſupplicia oppoſiturum renuentibus. Quid cunctarentur eas ruinas conſcendere, quas pavidi, ac quotidianis precibus opem implorantes cuſtodiebant? Ita ne Ottomanici exercitus gloriam contemni, ut toties, ac tàm deformi clade ab iiſdem muris rejici ſe paterentur? Meminiſſent famæ, ac fortitudinis; puderet fuſi ſanguinis, & ignaviæ. Culpam in decus*

Milites apertè belli finem ab Rege depoſcunt.

Sed minis eos deterret Mahometes.

cus verterent: irritiq; in eam diem conatus ignominiam ſub- 1668
acta Cretæ gloria ocyùs expiarent. Utque promptior his fides, veluti jam iturus, legit milites, arma, naveſque comparat; & cætera cultui regio dicata congerit. Mox tempeſtates, ac negotia cauſatus, reſtituta penitùs parendi diſciplina, militem fefellit.

Simulat iter in Cretam.

Senſus Venetorũ.

Hic belli ordo non Patres modò, ſed unumquemque Chriſtianorum ęgrè affecit. Pertinaciùs enim in Cretæ obſidione confirmatis copiis barbarorum, quaſſatis undiq; urbis muris, imminutoque præſidio, haud dubia clades inſtare videbatur. Quid enim virtuti Mauroceni ſupereſſe, ubi Thraces, productis operibus, quę turbari non poterant, vix telluris modicum reliquiſſent? quidque à paucis copiis, iiſque duorum annorum obſidione laſſatis, adverſus octoginta millia armatorum tentandum, quo Achmetes à muris ſummoveretur? Quamobrem etſi præcipua curarum in eo verteretur, ut viri, atque arma laboranti Cretæ proximè ſubeunte anno pręſto eſſent; nihilominùs non ab re viſum tentare rursùs animos hoſtium, ut eadem belli crudelitate concuſſos memoria pacis ad ſolvendum obſidium alliceret. Itaque Aloyſio Molino Equiti ea provincia demandatur; qui illicò Lariſſam, Theſſaliæ urbem, ubi Rex Turcarum degebat, profectus, miſſus deindè ad Achmetem, qua pollebat, comitate, ſolertiaque, munus ſedulò, ac prudenter abſolvit. At frustrà pro-

Aloyſius Molinus mittitur ad Turcas gratia pacis pertractadæ.

Sed fruſtrà.

1668 propoſitę conditiones pacis: Achmetis enim ingenium avidum, atrox, & ſocietatis impatiens erat, nullo alio munere, quàm Cretæ deditione, demùlcendum. Exindè, cùm quædam ab ipſo afferrentur, quæ quo ampliorem utilitatis imaginem prętendebant, eò infenſiorem exitum erant paritura; declinandæ fraudis gratia, parandis copiis intentiùs indultum. Intereà comperiens Senatus, non modò averti à Creta bellum, ſed, amiſſa urbe, exercitum, claſsemque defendi ampliùs vix poſse, præmonendum Maurocenum cenſuit, ut in ſęvioribus rerum fluctibus claſſi proſpiceret. *Veriti in ea publicæ ſalutis momentum. Hoſtes, maritimis Chriſtianorum copiis ademptis, facilè in penitiora Adriatici bellum invecturos. Igitur hanc curam nulli aliæ poſthabendam: cavendumque, ne ea bellum hauriret, per quæ ad eam diem liber Venetus extitiſſet.* Cæterùm ſeſsę miniſtrandis militibus provincię Remp. ſequenti anno modicè adjuvarunt. Inter extranea auxilia, Chriſtianiſſimus Galliarum Rex Ludovicus XIV. memorabili religionis, pietatiſq; erga Remp. monumento, partem copiarum, qua obſeſsę urbi ſubveniretur, lubens conceſſit. Dùm verò navalium ſociorum ſubſidia conveniunt, nulla loci, tempeſtatiſve difficultate Thracum motus remittebantur.

Senatus monita.

Ludovici XIV. Galliarū Regis pietas erga Rēp.

1669 Exaſperatum eſt Kal. Januarii bellum. Etenim milites ſoliti plerumque damna æſtatis in hybernis penſare, cùm ęſtate, hyemeque nequaquam leviùs conficerentur, in rabiem effuſi ſunt;

Obſidium instauratur.

ſunt; adeòq; crudeliter pugnari cęptum, ut triſtiſ- *1666*
ſimum de ſe ſpectaculum Creta præberet. Intermiſſa religio, quaſſata templa, infidę civibus domus, omnia paſſim ferro, atq; armis afflicta: ſola deniq; caſtra in ſqualentibus campis fulgentia. Prętereà S. Andreę propugnaculum ita conciderat, ut vix murorum veſtigia deprehenderentur. Intrantes Turcę muri ruinam aliquoties à Melitenſibus, qui locum tuebantur, repulſi: & quamvis loricis vimineis tantùm, congeſtaq; tellure aditus obſtrueretur, nunquam incruento exitu intra ſepta barbari redierunt. At, dùm noſtri ſumma vi & muniunt, & pugnant, internos receptus tuendo, minorem in dies urbem faciunt. Simul creſcit omnium rerum inopia; imminuta opis fiducia, cùm tàm procul patrii portus, circa omnia barbarorum eſſent. Numerus intereà defenſorum plurimùm abſumitur. Cornelius, ac Grimaldus ſępè ſauciantur: Divinitùs verò proviſum, ut Mauroceno tota urbe pervaganti, atque ad expoſita ictibus hoſtium loca ſæpiùs evadenti, fracta muralis tormenti glans necem non inferret. Haud leviter tamen vulnerata extrema humeri parte, ita aſtantium oculos, animoſque inopinatus ictus turbavit, ut una vox omnium fuerit, *non ex re videri, ut ſummus Dux periculis objectaretur. Neceſſe eſſe eum diſcriminibus pugnarum exemptum ſummis tantùm imperiis reſervari. Nulla unquam diligentia id ſatis exactè cuſtodiri poſſe, cui ſalus urbis innitebatur.* Nihilominus tanto

Imperator vulneratur.

1669 belli turbine atrociùs, quàm vulnere conflictatus Franciſcus, cuncta providere, ex re conſilium capere, nunquam pati militem ad ſocordiam, pavoremve declinare, abjectos animo coercere, fortes extollere; ne tam ſtrenuæ defenſionis laus ſubita hoſtium eruptione evaneſceret. Verùm imminentem urbis ruinam, nonniſi ingenti aliquo conatu ſiſti poſſe animadvertens, id demùm conſilii amplexus eſt, ut, tradita Catherino Cornelio propugnandæ urbis provincia, ipſe cum univerſo maritimarum copiarum robore navali certamine barbarorum claſſem laceſſeret. Nec modicum indè Cretenſibus levamentum. Quippè hac arte cùm intercipi hoſtium ſubſidia, quibus caſtra quotidie magis complebantur, tùm expectatę ſociorum copiæ promptiùs excipi poterant. Sed hujuſmodi ſpem citò ſors abſtulit; cumulataque calamitas longè aliis motibus impulit animum Mauroceni. Siquidem pridie Kal. Junii, dùm Cornelius inſtaurari quoddam portæ munimentum curat, decidens ollæ incendiariæ fulmen disjecti ferri molem in ejuſdem latus tam altè intulit, ut ictus vis ſemianimem ducem reliquerit. Verſis ex atrociſſimo vulnere viſceribus, in proximorum Ducum brachia procumbens, tamdiù vixit, quamdiù ſuperſtes vitalium partium ſpiritus, Fidelibus ad ſtrenuam urbis defenſionem hortandis, fortiter effunderetur. Auctus inde Cretenſium męror; de medioque ſublata Mauroce-

Catherini Cornelii mors.

roceno conſilia in hoſtilem claſſem erumpendi. Veruntamen, ne omnis penitùs motus remitteretur, expeditam navim Zacynthum miſit, quæ certa de ſubſidiis nuntiaret. Demandato deindè Thaddęo Mauroceno Navium Præfecto, cujus ſedulitati plurimùm fidebat, excipiendorum Gallorum munere, quos jam Tænarum Peloponneſi promontorium, quod Metapanum vocant, prætervectos, haud multùm abeſſe cognitum fuerat; ipſum operoſius defendendæ urbis negotium excepit. Inter hæc obſeſſi cum hoſtibus aſſidua velitatione collati, variam in dies fortunam ad ſuos referebant. *1669* *Mauroceni conſilia de excipiendis ſubſidiis.*

Talia agentibus copiæ Gallorum ſupervenere; hæque non ſine diſcrimine intra muros redactæ ſunt, cùm naves undique paterent ictibus barbarorum. Ingens advectarum cohortium robur, cùm ad ſex millia lectorum militum aſcenderent: Nec dubium, ſi feliciùs cętera proceſſiſſent, potuiſſe earum ope diù Cretam propugnari. At longè triſtiores exitus armis Gallorum fata paraverant; & ſicuti quotidiè urbis exitium obſidentium auſus ominabantur, ita initium recentis lætitiæ ſæviorem attulit calamitatem. Ingenti enim animorum ardore laceratam urbem intrantibus Bellifortii, Novaleæque Ducibus, qui copiis præerant, maximum facinus viſum, ſi unico nixu iis tantùm militibus, quos in opem perduxerant, terreſtris pugnæ ſortem experirentur. Duplex conatus *Gallorũ adventus.* *Duces Gallorũ erumpere ſtatim in barbaros ſtatuunt:*

1669 ratio erat. Namque, ſi hoſtium furore ſubacti ſuccubuiſſent, id non impunè Thracibus futurum, cùm intendendi vires uſque ad extremum animus eſſet; indeque magna in barbarorum caſtris conſternatio, atque aditus urbi amplior ad ſalutem. Si verò victoria, cui nimiùm fortaſſe fidebant, ad ſuos inclinante, fudiſſent agmina Turcarum; immortalem vindicatæ ab obſidione Cretæ gloriam Gallorum virtuti integrè ceſſuram. Hæc differentes Duces adverſa conſilia Imperatoris, infelicem exitum perſentientis, minimè revocarunt. Non enim is, tantam ſpem incerto pugnæ diſcrimini committi, patiebatur. *Nimis intra ſepta munitos hoſtes; promptam ubique multitudinem, qua aſſultantes prohiberentur; cuncta obſeſſoribus proſpera. Fideles nec numero pares, nec ob loci difficultatem aptos ad aggreſſionem. Igitur ſervandum præſidium: eò jam rem perductam, ut ulteriori mora laſſari Turcæ facillimè poſſent. Quòd ſi aliquandò peragendum facinus, tutiùs fore expectari nova ſubſidia, hoſtemque magis defatigari; tunc enim validiori robore aggreſſionem molientes faciliorem aditum in objectum aggerem inventuros.* Sed Galli prælium poſcere, cuncta virtute expugnabilia jactare: duceſque fortitudine ingenita elatiores extimulare ardorem copiarum. Præcipuè Belliſortius certaminis, glorięque avidus certam ſuis victoriam offerens ferocia verborum præ propera, ac fervida militum ingenia incendebat. *Curarent corpora, expedirent arma, animoſque, adeſſe tempus, quo levi prælio immor-*

Quibus Imperator non aſſenſit.

Sed Galli eruptionē parant.

mortalem gloriam irent comparatum. Nibil ab incondita hoſtium turba metuendum. Ipſam ſibi multitudinem damno futuram: immò, eruptione, Turcis nibil tale ſuſpicantibus, facta, poſſe incautos, inermeſque in ſtationibus ſuis trucidari. Quòd ſi, re cognita, in prælium barbari ruiſſent, nihil, niſi tumultuarium, & Gallis ſecundum contingere poſſe. Hinc, primis repulſis, cæteros loco motos, & nullo ducis conſilio in juſtam aciem redactos non modò turbaturos invicem officia, ſed & ſtantes, pugnanteſque in fugam pertracturos. Igitur agnoſcerent ſe ad tantæ victoriæ momentum reſervatos; intenti, paratique expectarent ſignum: ut primùm pugnandi copia patuiſſet, ſe nullam conatui moram facturum. Sic, præcipitantibus fatis, decrevere Galli tentare impetum eruptionis. 1669

Maurocenus, ubi ſociorum mentes ſiſti non poſſe animadvertit, diem conſtituit ad pugnam. Duplex acies, intempeſta adhuc nocte, quę XXV. menſis Junii diem præceſſit, utrinque è Sabulonariæ propugnaculo clàm portis extulit ſigna. Dexterum Bellifortii dux, lęvum Novaleę cornu ductabat; ſexcentis cuique additis equitibus. *Igitur Galli bipartitò prodeunt.* Lentè exin progredi circum urbis foſſas via occulta, nec quidquam ante ſignum movere juſſi milites; ne conatus ex incondito copiarum tumultu deprehendi poſſet ab hoſtibus. Silentio itaque ſuperatis prioribus munimentis, quà ſe ſe modicè explicat planities, penè uſque ad lucis exordia humi procumbentes delituere. Eodem tamen ordine uſq; ad conſtitutum ſignum acies non ſtetit. Quippè, veluti præeunte cladis omine,

1669 ne, caſu inter paucos tumultu exorto, cùm reliqui tempus impetum faciendi in hoſtem arbitrarentur, à primorum ordinum manipulis cęptum minoribus tormentis certamen. Admonentibus tamen opportunè Ducibus, compoſiti denuò ſilentio fuere. Ut verò, incerta etiamnum die, ſignum tubæ cecinerunt, Galli ſubito clamore nituntur in vallum. Jamque ſtrenuè oppreſſis, qui ad cuſtodias vigilabant, ac deturbatis ab aggere, quos improviſus armorum ſonitus à tentoriis exciverat, loricas poſt circitorum viam occupant. Indè perfingunt ſtationes, ſe ſeque in intimas munitiones inferentes, proſternunt obices, occurſant, circumgrediuntur. Miſcetur invadentium, ac pavitantium clamor. Thraces enim repentè deprehenſi, majorem vim adeſſe metuentes, pelluntur undique, ac cæduntur; dubiæ lucis errore, atque aſſultantium tumultu formidinem augentibus. Sed quot in armis vices ſunt, ſinguliſque momentis in quot ſe fortuna diſſimiles formas componit? Jam barbari ſubitaneo terrori ita conceſſerant, ut noſtrorum ora nequaquam perferentes, paſſim conarentur evadere; cùm decidens ignis ſcintilla ſupra tumulum, quem Galli inſederant, modicumque tormentarii pulveris incendens, ita horum ordines (cuniculi enim inſidias reformidabant) confudit, ut Ducum vocibus, diſſipato poſt leve incendium impetu, in unum redigi ampliùs haud potuerint. Subitò tunc ferox clamor, unuſ-

Prælium proſperè primum cômittũt.

Mox caſu in fugam vertũtur.

unuſq; in Turcarum caſtris ad arma convocans fremitus. Immutatur continuò ſors certaminis, vertuntur retrò ſigna, auferturque è vincentium manibus victoria. Thraces, collectis animis, ſumptiſque paſſim armis, audacter deſcendunt in pugnam; ingentique robore penè utramq; Gallorum cohortem obruunt. Triſte ſpectaculum: victores à ſubactis fundi cerneres, &, quos tanto ingenio ſuperaverant aggeres, deformi cæde complere. Vix ullus intentatum jugulo mucronem repellit; cuncti inani curſu terga hoſtibus præbentes per victum à ſe vallum turpi pavore diffugiunt. Maurocenus, qui ex arce, cui S. Demetrii nomen, prælii ordinem proſpectabat, ubi manare latiùs terrorem, fundi ſuos, mox penè uſque ad muros igne, ferroque adigi vidit; exploſis undique tormentis, juſſit propinquantium hoſtium audaciam cohiberi. Continuò ipſe cum levis armaturæ manu è portis prodiit. Tunc increpitare pavitantium inſaniam, diſſipatos in unum redigere, hortari ſimul, ut terga verterent, neu vinci ab iis, quibuſcum nondùm pugnaverant, paterentur. At, omnibus in fugam effuſis, cùm non auctoritate, non precibus, ne manu quidem cohortes contineri potuiſſent, antè formidinem Galli non poſuere, quàm ſe mœnibus tutos agnoſcerent. Auxit tantæ calamitatis mœrorem Bellifortii Ducis nex; qui, dùm periculi immemor, ſcelus exprobrans, paſſimque occurſans fugientibus,

1669

Maurocenus fruſtrà conatur fugientes retinere.

Sed Galli, Bellifortii Duce caſo, urbē trepidi intrant.

1669 bus, ſiſtere eoſdem moliebatur, demùm à Turcis circumventus, incerto mortis genere occubuit. Non impar quoque in Novaleæ animo, quamvis evaſerit, ardor. Hic namque, diſtricto gladio, cùm per ſuorum manipulos ubique decurreret, nuſquam aut fortiſſimi ducis, aut ſtrenui militis officium prætermiſit. Cæterùm incubantes faucibus Cretenſium Thraces ea in conſternatione potuiſſe uſque ad interiora urbis devolvi, fędum experimentum erat; ni Imperator lectam cohortem audaciæ ipſorum objeciſſet.

Novaleæ Ducis virtus.

Imperatoris conſilia.

Commotus Franciſcus mali atrocitate, multòque magis de futuro ſolicitus, illud maximè verebatur, ne ob ſuperioris pugnę eventum hoſtibus creſceret animus, miles autem ſegnior fieret. Igitur, ne aut illis majoris fiduciæ materiam pręberet, aut intra ſuos exitiabilis formido ſerperet, ſtatuit novis quibuſdam eruptionibus animos detinere. In his Galli operam aliquoties præſtiterunt. At recens ſtragis recordatio ita horum mentes pavore defixerat, ut ad inanes quoſque hoſtium rumores vix ducum juſſis obtemperarent. Adhuc tamen Venetis quædam ſpei imago ſupererat, cùm Thraces, præſentibus Gallis, non omnia auderent, veluti vires ad repentinos illorum conatus repellendos ſervaturi. Verùm quàm inſtabile, quàm fluxum pollere tantùm fama potentiæ, quæ vi ſuæ non innitatur? Ea quoque fiducia,

1669

At Galli deſerere urbē ſtatuunt.

cia, Gallis abeuntibus, brevì concidit; nec ex belli eventu arduum fuerit judicare, plus ne opis, an detrimenti tanti ſubſidii momentum obſeſſæ urbi attulerit. Itaque paulò poſt acceptam à Turcis cladem Novaleæ dux diſceſſum properè comparabat: conſiliumque ipſius non Imperator, non reliqui Duces, non vota totius urbis averterunt. Maurocenus, miſerandum rerum ordinem in Novaleæ mentem redigens, *urbem adverſæ ſortis improbitate profligatam extrema in horas expectare* oſtendebat. *Ubi muros deſeruiſſet, exanimatos eos, qui ſupererant, ægrè pectora armis objecturos. Cretenſium libertatem in tam arcto ſitam, ut, relicta à Gallis urbe, à barbarorum impetu vindicari minimè poſſet.* Hęc quoque, & ſimilia Vincentio Roſpilioſio Pontificiarum triremium Præfecto ob oculos poſita; ne urbis præſidium, propriis viribus jam abſumptis, externa ſimul ope deſtitueretur.

Fruſtrà adnititur eos retinere Maurocenus.

Vincētius quoq; Roſpilioſius unà diſceſſū cōparat.

Sed hi, *nec defendi ampliùs, impendente ruina, Cretam poſſe, nec ex re ſibi videri, ut novis cladibus fruſtrà copiæ exhaurirentur*, palàm diſſerebant. Neque immeritò Duces timor invaſerat. Nam, quà latè patebat urbs, hinc ruinis, illinc aggeribus hoſtium conflictabatur: cuncta ſqualore, luctu, ſtrage deformia. Milites, propugnandis męnium tumulis impares, in vices non vigilabant. Ibi infectos cęno, & cruore cibos ſumentes, ſola morte à commiſſa ſibi loci cuſtodia divellebantur. Verſis ab imo propugnaculis, altitudinem mu-

Infelix urbis ſtatus.

1669 rorum ſolo barbari æquaverant: immò Sabulonariæ, ac S. Andreæ munitiones ita in eorum commodum tranſierant, ut urbis exitio, quę anteà defenſioni, inſervirent. Cæterùm nimis amplus loci ambitus erat, opportunus aggreſſionibus hoſtium, defenſoribus iniquus. Quapropter Maurocenus animo futura pervolvens, cùm omnia ad ultimum inopiæ redacta eſſe animadverteret, ſibimet conandum, partemque diſcriminis capeſſendam eſſe ratus, poſtremum prælium, antequàm Galli diſcederent, tentare conſtituit. Itaq; advocari milites jubet, cunctoſque, *ut ſtrenuo animo eſſent*, hortatur. *Meminiſſent eam diem tot laborum coronidem fore; ſcirentque eò loci ductos, ut, niſi vincerent, ex neceſſitate occumbendum eſſet. Nullum alium, quàm aut mortis, aut victoriæ exitum: hinc vel petendam ſalutem, libertatemque à victoria, vel in veſtigio pereundum. Nec defutura animorum irritamenta. Ducem ſe, & vel incolumitatis auctorem, vel honeſtæ mortis exemplum ſequerentur.* Jamque, Cretenſibus ad pugnam paratis, Gallorum aſſenſus tantùm deerat. Nec prætermittebant obſeſſi rogare, atque obteſtari ſocios, ne ſupremum fortitudinis experimentum abnuerent. Poſtremæ Cretenſium preces eæ fuere, ut Jacobus Contarenus Cretę Pręſes, diſſecto per vulnus brachio miſerationem evocans, una cum Sacerdotibus, Novaleæ domum, auxilium ejus orans, pergeret. Acceſſere his lacrymæ tribunorum, lamenta militum; quos comitabantur matres, conjugeſque lugubri cultu,

Mauroceni virtus.

Preces Cretenſiū.

tu, & crebris precibus opem implorantes. Verùm dux, fato quodam, à priore conſilio nequaquam dimotus, reliquiis exercitus collectis, XXII. Auguſti die urbem deſeruit. 1669 *Sed Galli diſcedũt.*

Abire Gallos conſpicatus Achmetes, non tàm ſuis viribus, quàm Venetorum, ut conjiciebat, pavore fiſus, omnia ad aggreſſionis impetum comparabat. Nec eum penitùs fallebat conjectura. Quippè, languentibus ſtudiis eorum, qui priùs alacrem fidem, conſtantiamq; oſtentaverant, longè alia defenſorum facies erat. Non ardor animis; non corporibus robur. *Formido ingens Venetorũ.* Multi Cretenſium dejecti ſociorum diſceſſu, ſatis ſe belli eventibus expoſitos, ſatiſque ſanguinis effuſum clamitantes, ærumnarum finem expoſcebant. Nonnulli mala ſervitutis pendentes, *ſatius multò fore* diſſerebant *dedi urbem, ne id exprimeret neceſſitas, renuenteſque jugum barbarorum ſubire per ludibrium cogerentur. Caſibus, ac ventis ſalutem Cretenſium eſſe commiſſam. Omnia in urbe conſternata. Inhabiles cuſtodiendis muris manipulos. Unam verò defenſionis fiduciam, quæ, cùm dubia ſpe niteretur, jam certior ab urgentibus barbaris ruina, quàm ab incertis auxiliis vis reſiſtendi.* Hæc animum Imperatoris in tanta curarum mole tetigere: qui, licèt extremum urbis diem inſtare intelligeret, vel ipſo tamen nomine deditionis offendebatur. Itaque congerens dona in promptos, minas adverſus abnuentes, ut honoris æmulatio, & ignominiæ metus etiam trepidantes erigerent, crebris alloquiis formidinis cau- *Hos Imperator rursùs oratione, atque exemplo erigit.*

1669 ſas de medio conabatur auferre. Hinc, *eouſque fortiſſimæ propugnationis gloriam inclaruiſſe*, ajebat, *ut ibi rariora documenta militiæ, ibi virtutis exempla, ac penè portenta fortitudinis eniteſcere, omnes faterentur. Quotidiè magis Venetorum præconiis acceſſurum, quòd modico præſidio innumeram Ottomani exercitus multitudinem ſuſtinerent. Quid tunc de deditione cogitandum, ubi depellendi barbari, propugnanda religio? Cur alia pectora, alia ora ſuorum intueretur? Nonne eos ipſos eſſe, quos ſuperioribus annis vexans fortuna toties illuſtraverat; quoſque fide, & religione obſtrictos meminerat, priùs vitam, quàm animum poſituros? Non eſſe ſe adeò præſentis fortunæ ignarum, ut inæquales, ac penè proſtratas vires non animadverteret: at utendum virtute, qua cuncta evinci queunt. Si cauſas bellorum, ſi barbarorum odia expenderent, vincendum ea in obſidione, aut moriendum eſſe. Propugnaculum Fidei, ac Reip. uſque ad extremum defendendum. Quietem Italiæ, Reip. decus, Catholicæ Sedis bona, incolumi Creta, ſervari. Econtrà omnia in lubrico, furorique, ac libidini barbarorum expoſita. Unam fatorum culpam eſſe, quòd in ea tempora incidiſſent, quibus probare animum ultimis conatibus neceſſe eſſet. At fortes, & ſtrenuos etiam adverſus fortunam inſiſtere ſpei. Inde, quæ caſuum improbitate imminerent, virtute eludenda. Unum ſupereſſe, quod barbari adhuc pertimeſcerent, extremos nempè obſeſſorum nixus, firmatumque animum adverſis*. Hæc, erecta oratione à ſummo Duce prolata, milites quidem ſolabantur. Veruntamen non deerant, quorum mentes ex imbecillitatis conſcientia, inter ſpem, metumque nutantes aliquandò labarent. Ob id Franciſcus, ubi

ubi vires deficiebant, uſus ingenio, belli munia fortioribus de induſtria demandabat; adeò impavidè prælium expectans, ut nihil, niſi lętum ex ejuſdem ore, opereve miles perciperet. Per eoſdem fermè dies, quibus poſtrema hęc Cretæ peracta, cùm univerſum orbem acerrimæ propugnationis fama, nominiſque ſui gloria Imperator implevisset; erga ejuſdem merita altiùs Reſp. incitata eſt. Quippè non Veneti modò, ac navales ſocii, qui præliis interfuerant, ſed paſſim externi quoque Principes ſummis laudibus tanti ducis vigilantiam, fortitudinem, conſtantiamque in dies magis extollebant. Cùm verò demùm ex diplomate Clementis IX. Pontificis Maximi innotuiſſet, omnia ingentia de Mauroceni virtute ab eodem prędicari; movit ea res animos Patrum, plurimùmque ad decus Veneti nominis pertinere viſum, ut, in quem exterarum gentium pręconia collimabant, Reſp. ipſa, cui ex tanto bello omne gloriæ genus acceſſerat, emeritas inter armorum pericula dignitates conferret. His de cauſis inſolito inſtituti, atque honoris exemplo decretum Franciſco Mauroceno Procuratorium D. Marci munus extra ordinem, ac ſupra numerum: commemoratiſq; iis omnibus, quæ toto vitæ ſpatio in bello egerat, laudes Senatus in Imperatorem uberiùs effuſæ ſunt. Sed minora hæc interrito duci incitamenta erant, quàm quę defendendę urbis cupido ſubjicie-

1669

Maurocenus D. Marci Procurator extra ordinem, & ſupra numerum declaratur.

1669 jiciebat. Quamobrem nec jactura virium, nec ſociorum profectione, ne ſuorum pavore quidem à fortibus conſiliis dimotus, eò ſedulitatis devenerat, ut Turcarum conatus inani ſæpè terrore perverteret.

Turcę aggreſſioni ſe accingunt.

Verùm vix Gallorum cohortes naves conſcenderant, cùm non procul à portu quædam navigiorum manus in Thracum conſpectum ſe obtulit; extulitque nonnihil ſubſidii ſpe animos obſeſſorum. Tunc Achmetes tempori haud parcens, quatuor militum millia ad Sabulonariæ propugnaculum, ſex verò ad S. Andreę vallum admovit, brevì in muros impetum facturus. Qui tunc in urbe motus? Qui vultus, qui animi? Exhorrebat quiſque ad tantam coeuntis exercitus molem: fulgor armorum, ac tubarum clangor ultimum fatigatis diem denunciabat: & ſicuti in ęgris corporibus futuri languoris indicia præcurrunt, ita Venetos ad tria tantùm millia hominum prælio aptorum redactos ſegnities quędam, laſſitudo, membrorumq; tremor pervaſerat. Non tulit tamen Imperator, ſubito metu correptum militem viam latiorem hoſtibus ad aggreſſionem prębere. Cùm ergo Ducum munia ita partitus eſset, ut Jacobus Cornelius Cretæ Proviſor, illuſtri ingenio, & geſtarum rerum gloria inſignis, interiorem muri loricam, quam, ut ſuprà memoravimus, in disjecti muri vicem extrui juſserat, tueretur; Melitenſium catervas idoneo loco compoſuit, ut facilis iiſdem

Imperator ſuos ad ſuſtinendũ hoſtiũ impetum diſponit.

iiſdem aditus ad eam partem, quam periculo propiorem cognoviſsent. Sabulonariæ propugnaculum Præfectus Inſulæ Hieronymus Battalea, Daniel Maurocenus, permultique ſpectatæ virtutis Duces cuſtodiebant. Reliqua urbis loca, ſicuti motibus hoſtium obnoxia, ita armis, ac milite, prout tempus, vireſque pręſidii patiebantur, confirmata. Pręfectus copiarum Mombrunius, quamvis ſenio jam feſſus, indutus galea, atq; enſe præcinctus, cuncta inviſebat, ne, quæ Franciſcus imperaverat, turbarentur: immò à cæteris militibus (tanta in ſenili corpore vigebat vis animi) in officiis obeundis haud diſcernebatur. Interim Imperator ſtationes, & vigilias circumibat, cunctoſque ad ſtrenuè agendum exemplo incitans, impetum decurrentium pręcavere adnitebatur: *En milites, ſubindè proclamans, penè ad receptacula veſtra Turcarum cohortes, quibus non urbis modò, ſed cujuſq; noſtrum pernicies eſt in votis. Quæ ſors poſt pugnam vos maneat, tranſacta diſcrimina ſatis oſtenderunt. Nemini incompertum eſſe reor, æqualem virtuti exitum futurum. Non rude vulgus, præliiſque novum ſcio me hoſtibus objicere. Tot, quibus jam divites eſtis, victoriis, hodiernam quoque adjicite. Nunquam, ſi virtutem veſtram ſenſerint barbari, de patria, corporibus, liberiſque veſtris triumphabunt.* Sed nec Achmetes in tanto conatu tacebat; qui, licèt multitudini ſuorum confideret, ſtimulos, preceſque permiſcens, *revocarent priſtinam fortitudinem*, hortabatur: *quam ſi eo die præſtitiſ-*

1669

Mombrunii virtus.

Maurocenus milites oratione incitat ad pugnam.

Idē præſtat Achmetes.

1669 *tiſſent, adeſſe exitum, præmiumque laborum. Ibi enim decus bellicæ laudis, tranquillum otium, intemeratam ſalutem, atque incorruptas opes inventuros, in ſumma rerum affluentia tot annorum curriculo ad luxuriem à Cretenſibus congeſtas. Neque conatum aggreſſionis, uti anteà, in arcto ſitum. Hactenùs de ſalute, nunc de gloria tantummodò decertandum. Undique disjectos muros, convulſa munimenta, propugnantes invalidos. Igitur irruerent in delaſſatos, ſævirent, cæderent; eſſe in tuto victoriam. Ne ſinerent novis auxiliis obſeſſos confirmari. Neve tentatum toties facinus inire denuò audacter abnuerent. Multa fortiter experiendo fieri, quæ difficilia pavidis videntur. Quapropter uterentur robore, ac virtute: illud ob acceptas clades, hanc ob inſtantis cædis formidinem Venetis penitùs deeſſe.*

Alloquentibus adhùc ducibus, alacritas, atq; ardor copiarum ingens exortus. Indè in diſcrimen non deſcendere milites tantùm, ſed imbellis puerorum, ac fœminarum turba: cùmque media fermè dies verteretur, latè erumpentibus barbarorum copiis, commiſſum conjectu bolidum certamen. Scutis exindè oppoſitis, ingens enim omnis generis miſſilium turbo in ſubjectam planitiem depluebat, mœnibus Turcæ ſucceſſere. Jamque in ignes, ac tela ruunt; licètque plurimi gladiis confoſſi turmatim decidant, non tamen imminentis cladis terror inſequentes detinet, ne certatim aſcendant. Obſtant corporibus corpora; telum telo viciſſim confringitur. Non raro occupantur à barbaris tumuli, ferventque rui-

Turcæ muros aggrediũtur.

Pugnæ ordo, atq; atrocitas.

ruinæ confuſis cohortibus. Intereà hortantium clamor, queſtus ſauciorum, armorumque ſonitus per urbem ferebatur: neque ad tàm atrocis pugnæ ſpectaculum Veneti exhorrebant, quòd vel ira in hoſtes, vel poſtremi prelii ardor mortis contemptores reddiderat. Attamen prima aſſultantium molimina proſpero eventu haud caruere. Quippè Turcæ, cæſis fermè ad unum iis, qui arcem, quam S. Pelagię appellant, tuebantur, victorum more lętis vocibus cœlum implebant; rati de ſuarum partium fortuna illum diem demùm decreturum. Ob id intentior utrinq; cura ſpem variis terroribus miſcebat. Hinc prodibant manipuli Turcarum oppoſitam cohortem deturbantium: illinc Venetus miles disjectos conſectatus, ne rursùs conglobarentur, quamplurimos progredientium ferro mulctabat. Utrinque pugnantes, veluti miſſę è caveis feræ, ſanguine, & cædibus graſſabantur. At, quamvis omnia compari ſtrage deformia, Cretenſium tamen diſcrimen majus erat, cùm multorum caſum vix Thraces perſentirent; noſtris verò plurimum ſpei, viriumque jactura paucorum eriperet. Nihilominùs pugnatum diutiùs, quàm modica defenſorum acies poſse videretur. Tandem, cùm ob multi ſanguinis effuſionem Venetorum robur deficeret; barbari, actis acriùs agminibus, læva interioris muri parte potiti ſunt.

1669

Turcę lævã muri partẽ occupant.

Nunquam magis de urbis ſalute deſperatum.

Aa Jam

1669 Jam Cretenſium mœnibus ſigna Ottomanorum, captam urbem conclamantium, figuntur: decurrunt paſſim Turcæ in obſeſſorum ordines; ceduntur latè Chriſtiani, neque à tranſverſis ſepimentis tantùm, verùm ab internis quoque receptaculis expelluntur. Periculi magnitudine tactus Imperator, quamvis non procul ab exitu eſſe Turcarum conatus intelligeret, adhuc tamen in ultimos certaminis nixus incubuit. Hùc deducuntur Melitenſes; coguntur ſegniores; mandata primi omnium Duces exequuntur. Ipſe in labore, in agmine gregario militi immixtus, nullum conſilii, fortitudinis, exempli intentatum opus relinquit. Sed, gliſcente vi hoſtium, quibus nova ſubindè ſubſidia erant in promptu, labantibuſque propugnantium viribus, animadvertens tantum malum nonniſi ingenti ruina comprimi poſse, accendi cuniculum juſſit, quem ſubter occupatos à barbaris tumulos paulò antè Veneti paraverant. Fortè auctior illorum multitudo, ſtipatis undique manipulis, locum inſederat; cùm vis ſulphuris, nitrique ſeſe expandentis validior, tanto fragore, atque impetu erupit, ut eam muri partem magna hominum ſtrage, univerſum verò exercitum tumultu, terroreque repleverit. Eventus conſilium probavit. Quippè magis, quàm pro illata cæde, expaventes barbari, immò ſubito caſu veluti conſternati, animum ſimul, impetumque poſuere.

Extrema Maurocenì cōſilia.

Tandem Turcæ pelluntur.

Haud

Haud diſſimili exitu pugnatum ad Sabulonariæ vallum. Minor ibi vis hoſtium; at diſcrimen æquè anceps. Sed, cùm præcipuè Aloyſius Minius Patritius Venetus, qui ruinam muri tuebatur, diù aſsultantes ſuſtinuiſset; demùm non modò coacti Thraces à mœnibus abſcedere, ſed quædam Allobrogum manus opportunè erumpens, cedentium multos interfecit. Ita, pulſis utrinque hoſtibus, reſtituta eſt denuò urbs, ſi non in ſalutis ſpem, ſaltem in fiduciam producendæ libertatis. Hæc, occidente ſole, geſta ſunt: reliquum, quod ſupererat, lucis recipiendis intra muros ſubſidiariis Alexandri Pici Mirandulæ Ducis copiis, quæ in ipſo certaminis ardore ad Inſulam appulerant, conſumptum. At, cùm DCCC. tantùm milites eſsent, iique maris jactatione admodùm ægri; altior Imperatorem cura afficiebat, meritò enim reformidandum, ne vacua propemodùm defenſoribus urbe barbari repentè potirentur. Solicitudinem augebat Melitenſium diſceſsus; quibuscum reliqui ſociorum feſſi bello, debilitatique vulneribus, itineri jam accingebantur. Dux ipſe Mirandulæ infeliciſſimum Cretenſium ſtatum tacito gemitu proſecutus, vix expoſitis copiis, reditum in Italiam ſibi muniebat. Exinde anguſtiis paſſim circumventus Franciſcus, hinc ſuorum paucitate, illinc hoſtium vi torquebatur. Urbs nudata jam mœnibus nulla alia, quàm armorum, corporumque ope defendi poterat. No-

1669

Acriter ad Sabulonaria vallum pugnatur:

à quo tamen barbari recedunt.

Mirãdulæ Ducis copiarum advẽtus.

Sed Imperator res suorũ ſedulò ſecũ reputat.

1669 Novam opperiri aggreſſionem, laſsato per diem, noctemque exercitu, arduum; &, nulla circùm ſubſidii ſpe, anceps. Obſtruere muri ruinas, id quoque imminentibus utrinq; barbaris formidoloſum, ne operi intentos ſubita impreſſione turbarent. Hinc Duces męſtos locos, viſuque, ac memoria deformes adeuntes, cùm honeſtæ tantùm mortis uſum ſibi patere cernerent; illud curabant, ne inglorium eſset exitium. Reliqui, ipſâ deſperatione ſalutis efferati, novum aggreſſionis impetum, cupidiùs fortaſsè, ut obſidionis tædio exolverentur, expectabant.

Deſperatam rem intelligẽs, avertendas honeſta deditione majores ærumnas cẽſet.

Sed Imperator longiùs impendentia mala proſpiciens, quinam poſt ſubactam Cretam futurus eſset belli exitus, ubi perpendit; unùm ſibi in morte ſolatium, plura detrimenta Reip. invenit. Optimè enim noverat, barbaros, ut rebus adverſis ignavos, ita avidos ſecundis. Reip. verò nec maritimi, nec terreſtris exercitus vires ſuppetere. Propterea, cùm non de unius urbis fortuna ageretur, ſed communis indè ſalus Italiæ penderet; cunctis ingenti conſilii maturitate penſitatis, die Auguſti menſis XXVII. ubi recipiendi militem occaſio adfuit, advocata Ducum maritimarum, terreſtriumq; copiarum concione, ut cujuſque ſenſus in tanta rerum conſternatione aperirentur: *Credo*, inquit, *mirari vos, commilitones, comprehenſam his ruinis Veneti nominis umbram inter nos adhuc detineri; attollentibuſque in pejus omnia Turcis, patere etiamnum quærendi tem-*

Igitur, advocata concione, de ſtatu urbis, ac rebus in poſterum agendis diſſerit.

tempus, quid demùm de hiſce murorum fragmentis, ac trucidati exercitus reliquiis ſtatuendum videatur. Quanto in diſcrimine heſterna die uniuſcujuſque noſtrum ſalus verſata ſit, recordamini. Divinitùs profectò ſummotum à mœnibus hoſtem crediderim: qui ſi, renovato impetu, irruat, quid nobis egeſtate, labore, vulneribuſque confectis in devaſtata urbe ſuperſit, præter ludibrium ſervitutis, aut mortem, minimè in obſcuro eſt, nec ſileri poteſt. Extrema igitur, fortiſſimi duces, advenerunt: quodque jamdiù amor Reip. & cura nominis veſtri palàm fieri vetuere, nunc aperiendum, ne vos improvidè in exitium duxiſſe dicar. De qua hactenùs certavimus urbe, conclamatum eſt. Ipſa enim deformis paſſim, ſqualida, & miſerabilis. Nos impares omnino ejuſdem defenſioni: Turcæ ſuper veſtigia gloriæ veſtræ, cineres, oſſaque Venetorum calcantes, potiti jam mœnibus, undique imminent. Quod unum ſupererat, Socii, arrepto diſceſſu, omnem ſubſidii ſpem abſtulerunt. Itaq; cùm nullæ ſint vires, externæq; ſimul opis deplorata vota jaceant, rem eò redactam cernitis, ut non de propugnationis conſilio, ſed de genere mortis agendum ſit. Nemo inter vos erit, qui meritam tot annos hiſce in armorum periculis laudem turpi exitu maculare, quàm fortiſſimo nixu immortalem reddere malit. Eos alloquor, qui, me duce, toties pro Rep. impavidè ſanguinem effudiſtis; quorum facta alet æternitas, poſterique ſemper intuebuntur. Nihilominùs, ne quem poſtremo in conatu ſolatia, atque animus deſerant, aut mihi attrectanda ſint militum meorum feralia, exeamus in prælium, ego vos præcedam: &, quidquid iſtuc calamitatis impendet, meo primùm ſanguine pietur. Non mihi quid ulterius ad laudem, aut ad conſtantiæ 1669

fidem

1669 *fidem quærendum. Me officio militis functum, & vos teſtor, & meminiſſe homines volo; ſatiſque apud eos conſecutum me reor, ſi communis utilitatis, ac gloriæ providum, firmum in periculis, mortis pro bono publico non pavidum intelligent. Cæterùm, quia id mihi muneris incumbit, ut locum principem impleam, & quæcunque Reipubl. profutura ſunt, ob oculos veſtros ponam; minimè prætereundum eſt, hìc non de exitu unius urbis, ſed de totius exercitus, claſſiſque ſalute rem verti. Nos utique præpeditum prærnaturè vitæ curſum poſteritatis memoria penſabimus; quæ efficiet, ut mortui vivamus, ut abſentes adſimus. At Reſp. claſſe, atque exercitu amiſſis, neſcio quam ſortem habitura ſit, ubi inflatus Cretæ ſucceſſu hoſtis in eam devolvetur. Quamobrem, antequàm ruamus in cædem, perpendendum, utrum gloriam, quam nos honeſta morte acquirimus, majus Reip. detrimentum, an ſanabile ſaltem vulnus conſequatur. Non enim fortibus viris decorum unquam erit, undè ſuis exitium paraverint, indè honorem ſibi recepiſſe. Itaque, ut rem propiùs attingam, eam infeliciſſimæ urbis conditionem eſſe neminem latet, ut tàm ſuperſtite, quàm trucidato exercitu pereat. Hactenùs Cretæ cauſa cum noſtra conjuncta eſt; nec video, quid ad conficiendum facinus deſit, quàm, ut unanimes ſuper hæc mœnia vitam fortiter exuamus. Veruntamen nos ſic diſcedimus, ut victoriam, libertatem, & manſurum per omnem ætatem decus in ipſa morte habituri: Reſpub. ut ſemper vexanda à barbaris remanebit. Nec quærite quo exitu. Expugnata enim per cædes, & ſanguinem Creta, quis mari, terrave exercitus ruentibus in interiora Italiæ Thracibus objicietur? Tunc nonnè in horum poteſtate direptiones oppidorum,*

expu-

expugnationes urbium, ipſa pacis, bellique momenta? 1669
Non fugiet profectò Acmetem maximum robur Reip. deeſſe; audacius inde in laſſatam converſus, debiliores invadet provincias, nec magis ſua virtute, quàm noſtris cladibus felix erit. Quæ tamen utinam ſatis. At quantò terribilius calamitatis genus ſupereſt, quod in totius belli ultionem huic urbi à victoribus deſtinatur. Videor mihi irrumpentes globos cernere barbarorum, omnia divino cultui ſacrata impiis manibus inquinantium. Quas tunc ædes religio, quos ſatis tutos receſſus ſacri Sanctorum cineres, quæ clauſtra virgines invenient? O felices, quibus ante illum diem in acie cadere datum. Si enim mors expectanda; quæ ſolatia in cruciatibus noſtris Turcæ non requirent? Si vita; quod vitæ genus, ante everſas patriæ reliquias ab illius hoſtis imperio, quem barbarum natura fecit, immanem felicitas, fortuna ſuperbum? Hæc ſunt, commilitones, propter quæ querelas non teneam: videlicet in extremis obſtare quid majus, quò minus acerrimam propugnationem fortiſſima morte finiamus. Horret animus rerum noſtrarum ruinas perſequi. Temporum, hoſtium, fatorum crimen eſt, quòd victi ſumus. Sed incuſare aut homines, aut fortunam ejus eſt, qui vitæ magis, quàm famæ conſulat. Monere diutiùs non hujus temporis. Ut de veſtrum omnium conſiliis certior fierem, vos advocavi: quod bono publico utilius eſt, modò expendite. Si, cùm de urbis ſalute actum ſit, egregiæ mortis laude carere, quàm exitiabile Reipub. bellum relinquere malimus; de deditione meliora conſulite: nunquam enim ingentium malorum remedia ſuis periculis carent. Si verò arma ulteriùs ſunt in votis; intelligite, nihil aliud, quàm morti decus quærendum, mihi verò vilio-

rem

1669 *rem vitam, quàm fortè putatis. Qualiſcumque fortuna meos conatus exceperit, nunquam à munere deflectam. Strenuè vobiſcum adero uſque ad extremum, niſi mors interim obtinget: quæ ſi tam celeri imminet fato, leve ſaltem non erit, me à tam funebri abſuiſſe ſpectaculo. Vos interim umbram meam ſuper hos muros vobiſcum in acie, in laboribus adhuc verſari credite. Hinc ne frangite animos. Non enim ultione, non ſolatiis opus erit: hæc rarum laudis genus, extremi nixus in hoſtem illam præbebunt. Quid ultrà: non diutiùs moremur, ego gloriam veſtram, vos conſtantiam meam. Plura de ultimis diſſerere, ignaviæ pars eſt: impletum omne conſilium, ſi fortiter morimur.* Nullum has Imperatoris voces aſtantium murmur conſecutum; ſed in alterna tantùm ora defixi, urbis tanquam captæ exitium tacitis proſequebantur gemitibus. At, cùm morbus inſtaret, ſupraque medicinam eſse neminem lateret; in eam ſententiam communi conſenſu itum, ut, antequàm id neceſſitas majore cum periculo exprimeret, dederetur Creta, atque unà ſecuritas claſſis, & obſeſsorum ſalus compararentur. Ab his Procerum conſiliis minimè diſsona vox Cretenſium fuit. Qui, quamquam abire ſedibus ſuis, & ſervatam tot annos ab hoſtium vi urbem deſerere contenti, nihilominùs verebantur, ne Thraces proſpero rerum ſucceſsu inſolentiores redditi, ſola deditione deſolatæ urbis non exuerent crudelitatem, immò verò promiſcua ſubactorum cæde ſatiari, victoriaque ſua uti in poſterum mallent.

Una voce omnes dedendæ urbis conſilium amplectuntur.

Nihi-

Nihilominùs Imperator, ut vel extremos differret luctus, vel, ſi quæ fortè recipi poſſent, ſubſidiis tempus daret, nondùm apertè conſilium deditionis amplexus, virtute magis, quàm vi bellum ſuſtinebat. Succurrebat, reliquis epibatarum in urbem redactis, novum introrſus murum extruere, quo pars urbis ruinæ propior excluderetur. Illud perfici hac arte, ut anguſtiori loco propugnantium numerus ſufficeret; atq; intereà bellum tamdiù protraheretur, dùm vel Italicę naves, vel aſſueti imbres aliquod laborantibus levamentum afferrent. At, dùm urbs recentibus muris claudebatur, prohibebantur ſuppetię. Quippè, nudata viris claſſe, nec in Cretam convehi tutò ſubſidia poterant, nec Dia, quò conveniebant, in poteſtate retineri. Prętereà nemini incompertum erat, non daturos Turcas ſpatium temporis, quo opus ad exitum perduci poſſet; nec dubitaturum Achmetem, quin recenti aggreſſione calentem exercitum denuò muris admoveret. Idcircò ab hujuſmodi ſpe dejectus, cùm, adverſantibus ventis, nondùm ab Dia Roſpilioſius, Gallique ſolvisſent, miſſit ad eos auxilia petitum. Simul oſtendit, *poſt acerrimum impreſſionis conatum, quem vix repulerat, multos probatæ virtutis Duces, ingentemque militum numerum cecidiſse. Indè, omnibus ad poſtremam neceſſitatem redactis, ubi inſtauraſſent prælium Turcæ, prohiberi ab urbis ingreſſu nequaquam poſſe. Adderent igitur vires feſſis; ſervarent Cretæ reliquias, & ne, quam, vigente Venetorum robore*

1669

Sed Maurocenus adhuc deditionem differt.

Varia molitur.

Denuò ſocios in opem vocat.

1669 *bore, ſtrenuè adeò opem contulerant, noviſſimum momentum expectanti præſidio impertiri denegarent*. Sed hæc quoq; incaſſum ceſſere. Non enim obſeſſorum preces, non vis religionis, non poſtremum perituræ urbis diſcrimen, ab incępto ſocios revocaverunt. Itaque Cretæ caſum è convivio proſpectantes, cùm per idem tempus lenis ventus mari incubuiſſet, extremum, quod Venetis ex pietate ſociorum ſupererat, ſpei, velis in altum datis, ultimò præciderunt.

At fruſtrà.

Diſceſſus ſociorum.

Ereptis è Diæ conſpectu Gallis, altiùs pavore defixæ ſunt mentes obſeſſorum. Nihilominùs Mauroceno idem animi vigor; qui, quæſita interdùm fiducia, manifeſtam neceſſitatem tegebat. Intereà voce, exemploq; erigens ſuos, plures dies crebris certaminum motibus deditionis faciendæ ſententiam diſtulit. Nec temperabant magnis conatibus Thraces, interiora urbis quotidie validiùs tormentis, ac bolidibus, muros verò, qua aut ſubruti, aut aſſidua oppugnatione decuſſi ruebant, apertis aggreſſionibus vexantes. Hinc calamitas noſtrorum eò devenerat, ut neque ad oſtentationem implerentur ſtationes; quamvis non ſexus, non ætas ab officiis cæterorum militum quemquam eximeret. Itaque, cùm deeſſent jam trahendi artes, brevìque immenſis ruinis obruta urbs extremum & obſeſſorum, & claſsis exitium eſſet allatura: caduceatores naviter inſtructi, ut ea, quæ ex dignitate, utilitateque Reip. eſſent, pertractarent, ad Ac-

Mauroceнus per aliquos dies obſidium ſuſtinet.

Tandem caduceatores ad Achmetē miſſis.

Achmetem miſsi. Simul placuit, ut, quæ Aloyſius Molinus Eques in gratiam firmandæ pacis aliàs propoſuerat, denuò in medium proferrentur. Non enim ignorabat Imperator, Thraces lætitia occupandæ urbis, ac cupidine quieſcendi quodammodò obcęcatos, viribus utrinq; non æſtimatis, facilè armis modum impoſituros. Sed Achmetem non modicè extulit ipſa pacis petitio. Exindè oſtentare vires exercitus, variè diſſerere de urbis detrimentis, diſceſsu Gallorum, & defenſorum paucitate: demùm jactans, id in ſumma fortuna æquius, quod validius, non Cretam modò, & propè ſitas Inſulas, ſed alias quoque urbes in redimendæ obſeſsorum incolumitatis pretium ſuperbè, inſolenterq; depoſcere. Dùm alternis diſceptationibus tempus terebatur, Maurocenus, nuſquam vigiliis ſolutis, poſitiſve armis, non ſolùm cavit, ne ſpes obtinendæ pacis immaturo gaudio aditum hoſtibus ad nocendum præberet; ſed, poſt aliquot leves eruptiones, duobus modicæ magnitudinis cuniculis propiùs ſuccedentem barbarorum manum disjecit. Atque hic poſtremus tantæ defenſionis ſpiritus fuit. 1669

Victoria ſua certus Achmetes cõſiliis Venetorum non aſſẽſit.

Sed ob novum obſeſſorũ molimen pertinaciam ponit.

Magis, quàm pro exigua re, expavens Achmetes, cùm ſupereſſe adhuc obſeſſis vires, atque ideò periculoſam cunctationem fore ſuſpicaretur; contentus, ſi ſibi urbs, quod procul dubio immodicè concupiebat, dederetur, quamvis multi ex proceribus rem vi, armiſq; conficiendam cen-

Creta deditio, & pax.

1669 ſerent, Nonis Septembris pacem ſancivit. Itaque ſtatutum eſt, ut Creta Turcis traderetur. Commeatus, armaque, exceptis iis, quæ nondùm cępto bello ſervari in urbe conſueverant, tutò in naves traducerentur. Littorales arces in Inſula Hieræ, Spinalongæ, & Garabuſarum Veneti obtinerent. Cliſſæ ſimul, & oppidorum cum adjacentibus agris, quę ſuperioribus annis Veneti Duces in Illyrico expugnaverant, firma poſſeſſio Reip. eſſet. Cæterùm mutuò redderentur captivi; liber eſſet, uti anteà, commerciorum uſus; ac reliqua pacis jura, quę ante Creticum bellum vigebant, rursùs innovarentur. Ad hæc peragenda duodecim dies Cretenſibus dati: intra quos, vento non adverſante, urbe demigrarent. Excepta pax communi gaudio à delaſſatis. Hinc repentè jucundiori tubarum, ac tympanorum ſonitu tota caſtra exultaverunt. Addidere milites lætas epulas, & feſtos cantus; annuiſſe demùm Superos votis omnium proclamantes, ut illo die modus labori, cædibuſque imponeretur. Interim ad tutiùs conficienda, quę pepigerat, tres obſides accepit Imperator primores gentis Turcarum, totidemque ex ordine Patritiorum Achmeti tradidit. Dùm verò Mombrunii, ac Grimaldi diligentia cuncta maturantur, præſidium cum armis, ac impedimentis militari more ſub ſignis ad littus tranſmittitur.

Veneti urbe decedunt. Omnibus ad diſceſſum paratis, dedita barbaris urbs eſt; mirantibus ipſis, Venetos nullis ca-

ſibus

ſibus ſuperabiles, convulſis propugnaculis, ad 1669
minimum redactis copiis, amiſſa quietis, ſubſidiorumque fiducia, in eam uſque diem, adverſus tantam exercitus vim, eadem virtute Cretam tutatos fuiſſe. Ubi autem per fracta murorum, trucidata corpora, perque fluentes vias ſanguine Achmetes in modum ovantis urbem ingreſſus eſt; extollere defenſores incępit, vix credens ea eſse męnium fragmenta, & ſubverſæ telluris tumulos, pro quibus exigua adeò multitudo ſtetiſset, nihil tot cohortium impetu proficiente. Hinc altiora pręconia adjecit, variè ediſserens de fortitudine, conſilio, conſtantiaque Mauroceni; callidiſſimum ſæpè Ducem vocans, utpotè qui jam ſubactam à ſe urbem, pro exercitus, claſſiſque ſalute, utilibus adeò Reip. legibus, adhuc viſus eſset conceſſiſse. Nec defuere inter primores Turcarum, qui diductas latè murorum ruinas conſpicati, quererentur effugiſse ſibi ditiſſimam prædam, Chriſtianoſque, cunctis propugnationi neceſsariis abſumptis, ſalvis opibus, atq; incolumi fama, victoribus ſimillimos evaſiſse. Hinc, crebreſcente indignatione, apertè incuſabatur Achmetes, quòd non ſciſset uti victoria, atq; in permiſſis conditionibus dignitatem Imperii non prętuliſset. *Num enim æquum videri, ut poſt trium annorum obſidionem, poſt immenſos ſumptus, ac tot millia Ottomanorum trucidata, tantùm de nomine unius urbis victor exercitus haberetur. Nullum in ea victoriæ pretium: quid enim in pote-*

Senſus Achmetis.

Queſtus Turcarũ.

1669 *poteſtatem redactum, præter decuſſorum murorum reliquias? Ubi ergo decus victricium copiarum, ubi præmium laboris? Sed prætereà, cur Achmetem, victoriam ſuam nec victoris animo, nec magni Ducis more metientem, ſedere ſpectatorem incurioſum diſceſſus Venetorum. Nulla jam Chriſtianorum caſtra, feſſum labore, ac vulneribus exercitum, nudatam remige, viriſque claſſem. Itaque penetrandum ad interiora Superi maris, quærendamque nullo diſcrimine tam diuturni belli mercedem. Sed ſatis in Creta ſubactum. Quietem & ſibimet ſumeret ſocors Achmetes, & laſſatis daret militibus. Intereà hoſtis abiret incolumis; Turcæ verò, tunc maximè ſegnes, cùm ea inclinatione utendum eſſet, inani opinione victoriæ fruerentur.* At ſatis fuit defenſioni Achmetis, Regem de occupata urbe admonuiſse. Huic enim exitum patrati facinoris anxiè opperienti, ubi allatum eſt tranſiiſse demùm Cretam in ditionem Turcarum; non gaudio, non plauſibus temperatum. Hinc, verſo ad Theraſiam itinere, Eubœam enim, trajecturus in Cretam, adproperabat, animum ſolicitudine turbatum lætitia compoſuit. Nec quæſitum ab eo, qua arte cepiſset urbem, quibuſve legibus finiviſset bellum Achmetes: ſed percontatus ſeverè militem, quid novi perferret, non paſsus eum ulteriùs diſſerere, quàm Cretam concidiſse. Cæterùm hoc anno, præter cunculariorum, atque epibatarum ingentem multitudinem, cęſa militum Turcarum millia ferè XXXVIII. Venetorum, XII. M. & DCCC. adeò, ut intra octo, & viginti, men-

Sed Rex lętitia captæ urbis perfuſus nihil triſte Achmeti minitatur.

Turcarũ, Chriſtianorumque cædes.

menſes triginta fermè Venetorum, centum, & viginti millia Turcarum abſumpta dicantur. 1669

Iter Venetorum infelix.

Venetis in claſsem receptis, cùm ſe benignior ventus intenderet, accingi claſſiarios ſuos, omnibuſq; ad navigationem diſpoſitis, anchoras tolli juſſit Imperator. Jamq; perluſtratis proximis Cretæ inſulis, iiſque commeatu, armis, ac milite communitis, in altum Venetorum naves felix aura deduxerat; cùm denuò in feſsos ſæviens fortuna, circumſtantis mortis imagine diù noſtrorum claſsem detinuit. Quædam enim navigiorum manus (huic major Cretenſium opum pars commiſsa) inopinanter obverſantibus ventis ita dejecta eſt, ut primo illabente undarum vortice penè demergeretur. Ut raptam in contrarios curſus claſsem ſiſterent nautæ, diù eluctati. At, cùm major ſubindè procella fieret; omniaque adverſi turbines miſcerent; erepta rectoribus ars, multùmque, ut venti vis impellebat, evagata navigia. Interim, cùm duarum prçcipuè navium & magnitudine, & forma ſublimiorum tabulata ſolverentur, antequàm quies mari redderetur, eçdem hauſtę ſunt. Sed Maurocenus, cùm aliquandiù Zacynthi immoratus eſset, ubi demùm Venetias provectus eſt, variis hominum ſtudiis excipitur. Quippè, ſicuti prudentiores non tàm præſentibus ærumnis, quàm fato iraſcebantur, omnia uſque in illum diem Venetorum armis luctuoſa minitanti; ita aliquot, ob amiſsam inſulam, mœrore quodam de-

Aliquot naves naufragio pereunt.

Civitatis ſtudia in Maurocenum.

1669 depreſſi apparebant. Verùm, ut exitus belli clarius innotuit, utiliſsimæ conditiones pacis, permiſsa à Turcis in Illyrico, Inſulæq; circa Cretam retentæ ita demulſerunt animos, ut omnibus videretur, idque Senatus Conſulto approbatum eſt, nihil ad utilitatem, gloriamq; Reip. amplius inveniri potuiſse, quàm ut iis legibus urbs jam amiſsa dederetur. Auxit comparatę pacis lætitiam ablata jam periculi moles, quæ, Creta armis deviƈta, toti Italiæ imminebat. Enimverò cùm paulò antè in ore omnium verſaretur, Venetum exercitum labore, cædibuſque confeƈtum ocyùs abſumptum penitùs iri, hoſtes verò ſpe, copiiſque prævalidos Cretę muros jam cepiſse, atque hinc rem comploratam, deſperatamque omninò eſse; multi haud ſecùs pavidi videbantur, quàm ſi viƈtores barbaros cernerent. Igitur magna ex formidine major rursùs exultatio: mirantibus cunƈtis, quommodò tantum belli incendium, ſubito languore hoſtium, intra unius captæ urbis muros ſubſtitiſſet. His de cauſis non modò ſingulorum votis res à Mauroceno geſtas Reſp. comprobavit; verùm etiam pacem, quam Senatus, miſso Aloyſio Molino Equite ad procurandam Rempubl. juramento Mahometis Regis confirmari curaverat, Dominicus Contarenus Venetiarum Princeps divinitùs redditam Reip. ſuſpenſo Patavii in Æde D. Antonii voto, profeſsus eſt. Plauſere & exteræ nationes Mauroceni conſiliis, partamque

Res geſtæ à Mauroceno approbātur.

Dominicus Contarenus Dux pacem divinitùs redditam Reip. ſuſpenſo voto teſtatur.

1669

que inter tot armorum diſcrimina pacem gratulatæ ſunt. Præcipuè verò coercitam barbarorum ferociam admirati Chriſtiani Reges; cùm, vix delibata glorię dulcedine, interrupto curſu rerum, poſitiſque armis, indecoris legibus irretiti obtorpuiſsent.

1670

Veneti Patres fines Imperii novis præſidiis firmant.

Dedita his legibus Creta, finitoque bello, eò verſa ſunt ſtudia Senatus, ut, auctis locorum prçſidiis, tutior pax redderetur. Igitur, inſtaurata claſse, ut quæque urbs munimentis indigebat, milite, armiſque confirmata. Inſulæ in Ægæo mari ſitæ ſtrenuis Ducibus traditæ, ut ſedulò cuſtodirentur. Quæ verò Adriatici faucibus imminent, ita permunitæ, ut, ſicuti in poſterum inviæ hoſti, ita opportunæ Venetis cùm ad miniſtranda ſubſidia, tùm ad tuendam claſsem eſsent. Interim de Illyrici limitibus agebatur, quos belli conatus invicem perturbaverat. Cùmque inter finitimos Chriſtianorum, Turcarumque contentio in dies augeretur; miſsus eſt in Provinciam ſequenti anno ſumma cum poteſtate Baptiſta Nanius Eques, ac D. Marci Procurator, præclariſſimus rerum Venetarum Scriptor, qui Jaderæ, Sici, Cliſsæ, & reliquarum urbium fines, licèt non ſine diſceptatione, brevì compoſuit.

Baptiſta Nanius Eques, ac D. Marci Procurator mittitur in Illyricum.

Jamque, quieſcente ab externis bellis Repub. commoda pacis diuturnis armorum detrimentis medebantur; cùm novo repentè diſcrimini objectatus eſt Maurocenus. Siquidem, quamvis o-

 mnia,

1670 mnia, quæ in Græcia egerat, ut dictum ſuperiùs, Patres collaudaviſsent; diſsona nihilominùs vox quorundam erat, qui demùm priorum temporum vulnera retractantes, non uno crimine Franciſcum poſtularunt. Igitur Antonius Corrarius, dùm omnes Patritiorum ordines ad deſtinandos Magiſtratus in ſupremas Ædes ſimul convenerant, illius accuſationem, nihil tale opinantibus animis, exorſus, *deditam Turcis Cretam*, diſseruit, *& tamen neminem Venetorum, fatali quodam ſilentio, tantæ urbis excidio ingemiſcere. Inter communes exterorum Principum luctus, Pontificis Maximi morte auctos* (per idem tempus Clemens IX. Sum. Pont. notę innocentię morum, virtutiſq; è vivis diſceſſerat) *ſolam Remp. congeſtis in Maurocenorum honoribus, jacturam inſulæ æquo animo toleraſſe. Si eadem æquitas & decorari ſtrenuos præmio, & affici pœnis nocentes juberet: cur auctori tantæ calamitatis, ſuppliciorum loco, dignitates decernerentur? Sed ſatis erratum. Eam tandem diem eſſe, qua deſineret Maurocenus gloriari in malis Reipubl. Patere ſcelus, tanto Venetæ rei detrimento, adverſus edictum, imperiumque Senatus, patratum; igitur ex inſtituto majorum maturandam ultionem. Nec de ſcelere dubitandum. Siquidem neminem poſſe, inconſulto Senatu, dedere hoſtibus urbes, ac de re aliena ex libidine ingenii quidquam decernere. Ipſam civium incuriam jurè damnari; meritòque exigi deperdita ab iis, qui ſibi tradita non aptè ſervarint. Id non in Rep. tantùm, ubi ſumma rerum ad multos refertur, ſed inter domeſticos ipſos civium parietes in legem*

Antonii Corrarii oratio in Maurocenum.

gem

gem tranſiiſſe. Ita credi opes, libertatem, & filias; barumque jacturam cuſtodibus imputari, quorum inertia in alienam poteſtatem commiſſa devenerint. Creditam urbem Mauroceno, ut ſtrenuè eandem tueretur, non ut hoſti permitteret; itaque deditionis reddendam rationem, atque illatum dedecus debitis ſuppliciis expiandum. Nec quidquam novi, quod ad ſuppliciorum ſeveritatem afferri. Ineſſe memoriæ, & literis tot bellorum triſtes eventus civium pœna vindicatos. Eubœam, Pylum, Tenedon, qui deſeruere, punitos. Nunc verò ipſum Galliæ Regem, ob deſtitutam à ſuis urbem, Novaleæ Duci aditum petenti, ut culpa ſe exolveret, non conceſſiſſe. Quid ergo de Mauroceno agendum, qui poſtremò Inſulam perdiderat? Nec obſtare, fuiſſe neceſſariam conceſſionem. Nam aliàs urbem obſidione cinctam, aliàs pertinaci aggreſſione tentatam & tamen incolumem. Id Mocenici opere exploratum: à quo æquè & blandimenta hoſtium, & impetus rejecti. Num igitur tàm ſtrenuè ſervatam, ut deindè tanto dedecore amitteretur? At nonnè paulò antè aggreſſio Turcarum acrior eluſa? Nonnè continuò Mirandulæ Ducis ſubſidia recepta? Ergo fortitudinis experimentum, & additamentum virium ruinam urbis acceleraſſe? Ea ne eſſe, quæ Maurocenus, ſcriptis ad Senatum literis, jactitaverat, ſe priùs vitam, quàm animum poſiturum? Ubi jacere ſpecioſa illa virtutis conſilia; & quonam ſubito turbine à mente Imperatoris conſtantiam expulſam? Sed quid de pace dicendum? Quam verò pacem, à quibus, & qua auctoritate pertractatam, quàm verò properè placuiſſe? Id certe tantùm Principi licere: cur ergo civis audeat, quod ar- 1670

1670 *bitrio Senatus reſervatum? Nunquam, ſi cùm veteris Reip., tùm exterarum gentium monumenta petantur, talia à quoquam anteà peracta. De Venetis rem claram eſſe, & quotidie ob oculos exempla verſari. Romanos verò, hos enim præcipuè tranſactis temporibus æquitate, & conſilio floruiſſe, omnia, præter pacis ſtabiliendæ poteſtatem, ſuis permiſiſse: quoties exceſſerint, pro nihilo habitum fœdus, auctoreſque pœnis affectos. Immò ne proſperè quidem geſtas in bello res à ducibus copiarum, niſi præceſſiſſent imperia conſulum, laudatas. Eminere inter multos T. Manlii Torquati exemplum; qui equeſtria ſpolia capta ex hoſte cæſo portantem filium extemplò averſatus, quòd adverſus conſulare edictum extra ordinem pugnaviſſet, triſte quidem, ſed ſalubre in poſterum exemplum reliquerit. Siquidem, cùm illi aut Reipublicæ, aut ſui, ſuorumque obliviſcendum eſſet; ne impunitate peractæ pugnæ poteſtati conſulum quidquam derogaret, mira animi conſtantia, atque integritate, cædi cervicem juvenis imperaſſe, quaſi plus eſſet in imperio, quàm in ingenita parentibus caritate liberorum, & victoria. At quantò magis, quæ nullo Senatus conſenſu Maurocenus cum hoſte pepigerat, damnanda; cùm ex iis poſtremum malum, nobiliſſimæ Inſulæ jactura, emanaſſet? Hæc igitur non agitanda? Ubi Patres ſedulò cuncta expendiſſent, facilè inventuros, Maurocenum ideò prius animo validum, & inter diſcrimina obſidionis interritum, ut ſubdolè dignitates extorqueret. Comparatis dein ſibi, quos immodicè concupiverat, honoribus, opibuſque; ideò deditionem, ac pacem maturaſſe, ut iis, quæ bello acquiſierat, ſine periculo domi frueretur. Summis præmiis id ſemper*

per

per effici, ut, cùm beneficiorum vis multò merita an- 1670
tevenerit, odium pro gratia reddatur. Nec ſuccurrere
defenſioni Imperatoris, quòd Senatus, quæ ſtatuerat, com-
probaſſet. Nihil enim veritati unquam officere, cui ſem-
per regreſſus patet ad nova judicia; ut, qui incorruptè
judicant, præmia, ſuppliciaque, inter ſtrenuos, & iner-
tes æquè partiantur. Hinc, detectis fraudibus, poſse in
utramque partem malè conſtituta juſtiùs abrogari. Im-
mò nec Procuratoriam D. Marci dignitatem adeò illi ad-
hæſiſse, ut, comperto, non adfuiſse cauſam tribuendi ho-
noris, rursùs auferri eidem non poſset. Nonnè enim in
eam ſententiam deductos Patres, quòd adverſus Ottoma-
norum minas immotum Imperatorem, paratumque ad ex-
trema quæque pericula, arbitrarentur. Igitur immeritò
Procuratorium decus aſſecutum Maurocenum, quia, agen-
tibus de dignitate decernenda Patribus, jam Turcarum
exercitus victor, non vi, armiſque, ſed præpropera Im-
peratoris conceſſione, &, quod fœdius, propemodùm ante
ipſos auxiliarium copiarum oculos, quæ jam Zacynthum
appulerant, miſerrimam urbem intraverat. At nùm na-
vatæ operæ merces dicenda? Multos alios egregios Du-
ces, tranſacta in caſtris ætate, ingentia præmia meritos;
nunquam tamen cum iis adeò munificè, adeò felicitèr a-
ctum. Puderet, Veneta illa pericula, atque miracula,
Enricum Dandulum, Andream Contarenum, Andream
Gritium recenſere; qui, licet longa proſperarum rerum
ſerie inſignes, nunquam eò dignitatis provecti fuiſſent.
Unum Maurocenum, amiſſa Creta, ſummum faſtigium
adeptum. Aliis ne egregia quidem facinora, huic etiam
luctuoſa quæque laudem, atque honores, hoſque ſupra nu-

merum,

1670 *merum, & nuſquam anteactis temporibus in quemquam collatos, peperiſſe. Sed prætereà rationem conferendi honoris conſuetudini, & legibus adverſari. Non ordinem ſuffragiorum, non inſtituti vim in ea ſervatam: omnia per dolum ſtructa, ut Patres ludificarentur. Igitur maturè omnia examini ſubjicienda; obliterandamque belli ignominiam civis illius pœna, qui, quantum in ipſo fuerat, diſciplinam militarem, qua ſteterat ad eam diem Veneta res, ſolviſſet. In eam neceſſitatem adductos Patres ſe intelligerent, ut, aut ſupplicio Mauroceni ſancienda forent Reip. imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda.*

Permotis Patrum animis, Maurocenus rerũ geſtarum poſtulatur.

Hinc non leve dignitatis Mauroceni diſcrimen fuit: rei enim momentum prima fronte multorum animos perturbaverat. Quamobrem, Franciſco Eritio Quæſitore in id munus ſtatim declarato, non modò indictum judicium, quò ad univerſam bellicam adminiſtrationem, ſed & actum de Procuratorio D. Marci munere; cùm ordo ſimul, & ratio collati in Maurocenum honoris arguerentur. Placitum indè, ut Franciſcus, cum aliquot aliis Patritiis viris jam poſtulatus, lubens ſe cuſtodiæ ſubmitteret, ita tamen, ut curia eidem carceris loco inſerviret.

Dein cuſtodiæ ſubmittitur.

At Joannes Sagredus, ac Michael Fuſcarenus Corrarii orationi reſpondent.

Sed, qui ſtrenuè propugnatę urbis, navalis victoriæ, utiliſſimarum poſtremò conditionum pacis gloriam æquiùs æſtimabant, haud paſſi ſunt illata crimina invaleſcere. Itaque Joannes Sagredus Eques, ac D. Marci Procurator, moxq; Michael Fuſcarenus, integerrimus Hiſtorię Venetę Scriptor, defenſionem Imperatoris aggreſſi,

rem

rem aliàs pertractatam, denuò in contentionis aleam re- 1670
vocari, oſtenderunt. *Jam clarè perſpectum, nec defen-*
di Cretam ulteriùs potuiſſe, nec utiliori ratione bellum ſeda-
ri. Falsò criminis materiam in eo conſtitui, quod Creta
eſſet ditionis Turcarum. Num enim exitus bellorum in po-
teſtate hominum, aut barbarorum more ex fortuna Duces
æſtimandos? Ideò deditam urbem, quia defenſioni impa-
res obſeſſi: ni priùs conſtaret, ante extremam neceſſitatem
Maurocenum deditionem amplexum, omnia incaſſum jacta-
ri. Creditam illi urbem; at tres fermè annos fortiter propu-
gnatam, devictos nocturno navali prælio hoſtes, centum, &
viginti millia Turcarum trucidata. Demùm, inſtante &
Cretæ, & claſſis exitio, annuente viginti celeberrimorum
Ducum cœtu, quorum nominis plurimùm intererat, urbem
illam ſervari, Thracibus permiſſam. Non idcircò jactu-
ram imputandam Mauroceno, cujus munus erat, ut re-
ſiſteret quoad poſſet, non quoad vellet. Neminem jure
damnari, quòd creditas ſibi opes, filias, libertatemve a-
miſerit, cùm vel valida armatorum manus, vel alia
quæq; repentina vis theſaurum, pudicitiamque hoſtiliter po-
puletur. Hæc ſupra animum eſſe, & quibus nullum vi-
gilantiæ genus obſiſtat. Cæterùm manere exempla tot ci-
vium damnatorum ob malam rei bellicæ adminiſtratio-
nem: ſed ea nequaquam officere Mauroceno, qui deman-
dato ſibi officio naviter ſatisfecerat. Immò verti in eo
gloriam ipſius, quòd urbem ruinis, luctu, funeribus de-
formem, ac ultimò ſociorum diſceſſu deſolatam adhuc
defendiſſet. Nulli incompertum, aliàs obſidionem à Cre-
tenſibus toleratam; ſed, ſi vires cùm Venetorum, tùm
Thracum, ſi tempus, ſi certaminum genera conferantur,
quàm

1670 *quàm à poſtremo belli ordine diſſimilem. Tunc aliquot menſes, nunc tres propemodùm annos productam oppugnationem. Tunc modicas Turcarum copias, nunc univerſum robur Orientis in obſeſſorum excidium advectum. Ipſum præterea Regii ſigilli cuſtodem Achmetem tot artibus, tanto armorum apparatu validum conveniſſe. Nunquam priùs eouſque provectos Turcas, ut Ottomanica ſigna Cretenſium muris defigerent. Poſtremis hiſce annis, captis muris, ac propugnaculis, uſque ad interiora receptacula penetraſſe. Si verò defenſorum conatus, ſi ſubſidia ſpectentur, nihil ex his famam lædere Imperatoris. Certo certius eſſe ultimam aggreſſionem barbarorum à Venetis repulſam; ſed non latere, rem eò redactam fuiſſe, ut ampliùs repelli Turcæ non poſſent. Quid igitur tunc expectandum, niſi ut Cretenſes ab ingruente hoſtium multitudine circumventi, ac veluti obruti, pecudum more ad unum trucidarentur? De ſubſidiis verò nihil intereſſe, ſi aut pararentur, aut non procul abeſſent; cùm horum inopia urbs ad extremum laboraret. Attamen neminem inficias ire, poſt Gallorum diſceſſum uſque ad ſexdecim dies urbem propugnatam; atque inde excipiendis auxiliis, quæ ventorum culpa non advenere, tempus permiſſum. Intereà agitaſſe multa Imperatorem, ut vel novo opere muniret urbem, vel honeſto exitu moriendi neceſſitatem præveniret. Verùm, quorum ope extruenda munimenta, cùm miles neque ad oſtentationem ſtationes impleret, quàmque temerarium ruere velle ad mortem, cùm non haberet, quod morte ſua ſervaret? Igitur, ubi hæc exitioſa Reipublicæ ab omnibus reputata, non modò quid de dedenda urbe quiſ-*

que

que ſentiret, quæſiiſſe, verùm etiam, an id ex Senatus literis ſibi liceret, apertiùs poſtulaſſe: ſinguliſq; licere affirmantibus, deditam urbem. Cæterùm, cur ab Ludovico Galliarum Rege non laudatum Novaleæ Ducis conſilium, niſi quòd, cùm major diſcriminis moles, Cretam deſeruiſſet? Non latere cauſam mali: ortam ex paucitate defenſorum, & munimenti inopia, neceſſitatem deditionis. Igitur, ubi certa urbis jactura, immeritò queri quemquam de pace. Nec obeſſe, eam poteſtatem Mauroceno datam non fuiſſe. Siquidem proſpectantem Senatum caſum urbis, multò ante Imperatorem monuiſſe, ut in extremis proſpiceret claſſi, in qua Imperium, libertaſque verſabantur. Sed quid ad ſervandam claſſem aptius, quàm pacis conſilium; cùm, manente bello, ob exhauſtas vires claſſis ſervari minimè poſſet? Neque momentum urbis cum claſſis diſcrimine conjungendum. Actum enim de Creta jam erat. Res in eo vertebatur, ut aliquod feſſis levamentum daretur, ne in poſterum pejora contingerent. Ad hoc autem difficillimo tempore, victore hoſtium exercitu, nudata viris claſſe, comparandum, nihil pace utilius, nihil honeſtius, nihil præter omnium ſpem Turcis magis adverſum. Nunquam bellantibus opportunum tunc arma deponere, cùm hoſtes labarint. Utendum inclinatione rerum; minimumque victoriæ primæ contentionis judicium eſse, ni victor inſtet ſuperatis, & victoriæ præmia ſectetur. Nec jactari cum periculo Imperatoris nulli unquam civi, maximè teſtimonio Romanorum, id licuiſse. Nam è claris ſcriptoribus cognitum, commendatam antiquitatem, quoties fortuna contra daret, ſaluti conſuluiſse. Manliana ve- 1670

1670 *rò imperia non modò tunc horrenda, ſed exempli etiam triſtis in poſterum fuiſse. Coortas poſt cædem ſtrenui juvenis libero adeò conqueſtu exercitus voces, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur. Quamvis Torquati facinus nec ab omnibus pro vero concedi, nec ab iis quidem, qui conceſsere, laudatum. Sed, T. Manlius imperio parentis ceciderit, multùm hæc duo exempla inter ſe differre. Quippè ferocem juvenis animum detrectandi tantùm certaminis pudore ad arma permotum. Maurocenum verò ad ea, quæ pepigerat, agenda, ultimo & urbis, & militum, & claſſis diſcrimine compulſum. Quod reliquum, pacis obtinendæ opportunitatem in tàm arcto ſitam, ut, niſi hujus mentionem cum deditione urbis callidè conjunxiſset Maurocenus, vix unquam quid ſimile Turcæ conceſsuri fuerint. Igitur optimè eundem propera occaſione uſum fuiſse, ut Achmetis animum in pacis conſilium traheret. Quòd ſi conditiones, antequàm per internuncios firmarentur, deferri priùs ad Patres non potuerint, id non Imperatoris, at regionum culpa contigiſse. Ubi enim terrarum ſpatio exercitus longè detinentur, ſubitis caſibus ſubita præſidia præſto eſse debere: alioquin, ſi conſulatur Senatus, intereà corruere urbes, regnaque, & libertatem. Sed quantò magis augeri præconia Mauroceni, ſi conditiones pacis æſtimarentur. Auro, urbibuſque aliàs emptam pacem. Quatuor maxima bella, hoc more finita. Leucadem Bajazeto, Scodram, Tænarium, Lemnonque Mahometi Secundo, Selimo Ceſtriam, aliaque Illyrici oppida, demùm Solimano Epidaurum, & Naupliam à Republica permiſsa. Nunc alium rerùm aſpectum. Nam, præter Cretam,*

quæ

quæ jam Turcicam in ditionem tranſierat, tres Inſulæ arces, Cliſſam, & occupata priùs in Illyrico retenta. Ex capta verò urbe tranſvectas opes, arma, & commeatus. Hæc ergo eſſe, propter quæ Procuratorius bonor illi auferretur, qui poſt tot præliorum labores, ac trium annorum defenſionem, demum in ſumma rerum conſternatione pacem, tanto Reipublicæ emolumento, comparaverat? Penſari his artibus virtutem Imperatoris, qui, cùm, arctis, afflictiſque rebus, de Creta ſua jam dubitaret, auſus eſſet in diverſa reſpicere: cùmque barbari muros urbis jam inſediſſent, eodem tempore pelago commiſſus, utrinque victor, abſens ſimul, præſenſque pugnaverat? At ſatis aptè decretam dignitatem, ſi cuncta in eo præceſſiſſent, quæ dignitatem merebantur. Patere innocentiam, virtutem, conſtantiamque Mauroceni. Dignum totius orbis laudibus ipſius animum viſum: futurumque poſteris inter præclariſſima exempla, quod ea die exemplis tueri neceſſe fuiſſet. 1670

His multiplici utrinque concione exagitatis, nihil aliud effectum eſt, quàm ut Maurocenus magis inclareſceret. Id enim habent virtutes, & vitia, ut ſæpiùs attrectata clariùs appareant. Igitur altiori indagine repetita Cretæ defenſio magis emicuit: immò quædam, ob multitudinem rerum præclarè geſtarum, priùs inaudita, acriori eruta examine, in Franciſci gloriam prodiere. Nec œconomicę rei negotium à Patribus omiſſum: aucta, ob pravorum hominum culpam, uti ſolet, etiam bonorum ſuſpicione. At ſicuti nihil ex his pertinere ad Imperatorem *Rebus cognitis, Frãciſcus Maurocenus omniũ votis abſolvitur*

1670 ex certis judiciis Senatui viſum eſt; ita Procuratoriam D. Marci dignitatem potiùs meruiſſe ſibi, quàm illi Rempublicam dediſſe, optimus quiſque, omnium votis approbantibus, intellexit.

De Scriptione judicium. Cæterùm, quæ hactenùs ſcripta ſunt, non expreſſa ſigna propugnationis, ſed lineamenta quædam æquiùs exiſtimaveris. Primò enim, ne iis quidem, qui aderant, omnia innotuere: deindè bellum ipſum tantum fuit, ac tot acerrimæ virtutis experimentis refertum, ut fortaſsè maximè memorabile omnium, quę unquam geſta fuere, meritò appellandum ſit. Quippè, ſi moram ejus inſpicias, quinque, & viginti anni fatentur; ſi conſtantiam dimicantium, probat octo, & viginti menſium una in ùrbe tòleratum obſidium; ſi hujus atrocitatem, centum, & quinquaginta millium hominum cædes oſtendit. Facta præſtantiſſimorum Ducum, ac Principum, qui demùm inter pericula pręliorum vitam fortiter exuerunt, & ſatis in ſe laudis habent, & claris plerumque ſcriptoribus memorata ſunt. Mihi quemadmodum ſingulorum nomina, nedùm res geſtas, recenſere difficillimum, ita cauſa cępti operis procul viſum eſt. At virtutem Mauroceni quàm tot armorum diſcrimina probarint, facilè quiſq; ex genere belli, imbecillitate virium, & nequitia temporum colligat. Ego, ſatis glorię ipſius nomini acceſſiſſe, dicere auſim, ſi tantummodò urbem Cretam propugnaſſet.

FINIS LIBRI SECUNDI.

FRAN-

FRANCISCI MAUROCENI PELOPONNESIACI, VENETIARUM PRINCIPIS,

Geſtorum

LIBER TERTIUS.

EPITOME.

MOTUS *Turcarum intra Pannoniam. Vienna ab eorum obſidione Cæſaris armis vindicatur. Hac occaſione Veneta Reſpub. ſtatuit bellum barbaris indicere; fæduſque init cum Cæſare, ac Poloniæ Rege. Franciſcus Maurocenus tertiò declaratur Imperator; qui continuò Corcyram advectus ſuos inſtruit ad bellum. Leucadem tentat, ac ſubigit; in ditionem recipit Acarnanes, Turcaſque regionem infeſtantes proſperis præliis cohibet. Nicopolim expugnat, atque iterùm barbaros Acarnaniam vaſtantes invadit. Comes Nicolaus Stra-*

Straſoldus obit. Tumultus ingens in aula Turcarum exoritur; quo compoſito, apparatus bellici inſtruuntur. Comes Claudius S. Pauli Præfectus copiarum à Venetis eligitur. Peſtilentia turbat exercitum Chriſtianorum. Maurocenus apud Leucadem cum Turcis congreditur: quibus pulſis, conſtituit arma ferre in Peloponneſum. Corone urbs primò tentatur. Properant Turcæ in ſubſidium incolarum; atque ipſe terreſtris exercitus Præfectus magnis cum copiis accedit. Varia prælia utrinque ingenti clade deformia. Fruſtrà paratur aggreſſio à Venetis; qui tamen poſt eruptionem barbarorum ſuſtentatam intra vallum eoſdem adoriuntur, & caſtris exuunt. Fit impetus in urbem; hinc coacta deditio: ante quam nihilominus caſu accenditur certamen, captaque urbe, atrox Coronæorum cædes fit. Laurentius Maurocenus, Imperatoris frater, Equeſtri D. Marci dignitate decoratur. Acceptis Tænariis in commilitium, expugnatur Zarnata; proſperoque prælio cum Turcarum Præfecto apud Abæam Veneti congrediuntur. Abæa, Chielepha, & Gerenia occupantur. Indè properans in ſtationes Franciſcus Gomenitias evertit. Comes Otho Koniſmarchius Præfecturam copiarum ſuſcipit. Tumultus Byzantii denuò excitatur. Obſidentes Chielepham Turcas in fugàm agit Maurocenus; continuòque Pylum vetuſtiorem tentat, vincitque. Nova Pylus obſidione cingitur; fuſiſq; ſubſidiariis hoſtium copiis, occupatur. Sequitur Pylum Methone; & cum ea univerſa Peloponneſi regio, quæ Mediterraneo Mari alluitur.

LIBER

ANNO ſalutis milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo cœptùm eſt à Turcis in Pannonia bellum, Duce Muſtaphà extincto Achmeti in Regii Sigilli cuſtodiam ſubrogato. Is, aut paraturus ſibi in caſtris opes, quibus turpiter inhiabat, aut illorum ſtudia declinaturus, quos ob non imparem divitiarum, ingeniique famam ſuſpectabat, ſpe proferendi Imperii, in conſilium armorum Mahometem Regem perduxit. Delecta in Cæſarem expeditione, ad ſummam victoriarum extulit animum: occupataque Caſſovia, quæ ſuperioris Hungariæ caput eſt, ac mox, quà Leytha fluvius Pannonias dividens cum Iſtro commiſcetur, Poſſonio urbibus, adverſus Auſtriaci Imperii ſedem Viennam exercitum admovit. Urbs eſt ad Danubium, amplo ambitu, validis muris, vallo, aggereque præcincta; quæ in Germaniæ, ac totius Chriſtiani Orbis contra Othomanicas irruptiones propugnaculum collocata, aliàs ad acerrima obſidionis experimenta barbaros incitaverat. In arduum diſcrimen deducta res aliquandiù ambiguo eventu Fidelium mentes detinuit; nec multùm aberat trepidatio, cùm, qui vim copiarum, & belli genus, multò magis inſolentiam victoris reformidarent. Sed, quod contra pacis jura temerè inchoatum fuerat, in feritatis ſupplicium deſiit: exutoque caſtris Muſtaphà, de univerſo ejuſdem exercitu Auſtriaca, Sarmaticaque arma

1682 *Turcarũ motus.*

1683 *Muſtaphà Viennam obſidet.*

Sed ingẽti clade à noſtris repellitur.

ma

1683 ma triumpharunt. Reſp. quę uſq; in eam diem crebris diſſidiis cum barbaris diſceptaverat, altiùs initio repentini belli permota, ad cuſtodiendos Imperii fines ſedulò converſa eſt. Pręcipuè verò cùm tempeſtas, quæ intra Pannoniam detonuerat, favente fortuna cęptis barbarorum, Fori-Julii faucibus incubaret; imminens neceſſitas poſcebat, ut, auctis Provinciæ pręſidiis, ſolertiſſimo Duci ejuſdem tutela demandaretur. Collatum omnium ſuffragiis id munus in Franciſcum Maurocenum. Qui dùm commiſſa abſolvere ſatagit, opportunaque gerendæ adminiſtrationi comparat, ſolutæ ingenti Turcarum clade obſidionis rumor omnia incredibili Chriſtianorum plauſu, lætitiaque perfudit.

Franciſcus Maurocenus mittitur in Forum-Julii

Tunc Veneti Patres, quæ caſus obtulerat, in conſilium vertenda rati, ingenita virtute juſtum bellum Turcis indici opportunum exiſtimavere, quo illatas per tot annos Reip. injurias ulciſcerentur. Nec enim pax adeò invaluerat, ut levibus quibuſque de cauſis à Thracibus non contemneretur: eò progreſſis contentionibus, ut uſque ad licentiam armorum crebrò pervenirent. Quippè immodicè ob debellatam Cretam exultantes, nunquam ſæviùs, quàm ſub ea amicitiæ larva odia in Venetos exercebant. Illyricum præcipuè graviùs, quàm bello vexabatur. Namq; barbari per univerſam penè regionem dilapſi, vicos, oppida ſpoliare, rapere, excindere; eòque atrociùs in dominos ſævire, quia

Cauſa, ob quas Veneta Reſp. Turcis bellum indixit.

quia ob fiduciam pacis nihil uſquàm proviſum 1683
adverſum eorum incurſus. Ubi verò repugnatum foret, arma in promptu, tanquam in apertos hoſtes. Hinc multa Venetæ ditionis in populantium arbitria devenerant. Conceſſi prętereà piratis portus, intercepta commercia; tanta verò eorum Præfectis, poſtremò etiam Regi impudentia, ut, niſi expeditiùs, quę ſibi immeritò poſtulabant, munera concederentur, reluctantes ferro, & ſanguine, nec raró ſubiti belli minis deterrerent. Multò tamen propiùs extremum malorum acceſſerat, ſi barbarorum auſibus Viennę obſidium reſpondiſſet. Potiti enim ea urbe, ex cujus libertate Chriſtianorum fata pendebant, auctaque cum dominatu ambitione, in noſtras regiones undique illapſi, univerſam Italiam quodam quaſi diluvio, & inflammatione corripuiſſent. Diù adverſus Remp. omnia licuere fortunę. Tandem viſum eſt Superis, ut publica illa Orbis lues propriis flagitiis, ac mole obrueretur. Ut ergo Senatus, 1684
nonnihil inſtauratis, quas diuturna bellorum incommoda exhauſerant, viribus, omni laude dignam in tam nefarios hoſtes denunciationem animadvertit; eò ipſius ſtudia verſa ſunt, ut infenſę pacis ocium æquioris belli exercitia ſummoverent. Quamobrem illud proviſum eſt primò, ut concordia Principum aptiùs Turcæ opprimerentur. Nec fuit in arduo ſocietas, potentiam magnorum exercituum oſtentantibus

Venetorũ fędus cum Cęſare, & Polonia Rege.

Ee Leo-

1684 Leopoldo Cæſare, ac Joanne III. Poloniæ Rege; quorum uterque acerrimo bello in Turcas detinebatur. Initum idcircò cum iis à Rep. fœdus; ſtatutumque, ut mari, terraque omni virium nixu barbari divexarentur.

Apparatus ad bellum.

Erectis in vindicandi rupti fęderis ſpem animis Chriſtianorum, ſubito armorum apparatu Reip. provinciæ ſtrepuere. Urbs ipſa rebus bellicis congerendis intenta, quadam veluti fiducia proſperi eventus agebatur. Nec quidquam defuturum in poſterum felicitati Reipub. cives cenſebant; cùm abrupiſſe in exitium ſuum Thraces, victoriaque, & propagatio Imperii portendi viderentur. Sed, dùm conſultatur de ducibus, qui terreſtri, maritimoque exercitui præficerentur, ereptus è vivorum numero Aloyſius Contarenus Venetiarum Princeps; recentem lætitiam haud modicè inhibuit. Tunc Mauroceno duplex ad gloriæ verticem via patuit, hinc per arma ad decus victoriarum; illinc per actarum rerum memoriam ad Principatum: &, ni fata, quæ tàm grande eidem de Peloponneſo nomen decreverant, obſtitiſſent, jam aſſenſu unanimi Princeps Reip. declarabatur. At hoc in votis tantùm fuit. Quippè, mutatis repentè conſiliis, M. Antonium Juſtinianum Equitem, admirandæque moderationis virum, Ducem ſummum comitia creaverunt. Hinc non hæſere Patres Imperatorem electuri, cui tanti conatus momentum demandarent.

Aloyſius Contarenus Dux Venetiarum obit.

M. Antonius Juſtinianus Dux eligitur.

Una

Una omnium vox, *ſolam Mauroceni mentem tantæ molis capacem. Nihil ad bellorum genus accommodatius indole illius, qui toties terra, marique barbaros proſperis prœliis cohibuerat. Neminem aptiùs in ſe tracturum ſtudia militum; atque è contrà ad tanti Imperatoris famam latiorem Byzantii conſternationem fore. Innumera adeſſe fortitudinis, & ſolertiæ experimenta. Cognitum ſuis, terribilem hoſtibus, & ut promptum ſecundis, ita immotum adverſis. Denique ipſum gnarum militiæ, & regionum, longo uſu rerum Turcicarum peritum, belloque omnimodè ſuffecturum.* Quapropter, Franciſco Mauroceno Imperatore exercitus declarato, lætati non cives modò, atque univerſa Reſp. ſed externorum quoque Principum plauſus, & præconia excitata. Præſertim Innocentius XI. Pontifex Maximus in ea rerum inclinatione, ex trium Principum fœdere, ac tanti Ducis diſciplina, palmas, & triumphos Reip. auſpicabatur. Longè tamen altiùs electio militem commovit; & præcipuè eos, qui aliàs ſub Mauroceno ſtipendia fecerant. Experti enim nihil unquam ab eo tentatum, undè inglorii, ac ſine præmio receſſiſſent; ita tirones quoque, & externos in ſpem erexerunt, ut intraret omnium animos bellicæ rei cupido, æmularenturque publicam pietatem ſtudia privatorum. Sic tertiò Imperatorium faſtigium Franciſcus conſecutus eſt: & quamvis penè ſeptuaginta annorum ætate gravis, ne extremum quidem vitæ ſibi reſervans, 1684

Franciſcus Maurocenus tertiò Imperator creatur.

Lætitia Principū,

& militū.

Maurocenus magno animo Imperium ſuſcipit.

1684 novum ad patriæ gloriam iter ſanguinis ſui emita aperire conſtituit. Itaque devovens ſe juſſis, utilitatique Reip. iterùm, qui in Cretenſi bello adeò exarſerant, ſpiritus recaluere. Hinc extollere Patrum animos, augere fiduciam civium, recentiſque adhùc victorię æſtu ferventes barbaros ſubigi poſſe, oſtendere. Nec aberat certa ultionis ſpes; cùm polliceretur ſe in eorum viſcera illaturum neceſſitatem armorum, ut vel, quæ Thracibus ſuperior fortuna conceſſerat, honeſto bello repeteret, vel inopinatis motibus incurioſos profligaret. Igitur non ultrò dilata belli conſilia. Nam, cùm conſtitutum fuiſſet, ut, antequàm æſtiva tempeſtas excideret, navales, ac terreſtres copiæ in Græciam convenirent, habiti ſedulò delectus militum, armaque, ac claſſis celeriter inſtructa. Jacobo Cornelio, atque Alexandro Molino, Ducibus bello egregiis, præcipua munera demandata, huic Prçfectura Navium, illi Quinqueremium. His diſpoſitis, Comes Nicolaus Straſoldus, ex nobiliſſima Foro-Julienſium familia, optimè de Pannoniæ bello meritus, terreſtribus copiis præficitur. Ad cæteros militię gradus ii maximè, quos exactorum bellorum experimenta probaverant, evecti.

Patres cuncta ad bellum ſedulò comparant.

Tumultus ingens Byzantium turbat.

Jamque Alexandro Molino cum navibus præeunte, Mauroceni diſceſſus ornabatur; cùm ingens tumultus Regiam Turcarum invaſit. Hunc propera, & occultis conſiliis inſtituta pro-

profectio Joannis Capellii à Decemvirorum ſecretis, Byzantii Remp. procurantis, excitaverat. Enim verò ubi rumor denunciati à Rep. belli percrebuit, cùm adeſſe novum hoſtem, ac præter ſpem, moremque, eò audaciȩ deductum, ut pacem Imperii ab omnibus expetitam belli amore turbaret, agnoviſſent: omnia ob acceptas ſub Vienna clades ingenti mȩrore depreſſa, in deterius volvi cœperunt. Hinc dolor, atque ira: palàm demùm eruperunt queſtus, & indignatio. *Ideone ſuſceptum in Pannonia bellum, ut ſpe victoriæ fœdiùs vincerentur? Amiſſum exercitum, interfectos duces, exhauſtas provincias: interim patere Chriſtianis maritima quæque ditionis Ottomanorum. Jam, quidquid virtute, ac pacis tranquillitate partum erat, intemperantia armorum corruiſſe. Obliteranda dedecora Imperii eorum ſupplicio, qui tam exitioſa conſilia ingeſſiſſent. In præſens verò validioribus remediis opus. Supprimendum omni vi ingenii bellum; ne id nutantem Imperii ſedem quodam quaſi æſtu, & torrente fortunæ comminueret. Inſtare Venetorum Remp. Maurocenumq; Ducem belli futurum, qui totiès, ac tàm latè nominis ſui terrorem circumtuliſſet.* Hæc cùm crebrò jactarentur, haud longè aberat aperta ſeditio, & furor plebis in proceres; ni evitandi belli ſpes ab aliquibus appoſitè oſtentata, primum illum irarum incendium compreſſiſſet. Quamobrem Hybraimus, cui Regii ſigilli cuſtodia, Muſtaphà perempto, contigerat, conatus eſt primò minis ab incȩpto

1684

Queſtus populi.

Hybraimus conatur revocare Venetos à conſilio belli,

1684 pto Venetos revocare: *Proſpicerent ſibi, neu validiores laceſſerent*, hortabatur. *Ubi armis indulſiſſent, ſeram pœnitentiam fore. A nemine unquam Ottomanorum Imperium proſperè ad bella provocatum. Eſſe ſibi opes, claſſem, exercitum, & reliqua, quibus eluderet fortunam Mauroceni. Meminiſſent dubios ſemper eſſe pugnarum eventus, martemque communem. Facilè inchoari bellum, at ægerrimè confici. Initia ejuſdem penes omnes eſſe; de exitu caſus præliorum judicare. Plerumque tamen iis favere fortunam, qui fide, & viribus præſtant*. Sed his fruſtrà prolatis, ad blanditias converſus, tentari jubet alia arte animos Chriſtianorum. *Deteſtari ſe avaritiam extincti*, ſimulat. *Nunquam à ſe violata pacis jura. Poſſe tutiùs utrinque cuncta componi, quàm in belli diſcrimen deduci. Utilius eſſe æquitate, quàm ſanguine, conſilio, quàm armis Imperia tueri. Ceſſurum ſe quæcunque jure poſtulaſſet Reſp.* (callida hæc barbarorum inventa erant, ut armorum ſtudia torpeſcerent) *dummodò à bello temperaretur*.

primo minis,

dein blanditiis.

At Maurocenus cum claſſe in Græciã proficiſcitur.

Sed æquè & minæ barbarorum, & promiſſa à Patribus rejecta: cùmque omnia ad profectionem in promptu eſſent, Maurocenus, votis piè perſolutis, VIII. Junii die ſolvit ab littore. Secundis auris provectus in altum, Illyricique oris appulſus, recipere auctoratas cohortes in claſſem, fabrefactas de novo triremes armare: ibique, prout populi ad belli religionem incitabantur, viros, arma, naves, nec non copiam frumenti, cæteroſque commeatus certatim

tatim pendebant. Celerrimè indè Pharia, àc Melena tranſmiſſis, Kal. Julii Corcyram deventum eſt. Additæ hìc claſſi Pontificis, Melitenſium, atque Hetruſcorum triremes, quæ paulò antè inſulam attigerant. Tunc Imperator bello, cui jam accingebatur, feliciorem viam paraturus, à diſciplina militum initium duxit. Placuit educi copias, inſtrui tirones, ac veteranorum ingenia pluribus experimentis ad priſtinum inſtitutum revocari. Ubi verò ita officia ducum diſpoſuit, ut partitus eſſet ex æquo laborem: ſumpta in ultionem Cretenſis belli, ac tot indè injuriarum arma, diſſeruit. Si Venetos ſe viros in poſterum præſtitiſſent, nobiliſſima Græciæ littora victrici claſſe brevì peragraturos. Incorruptam fidem, ac prompta miniſteria cunctis offerentibus, de ordine agendorum inceſſit cogitatio. Nec parùm profuit cognoviſſe motus Turcarum, ut tutiùs in improvidos bellum dirigeretur. Itaq; per idem tempus, qui certiora de conſiliis hoſtium referrent, adfuerunt: acceptumque ab iis Præfectum hoſtium claſſis Cretam quadraginta cum triremibus contendiſse. Nihil apud barbaros magis invaluiſse, quàm Venetos ſpe repetendæ Inſulæ in armorum ſtudia deductos. Igitur, ut augerentur locorum preſidia, congereretur annona, & quodcunque bellorum occaſio exigit præſto eſset, imperatum; ne immunitæ Regni urbes deprehenderentur. Aliquot prætereà naves ab Helle-

1684

Socios Navales excipit.

Militum ingenia acuit.

Scrutatur conſilia hoſtium.

1684 Helleſponto nuper emiſsas Chium, Mitylenem, Tenedon, pręcipuaſque Ægęi maris inſulas militum copiis confirmaſse. Quamvis hæc omnia non ſine ingenti Turcarum pavore conficerentur, Alexandro Molino, ac Hieronymo Delphino navium Præfectis Pelagum percurrentibus. Cæterùm ipſo ſpatio gliſcere famam recenter inſtructę claſſis; &, quamvis Venetis modicæ vires eſsent, majora credi de abſentibus. Intellexit Maurocenus, diſtractis viribus hoſtium, animiſq; ſubito imminentis belli pavore perculſis, patere ſibi aditum ad facinus aliquod antè patrandum, quàm cęptum à ſe bellum Turcæ dignoſcerent. Igitur, dùm copias æſtimat, & tentanda ſcrutatur, in ingentis victorię ſpem inopinatò deducitur. Quippè cùm paucos ante dies Hieronymus Cornelius D. Marci Eques, claſſiſque Præfectus, Leucadem tenui præſidio cuſtoditam, à transfugis Turcarum accepiſset, eò, primam manum bello impoſiturus cum iis, quibus præerat, roſtratis navibus trajecerat. Verùm contemplatus validam arcis ſtructuram, ubi ingentem quoque barbarorum multitudinem prælio paratam in loci cuſtodiam aſservari deprehendit, ne primis auſibus, ex quibus futurarum rerum auſpicia captari ſolent, triſtiores eventus ſuccederent, retroactis navigiis, Corcyram denuò reverſus. Cognito Cornelii conatu, arduam Leucadis oppugnationem, cùm ob præſidii vires, tùm

Alexãder Molinus, & Hieronymus Delphinus in Ægęo.

Hieronymus Cornelius Leucadem oppugnare ſtatuit.

Sed, viribus hoſtiũ cognitis, recedit.

tùm ob majora munimenta, quę ob ſuſpicionem 1684
eò inclinantis belli properè extrui conſtabat, reliquorum ſententia ferebat. Memorabant prętereà incolæ, Piratas eò loci crebrò confluentes, nuſquam occaſioni defuturos, ut mutua ope ſocios adjuvarent. Sed has difficultates vicere conſilia Imperatoris. Hic namque, jam expertus ſatius multò non indicari Turcis bellum, quàm omitti motum, incolas veluti inexpugnabiles in poſterum pervicaciores futuros animadvertens, quoquo modo moliri oppugnationem conſtituit. Itaque in propiorem ſpem erectis militum animis, & claſſe haud cunctanter inſtructa, Leucadem contendit.

Nihilominus Maurocenus arcem oppugnatum ire pergit.

Inter Cephaleniam, Epirumque, non longè ab Ambracio ſinu, multiformis magnitudinis inſulę jacent, duorum navalium certaminum monumentis inſignes; quorum primum ab Auguſto Cæſare adverſus M. Antonium, & Cleopatram, alterum anno ſalutis 1571. à Chriſtianorum claſſe adverſus Thraces, vigente bello Cyprio, geſtum eſt. Inſularum aliæ accolarum opera, alluvione maris aliæ effictæ ſunt; ac veluti terminos Naupactæi ſinus, Joniique pelagi conſtituunt. Præſtat cæteris magnitudine Leucadia, quæ Neritis à veteribus nuncupabatur: juxta quam Leucas ſita eſt, crebris rupibus inæqualis, atque ab adjacentibus inſulis tenui utrinque freto diſcreta. Qua parte hæc in tumorem excreſcit, tumulus latè eminet conditorum

Leucadis deſcriptio, & ſitus.

Ff opera

1684 opera productus in arcem; ubi antiquitùs Fanum Apollinis conſtructum fuiſse tradunt. Robuſtus illi mœnium ambitus, ac quinque non exiguæ molis propugnacula; deindè ingentis magnitudinis turres, quas arte comparata munimenta tuentur. Imminent utrinque in extremo Leucadiæ, & continentis latiores vici, qui Leucadi pontibus juguntur. Cæterùm proxima arci vadis ſimillima ſunt, paludibuſque referta: ima loci plana, &, quà Leucadiam ſpectant, interiore receptu permunita. Ubi ergo Maurocenus, latè explicata ad terrorem claſſe, in conſpectum arcis deductus eſt; ii omnes, qui vicos incolebant, vix ora hoſtium ſuſtinuere. Itaque in ultimos metus ſpontè converſi, intra oppidi muros confugiunt. Tunc Veneti non ſtatim procurrunt ad arma; nam priùs indici bellum, ac tentari more legitimo Leucadios placuit; ut vel invitamentum conſequeretur deditio, vel ſaltem, quantum viribus confiderent, deprehendi poſſet. Igitur, *ſi incolumes eſſe vellent, ut migrarent mœnibus*, imperatum. *Sin minùs, igne, ferroque mox Venetos cuncta populaturos. Meritò eam arcem in primam belli ſedem eligi, cujus incolæ icti cum Rep. fœderis immemores, toties Piraticam claſſem commercio, portu, domibus ipſis juviſsent. Adeſse ultionis tempus, & vindicem contemptæ pacis exercitum. Patere conditiones honeſtæ deditionis, & belli; utrum ſatius eſset, illicò amplecterentur*. Sed oppidani partim ira, partim timore pœnarum ad reſiſtendum parati, *incorru-*

Maurocenus, indicto Leucadiis bello, eoſdem ad deditionē vocat.

ptum

ptum jus pacis penes ſe fuiſse, reſpondent. *Si per* 1684
hæc commenta abrumpere fœdus placeret, rem armis peragendam. Se pro Imperio, patria, ac liberis uſque ad extremum ſpiritum dimicaturos. Quamobrem, ubi de deditione non convenit, ad arma milites diſcurrere. Hæc initia belli, cujus novitas totius orbis expectationem erexerat: mirum enim videbatur, quòd Venetorum Reſp. validiſſimum hoſtem, & vix anteà à quoquam laceſſitum modicis viribus ad arma provocaſſet. At felicitas ſecundum jus, faſque melioribus affuit. Quippè omni ſpe celeriùs victoriarum iter prima omnium Leucas aperuit. Hanc comitata Nicopolis, ac deindè materia tot triumphorum Peloponneſus: &, quæ anteà tantorum bellorum ſemina aluerat, clara ſedibus Regum, nominibus celeberrimarum urbium, atque ingentium exercituum excidio, nunc trium annorum curriculo ita debellata eſt, ut vix virtuti unius Ducis ſuffecerit.

At Turcæ prælio parati rē armis agendam reſpondent.

Maurocenus utrinque Leucadē oppugnat.

Igitur Maurocenus, effuſo in littus milite, continuò aciem ab Comite Nicolao Straſoldo, quà continens eſt, quà verò Leucadiæ littora porriguntur, ab Comite Franciſco Sylvatico primo ordinum ductore, inſtrui jubet. Octo millibus & ducentis peditibus, equitibus fermè tercentis, & quinquaginta exercitus conſtabat; perque proximas oras, tanta Ducum ſolertia diſpoſitus eſt, ut loci ambitum oppugnantium corona circumdaret. Acceſſere Cephalenium præ-

1684 ſidia (mille, & quingenti erant) qui ſpontè in commilitium adventarant ; ob commoditatem enim navigationis, permagni eorum intererat, ut Leucas caperetur. Tormentarii deindè ſuggeſtus licèt defigi limoſa humo haud poſſe viderentur, haud priùs à labore ceſſatum, quàm ſuper ultima Leucadiæ, continentiſque littora duo exiguæ magnitudinis aggeres aſſurgerent. Huic obſidionis generi addita claſſis, cujus ictibus, quà Jonio mari oppidum perfunditur, mœnia jugiter infeſtabantur. Demùm, ollarum incendiariarum jactu, omnia atrocioris certaminis faciem induerunt. Sed adverſus hæc omnia paria barbaris vota. Magna viribus, haud modica animis, ſubſidiis verò, quæ in dies opperiebantur, maxima ſpes inerat. Indè non miles modò, iique, quibus ſatis efficax incitamentum ad bellum, ſervandarum opum ſolicitudo, ſed colonorum turba, omneſque, quos ad Venetorum adventantium famam, miſſis paſſim nuntiis, à finitimis locis principes arcis convocaverant, propugnantium munera alacriter ſubibant. Primi motus eò contenderunt, ut machinamenta Chriſtianorum adverſis operibus eluderent. Et quamvis non auſi de eruptione cogitare, abſciſſis tamen pontibus, ac mox omni tormentorum genere inſtructis muris, perrumpere objectos aggeres, illatamque ſibi perniciem ſumma vi depellere conabantur. Interim diebus, noctibuſque nova aliqua moles,

At barbari ſtrenuè reſiſtunt.

nova

nova molimina ex inſperato prodibant: utque 1684 ſpem hoſtibus demerent, tanquam in ſumma rerum affluentia, miſſilia cujuſcunque generis, & maximè ignem, ferrumq; tam prodigè à muris jaculabantur, ut aliquot noſtrorum, licèt multiplici vinearum nexu contecti, ceciderint. At Maurocenus non tàm de quatiendis muris, quàm de intercipiendis ſubſidiis cautè ſolicitus, quà mare ſe ſe in inſularum latera inſinuat, idoneas naves locavit, ut ſuppetiæ utrinque prohiberentur. Ita ſublato continentis commercio, expeditiori navigio exceptus, quotidiè opera ſuorum inviſebat; addens ducibus ſtimulos, ut antè facinus patraretur, quàm nova certaminum occaſio à properantibus in obſeſſorum opem occurreret.

Maurocéni ſolertia;

Jamque terra ſimul & mari fervebat obſidio; productis aggeribus, ad labrum foſsæ perventum erat; ſuffodiendiſque murorum fundamentis ingens epibatarum multitudo vacabat: cùm ab exploratoribus nunciatur, lectam ab iis, qui Ambraciam incolebant, octingentorum peditum, quingentorum verò equitum cohortem apud Nicopolim congeſtam, mox Leucadiis auxilio venturam. Gnarus Imperator verti in eo victoriæ ſummam, ſtatuit acceſſum his ſubſidiis auferre; ne quos obſidionis pertinacia paulùm dejecerat, fiducia opis rursùs erigeret. Itaque levis armaturæ manum à peritis viarum ductam adverſus Thraces illicò immittit: Exindè intendi

qui ſubſidia hoſtiū intercipit.

1684 di ſuorum molimina præcipit, ne oppidani diruta mœnium reficere poſsent. Hæc ubi paulùm proceſsere, cùm utrinque diductus ruina murus latè corrueret, orta fiducia aperto impetu arcis expugnandæ. Igitur non ultrà ſupremum prelium dilatum eſt.

Aggreſſioni ſe Veneti accingũt.

Nam Mauroceнus ad ultimos nixus hortatus ſuos, promptiſſimum quemque nocte inſtruit, ut ſummo mane oppidum adoriantur. Verùm Leucadii, qui hactenùs egregiè vim repulerant, nunc, veluti emiſſo aculeo, adeò obtorpuere, ut conſilia Venetorum propera deditione antevenirent. Maximum iis pavoris incitamentum, quòd præcluſe undique viæ eſſent, undè ſubſidiarius miles accederet. Indè Prefectus ipſe arcis aut extremas clades, aut ſervitutem imminere ſibi, ſuiſque ſentiens, mentem à belli ſtudiis ad ſubitam deditionem convertit.

Leucadii de dedenda arce cogitant.

Id ubi per caduceatores cognitum, facilè de conditionibus utrinque convenit. Quippè Imperator, ut integras ſuorum vires ſervaret, ſatius duxit liberos oppidanos dimittere, & aliò armorum impetum ante convertere, quàm eduxiſſe ſe exercitum hoſtes cognoſcerent. Itaque ſancitum eſt, ut incolæ ſtatim arma deponerent; permiſſumque, ut quiſque ea, quæ vehere poſſet, ex arce transferret: reliqua eſſent ditionis Venetorum. Dati utrinque obſides, ut tutò preſidium egrederetur. Hoc dimiſſo, acta præda à victoribus. CXXVI. Tormenta inventa ſunt, præter permulta alia inſtru-

Imperator dimiſſis incolis, arcem occupat.

ſtrumenta bellica, quæ colligi à barbàris ſubita profectione non potuerunt. Opum, commeatuumque exigua portio. Nam, cùm penè uſque ad famem obſidium toleraſſent, divitias ſecum aſportaverant. Maurocenus, jam expertus primis ex eventibus ſpem, aut metum gigni, lætus ſecundo armorum exitu, magnitudine, formaque cæteris ſpectabiliorem ædem, impio dicatam priùs cultui, tunc veræ religioni reſtitutam, Salvatoris Dei nomine inſignivit. Ibi grates ſolemniter Superis actæ. Loci deindè naturam contemplatus, quantiq; ipſius poſſeſſio Reip. foret ſimul reputans; refectis primùm muris, mox in cuſtodiam inſulę ſtrenuis Ducibus Laurentio Venerio, ac Philippo Paruta Patritiis Venetis, Ludovicoque Gratiano Scriptoris Patre in armorum Præfecturam conſtitutis, aptè permunitum oppidum Reip. ornamento, utilitatique ſervavit. 1684

Muros reficit; præſidiũque imponit.

Dùm hæc aguntur, non modò Leucadii, ſed qui finitimi ex Epiro, & præcipuè ex Acarnania erant, populi, in Venetam ditionem ſuſcepti. Hique inſuper, ne armis infeſtarentur, ſpontè ſe fide, ac vectigalibus obſtrinxere. Non ideò tamen tuta penitùs regio; cùm ex propinquis locis redacti in unum Thraces, ac veluti conflato exercitu, acquiſitas à Fidelibus terras aſſiduis excurſibus perturbarent. Id cùm Mauroceni animum incitaſſet, OEniadas profectus, (locus eſt haud longè ab oſtio Acheloi fluminis, quod Acar-

Acarnanes in Venetorum ditionem trãſeunt.

Sed Turca occupatã regionẽ crebris ĩcurſionibus turbant.

1684 Acarnaniam ab Ætolia dirimit) expoſitam levis armaturæ manum in hoſtem ducere ſtatuit. Sed quia barbari populationibus tantùm intenti, paſſim per agros vagabantur; traditis Præfecto copiarum Straſoldo militibus, eoſdem ſibi vinci juſſit abſenti. Igitur Straſoldus, mira velocitate occupatis compendiis viarum, ubi Thraces veluti indagine clauſos aſſecutus eſt, optimo ordine manipulos ad ripam fluminis explicuit. Tunc miles quidam conſpecto haud procul hoſtium agmine, pręclarum facinus auſus, fluvio ſe credidit; nandoque in alteram ripam tranſgreſſus. Continuò, enſe diſtricto, unum ex Turcarum exercitu, quem inceſſu, & cultu armorum pręcipuum adnotaverat (hic copiarum Ducis frater erat) aggreſſus, multis ictibus eundem confecit. Exin, amputato in conſpectu hoſtilis aciei interfecti capite, denuò in adverſum littus, ingenti noſtrorum plauſu, incolumis tranſnatavit. Præfectus, captato omine, ubi propiùs Thraces advenit, edito pugnæ ſigno, duplici ex parte in barbaros invectus eſt. Concurſum utrinque magno impetu, ſed imparibus poſteà animis. Nam, ubi Turcę ſtrictiùs venere ad manus, vix paucorum cædem ſuſtinuerunt. Hinc ſemiermes, palanteſque partim trucidati ſunt, partim, arrepta fuga, uſque ad Naupacti oppidum compulſi. Tunc ad Halyzeam, Antigoniam, & proxima iis oppida, cum ſuis Straſoldus proceſſit. Neque locorum cuſtodes copiam cer-

Maurocenus miſit in eos Straſoldū cum parte copiarum.

Militis cujuſdā facinus.

Straſoldus Turcas in fugam agit.

certaminis fecere, ad rumorem adventantis diſfugientes: indè, quantum Naupactum, Acheloumq; amnes inter, vaſtatum. Ita potior Acarnaniæ pars in Venetorum prædam conceſſit; atque unà prope Leucadem conſitę Echinades (exiguæ inſulæ ſunt, ad oſtium Acheloi, ex arena, limoque impulſu maris eo loci congeſto, effictę) quęque omnes Leucadiam circumſtant, dominium Reip. ſubierunt. 1684

Totam regionem pervaſtat.

Eodem tempore, quo Turcæ Acarnaniæ finibus pellebantur, expugnatæ Leucadis nuntii Venetias pervenere. Tunc gaudio perfuſus Senatus Franciſco victori plauſit, donatiſq; multiplici præmio nuntiis, ac dictis Immortali Deo laudibus, in majorum ſpem erectus eſt. Continuò gaudium in cæteros dimanavit. Et cùm uſque in illum diem anceps exitus belli animos dubia ſpe detinuiſſet, ſubitus partæ victoriæ rumor tam altè ſingulos commovit, ut fatale Turcis Mauroceni nomen eſſe, cunctaq; in poſterum hoſtibus adverſa una voce pręnunciarent. Nec tamen in communi plauſu una cuique exultationis ratio. Quippè ſicuti quidam proſpero belli initio, inflicta hoſtibus cæde, feraciſque regionis poſſeſſione lætabantur, ita à plurimis commodius navibus iter redditum, ereptus Piratis portus, tutumque inter Corcyram, ac Cephaleniam commercium geſtæ rei præconia evocabant. At Maurocenus ex præſenti proventu occaſionem novorum conatuum

Lætitia Venetorũ ad nuntios capta Leucadis.

Maurocenus captã regionem præſidio firmat.

1684 quærens, cùm ad tutanda, quæ ſubegerat, loca prçſidiarias cohortes collocaſſet; antequàm bellandi opportunitatem hyems penitùs auferret, proſternere latiùs vires, animoſque hoſtium inſtitit. Quapropter Naupactæum Sinum emenſus, ut eò, ſimulato motu, agmina Turcarum derivaret, demùm Nicopolim oppugnaturus, cuncta ad obſidium raptim inſtrui curat. Verùm, quia à transfugis acceptum fuerat, validum in arce prçſidium, promptum manu, & conſilio Præfectum, cæteraque ad bellum apprimè proviſa, conſtituit honeſta fraude victoriam referre. Igitur arcem, qua parte Ambracio ſinui imminet, tentare decernens, delectas ex omni exercitu militum copias aliquot parvis navigiis imponi, ac noctis ope in ſinum, inſciis hoſtibus, deduci jubet.

Hinc Nicopolim oppugnatum ire pergit.

Nicopolis deſcriptio.

Eminet in faucibus ſinus Ambracii Actium promontorium; cujus in exceſſu Nicopolis, arx vetuſtate nominis clara protenditur. Hanc Octavius Cæſar Auguſtus in Actiacæ victoriæ monumentum, trophæi inſtar condidit: ibique inſtituiſſe Quinquennales ludos, ampliatoque Apollinis templo, locum caſtrorum navalibus ſpolis exornatum Neptuno, ac Marti conſecraſſe, dicitur. Urbem ſatis amplam olim fuiſse, abundè conſtat: Nunc temporum injuria, arx tantùm cernitur, quæ forſitam, ubi Nicopolis fuerit, ſolummodò oſtendit. At quia ſitus ingenio ars quoque recenter acceſſit, multiplici

adeò

adeò munimentorum vi locus hodie pollet, ut 1684
difficillimè terra, marique obſideri queat. Summum illi ex pelago robur. Ea enim potiſſimùm parte aquas reſpicit, qua ſe Jonium mare in Ambracium ſinum inſinuat. Indè, cùm Epiri littora ſatis producta anguſtius ibidem fretum efforment, ſicuti facillimè muniri utrinque ſubſidiis, ita ob ingentem ambitum vix magno cum diſcrimine tentari ab oppugnantibus poteſt. Maritimis viribus terreſtris ſtructura reſpondet. Edita hinc quoque mœnium, ac propugnaculorum moles. Tanta deindè aggerum congeries, ut non modò ſubjectos vicos, ſed apertam latè planitiem incolæ haud difficilè tueantur. Sed Imperator, qui cum præmiſſis cohortibus ita convenerat, ut tamdiù in interiori ſinu latitarent, dùm occupandi ſine diſcrimine littoris tempus adeſſet, conficiendi promptiùs doli gratia, aliud iter exorſus eſt. Adfuit ergo prima luce non exigua liburnicarum manu ſuffultus contra oppidum: Cùmq; intentum ſe exponendis militibus compoſito ad fraudem motu proderet, incitati Thraces, tùm quia plurimùm multitudini ſuorum fidebant, tùm quia impares occupando littori Veneti videbantur, ſtipatis manipulis ocyùs dilabuntur ad littora. Ut verò magis eò concurrerent, ſimulacrum pugnæ edidit: ſpecieque ſuccumbentis univerſum arcis præſidium, victorię dulcedine pellectum, ad extremas oras evocavit. Dùm hoc ſimulato

Imperator ſimulato certamine evocat oppidanos.

1684 certamine incolæ detinentur, qui prætergreſſa noćte in ſinum evaſerant, ad oram Nicopolis interiorem accedentes, univerſam planitiem explicando exercitui peropportunam, obſtante nemine, inſederunt. Nondùm, occulta adhuc fraude, Thraces reliquerant littoris cuſtodiam, cùm Veneti jam occupatum à ſociis locum rati, ſubduxere navigia. Sed quæ inter barbaros, ut ſe noſtrorum ſtratagemmate captos cognoverunt, conſternatio? Jam priſtini furoris obliti non modò committere ſe prælio, ſe ne tutandę quidem arcis diſcrimini audebant. Multi ſigna deſerere, fundi per agros, portas adire; &, dummodò vitam in tuto reponerent, ita latebras quęrere, ut revocantium ducum vocibus vix dimidium copiarum paruerit. Igitur, qui remanſerant, aſſidua hortatione permoti, rursùs in aciem redeunt, colligunt animos, armaq; in Venetos (pudebat enim immanem populum occupati nullo diſcrimine littoris poſſeſſionem penes hoſtes eſſe) ferociter dirigunt. Tunc, collatis utrinque ſignis, in aciem miles deſcendit: ſtetitque diù pugnæ judicium anceps. Nihilominùs priùs Thracum, quàm noſtrorum animi, vireſque defecerunt: Et quamvis illi nondùm fugerent, apparebat tamen, neceſſitate magis, quàm virtute reſiſtere. Ceſſit demùm conatus in victoriam Venetorum; qui, cùm littora, vicum, imminentemque arci collem crebris manipulis obſediſſent, verti retrò ampliùs haud potuere.

Intereà Veneti littus adverſum occupant.

Turcarũ pavor.

Dein deſcendunt in pugnã.

Ita-

Itaque pulſi Thraces; nec antè temperatum à 1684
cæde, quàm, qui evaſerant, ſe caſtello clauderent.

Maurocenus arcē oppugnat.

Domita hoc eventu oppidanorum ferocia, ſalutis, ac bonorum ſervandorum ſpe eos ad deditionem vocat Maurocenus; detrectanteſque omni machinamentorum genere invadit. Jamque quatuor dierum ſpatio nunquam intermiſſis ictibus mœnia quatiebantur, cùm tanto ſtudio, ſecundiſque initiis cœptum opus, haud reſpondere voto videbatur. Quippè muri pervetuſta, ſed validiſſima mole ſuffulti, ferrearum glandium impetum eludebant. Nihilominùs, cùm ingeminarentur tormenta, & ductis in varios flexus foſſis, obſeſſores ſe propiùs arcem inſinuarent, minùs fortè horum oculis arcis detrimenta patebant. Cuncta enim interiùs ollis incendiariis devaſtabantur, quamvis mœnia reſiſterent. Ad hæc Imperator jam foſſa potitus, lectam ſuorum manum nocte dimiſit ad muros; atque, ubi protegendis militibus raptim tumuli extructi ſunt, edixit, parandis cuniculis operam navarent. Veruntamen, dùm hi ſuffodiunt mœnia, egerenteſque humum multiplici ex parte caveas effingunt; laſſatis Turcarum animis petendæ libertatis ſolicitudinem belli terror injecit. Itaque ſummo mane caduceatores Maurocenum adeunt, Nicopolim dedentes, dummodò incolis parceretur. Inſtabat hyems, deque paucorum libertate agebatur. Ne igitur inu-

Interiora loci bolidibus disjicit.

Turcæ dedendæ arcis conſiliū amplectūtur.

1684 inutili, & periculoſa cunctatione exercitus vires tererentur, conceſsa oppidanis incolumitate, ſancitum, ut triginta tantùm eorum cum armis, reliqui omnes præter Chriſtianos captivos egrederentur inermes. His mutuò conſenſu conſtitutis, altera à pactæ deditionis die, relicta arce, Ambraciam, uti convenerant, Turcæ trajecere. Dives bonorum præda fuit, quæ inter pacis ocia, & prædandi licentiam jamdiù barbari cumulaverant. Tormenta muralia XLIV. reperta. Quatuor annonariæ naves quoque in claſſis commodum tranſierunt.

Novæ præliorũ occaſio, ob Turcas per finitima loca concurſãtes.

Oppugnatione Nicopolis proſperè ad exitum perducta, ubi Franciſcus inſtauravit arcis munitiones, cùm adeſsent Kal. Octobris, navales ſocios ad hyberna dimiſit. Tunc Venetas quoque cohortes in ſtationes deduxiſset, ni crebræ concurſiones barbarorum majorem diſcriminum molem obtuliſsent. Etſi enim Thraces, qui eas Epiri oras incolebant, ſubito belli rumore perterrefacti, actum de regionis libertate animadverterent; nihilominùs variis populationibus, iiſque ob pernicitatem inultis occupata à Venetis aſſiduè perturbabant. Non diſtulit Franciſcus infringendæ audaciæ remedia. Sed priùs cuſtodię Nicopolis egregiis ex Patritiorum ordine viris, Nicolao Leonio, Petroque Zagurio, armorum verò Præfecturæ Petro Gabrielio centurioni deſtinatis, accingi ſuos prælio, imperat. Primùm ergo Anactorium, oppidum

Evertitur Anactorium.

in

1684

in Acarnaniæ finibus, proficiſcitur, &, quia ejuſdem cuſtodes paulò antè trepidi deceſserant, vaſtatum eſt, ac funditùs exciſum. Indè ſexcentis armatis in triremes conjectis, inceſſit cupido adeundi, viſendique Ambracium ſinum, ita ab Ambracia urbe Ambracis Regis juſsu condita (hæc olim Pyrrhi regia) dictum; quo nihil in tota regione clarius extat. Veruntamen, prodito ab accolis loco, quem ſæpè tranſmittere prædones aſsueverant, educta ſtatim cohors: cùmque crebri hinc indè tumuli itineri imminentes, in ingenſque ſpatium effuſæ arbores ad inſidias ſurrexiſse viderentur, diſpoſitis per intervalla ordinibus, miles delituit. Vix clàm Veneti aciem compoſuerant, cùm repentè venientium clamor, & arma ad propius certamen eos advocarunt. Igitur egreſſi opportunè è ſaltubus, inque prætereuntium turmas audacter invecti, incautos valido impetu aggrediuntur, ultràque nitentes ferro, atque igne proturbant. Turcę nihil tale opinantes, confertis primùm, mox turbatis equis, in diverſa aguntur. Nec primum concurſum ſuſtinuiſsent, ni, nullo circa ad evadendum relicto ſpatio, à fronte, ac lateribus partim Veneti, partim crebrę arbores iter clauſiſsent. Itaque, ut quiſque à noſtris impellebatur, variè certabat, multique, confoſſis equis, graviori diſcrimini ſubjiciebantur. Impar nihilominùs pugna erat, cùm velocitate, ac robore equitatus Venetos hoſtis ſuperaret. Diù complicatis

Pugna cum Turcis, eaque ambigua.

1684 catis corporibus ob arctam ſemitam ambiguè dimicatum. Utrinque in ſitu neceſſitas, ſpes ex virtute, incolumitas ex victoria. Tandem barbari, quorum permulti ceciderant, vel alias inſidias reformidantes, vel ob auditam extremæ cohortis fugam prorsùs dejecti, terga dantes, in præceps verſi ſunt. Tunc ad cædem victores latè diſcurrerunt. At, cùm eadem pernicitate Veneti pedites aſsequi dilabentem equitatum minimè poſsent, collectis fugentium ſpoliis, CCCL. Turcarum clade certamen penitùs abſolverunt. E noſtrorum numero vix quadraginta milites interfecti.

Turcę demùm diffugiunt.

Non ideò tamen diuturna finibus Acarnanię quies fuit, nunquam remiſſis vexationum, ac rapinarum motibus. Quippè non impunè futurum rati Thraces, quòd Maurocenus Leucade, ac Nicopoli potitus fuiſset; aſſiduis terroribus finitimarum gentium animos detinebant, ut, ſi ad recuperanda oppida, quemadmodùm ſpes invaluerat, Præfectus terreſtris exercitus conveniſset, faciliori negotio à Venetis deficerent Acarnanes. Sed Franciſcus, intelligens prædonum pertinaciam nonniſi ingenti conatu perfringi poſse, cùm jam hyems imbribus fęda deſæviret, deducere in hyberna exercitum conſtituit, opportuniori motu hoſtem mulctaturus. Acceſſit morborum omne genus, quod facilè animos avertebat à belli conſiliis. Etenim intoleranda adeò peſtis vis multorum corpora invaſit,

Inquieta nihilominùs Acarnania.

Peſtis exercitum inficit.

ſit, ut temporis, ac regionis vitio primùm milites morerentur; contactus deindè infectorum morbos latè vulgaret. Hanc calamitatem auxit Comitis Nicolai Straſoldi copiarum Præfecti ęgritudo; qua demùm victus, præmaturo fato conceſſit. Id non ſine magno exercitus mȩrore latum eſt; cùm vir eſſet belli, omniumque militarium artium peritiſſimus, paremque gloriæ animum gereret. Eodem fato abſumptus Comes Franciſcus Sylvaticus Equitum Dux, Patavina nobilitate conſpicuus; qui paſſim, ſed prȩſertim in Cretenſi bello præclara fortitudinis ſpecimina ediderat. Suffectus in ejuſdem locum Comes Aloyſius Benedictus filius; qui veſtigia parentis inſiſtens, toto Peloponneſiaci belli curſu, egregiam virtutem animi fortibus geſtis comprobavit. Ne igitur majori clade copiæ in dies exhaurirentur, munitis apprimè oppidis, plurimiſque Acarnanum, ne infeſtarentur à barbaris, in Leucadiam inſulam tranſmiſſis, reliquam claſſem Corcyram ad hyemandum perduxit. Eodem anno, diſcedente Alexandro Contareno D. Marci Procuratore, qui Legatione fungebatur, Petrum Maurocenum Nepotem ſuum, quamvis juvenili ætate, opere, & conſilio veteranorum ſtudia æquantem eadem dignitate decoravit. Dùm hæc à Mauroceno aguntur, cùm Thraces diù victoriis florentes ab ſuo tandem axe fortuna videretur excuſsiſſe, ingens Byzantii terror animos primorum occupaverat.

1684

Comitis Nicolai Straſoldi mors,

& Franciſci Sylvatici.

Populi motus ingens in Regia Turcarũ.

Hh Ne-

1684 Neque ullum ſatis validum imperium erat coercendis motibus populi, detrimenta bellorum, avaritiam Principis, Præſidumque oppidorum ignaviam incuſantis. Idcircò Mahometes Rex, ut declinaret iram plebis, atque unà ſtudia privatorum promptiùs eliceret, magnum argenti ſignati pondus obtulit, quo ſtipendia exſolverentur. Secutus exemplum Sigilli Regii Cuſtos Hybraimus: cęteri, ut cuique opes ſuppetebant, tributis majoribus obſtricti. Sed, ne altiores radices conceptus pavor in animis ageret, cùm Leucadis Præfectus, cujus vecordiæ oppidi jactura imputabatur, inter carnifices exſpiraſſet: ex Regis edicto, novis Ducum, militumque delectibus, atque omni armorum apparatu ingruenti bello proviſum. Præterea, cùm non exigua navium manus, cui Alexander Molinus, Hieronymuſque Delphinus, ut ſuperiùs memoratum, præerant, commercium adeò intercepiſſet, ut caput ipſum Imperii rerum penè omnium inopia laboraret: ad augendam quoque claſſem ſtudia converſa ſunt. XXVI. triremes, ac X. naves de novo conſtructæ: miſſi ex primoribus aliquot ad conducenda ex Africa navigia, Pirataſque in ſubſidium convocandos. Hæc, cùm Rex languentem militiam novis ſtimulis excitaturus raptim in unum redegiſſet; Claſsis univerſę Pręfectura Hoſmano, ingentis expectationis Duci, demandata. Par tempori animus hujus eſt viſus. Quippè inter cæteras, quas ſibi de-

Qui, paululùm victa avaritia, à Rege ſedatur.

Molini, ac Delphini facinora.

deſignaverat, victorias, altior primò repetendę Leucadis cupido inerat; mòx detinendorum in fide Græcorum, ne aſſueto gentis crimine fides labefactaretur. 1684

Apparatus Reip. ad bellū.

Tanto rerum bellicarum proviſui haud imparem terreſtrium, & maritimarum copiarum molem objiciebat Reſpub.. Quippè læti ob proſperè geſtum bellum Patres, adeſſe tempus non ignorabant, quo, cœlo auſpice, ultimus terroris cumulus Turcis adderetur. *Igitur non laboris, non ſumptus magnitudine retardandum inceptum: congerendas opes, augendum exercitum, & ſupplementum cum ſtipendio, & commeatu quamprimùm in Græciam mittendum.* Hæc nunſquam dilata. Nam, habitis paſſim delectibus, convocato ab externis nationibus milite, inſtructiſque navibus, edictum, ut omnia celerrimè Imperatori tranſportarentur. Optimum quoque Patribus viſum, inſignes aliquot bellicæ rei peritia viros è Patritiorum ordine eligere, qui præcipuis armorum muneribus, prout occaſio poſtulaſset, à Mauroceno præficerentur. Hi Marinus Gritius, Andreas Navagerius, Georgius Benzonius, Laurentiuſque Venerius fuere. Qui vigilantia, conſilio, & fide inter præſtantiſſimos eminebant. Comite deindè Claudio S. Pauli, longo militiæ uſu in Germania, aliiſque regionibus probato, in Præfecturam copiarum ſuffecto, cùm de ineuntis anni profectu ageretur, Senatus Conſulto decretum, ut ex Imperatoris conſilio ea tenta-

Co. Claudius S. Pauli copiarū Præfectus eligitur:

Hh 2

1684 tarentur, quæ belli opportunitas, utilitaſq; Reip. poſtulàrent.

Peſtilentię ſęvitia exercitū Venetorum adhuc turbat.

1685 Verùm fędi anni principium inceſsit. Ulteriùs enim peſtilentia militem depopulabatur; neque ulla ex cohortibus intacta à morbi ſeminibus evadebat. Diù lues hæc crebris funeribus deformis, cuncta luctu, & mœrore complevit. Multæ ex navibus remigum, nautarum, militumque præſidiis penè exhauſtæ ſunt; quæ reſtitutæ, veluti novâ graſſandi materiâ malignitati aeris præbita, ſæviùs devaſtabantur. Tandem, ubi morborum vis ceſsit, reparataque damna cohortium parem prœliorum incommodis exercitum reddiderunt, illud in primis Franciſco curæ fuit, ut navales copiæ, quas hyeme congeſſerant barbari, procul detinerentur. Huic

Delphinus mittitur in Ægęi cuſtodiam. Dein Molinus.

dilectus muneri Hieronymus Delphinus, Navium Præfectus, conſilii prudentiâ quammaximè pollens, nec multò poſt Alexander Molinus; qui, junctis ſuperiore anno viribus, multa in Turcarum exitium ſtrenuè perpetraverant. Prȩoccupato ita hoſtium conſilio, antequàm expectata auxilia convenirent, Leucadem, Nico-

Maurocenus Leucadem advectus mulctat prȩlio eos, qui Acarnaniā turbabāt.

polimque inviſurus, Kal. Maii ſolvi ab Corcyrâ imperavit. At vix Leucadem advectus, loci munimenta explorabat; cùm propinquantium barbarorum turbo animum ejuſdem ad inopinatum certamen convertit. Nam, cùm Thraces nuſquam à concurſionibus in Acarnaniâ temperaſsent; audacioribus demùm erecti con-

conſiliis, colonos terrore, ac cędibus, vicos rapinis, incendiiſque vexabant. Quamobrem à belli ſemine regionem vindicaturus, lectam cohortem per obliqua viarum ducit, jubetq; militem in propinquis lucis latere, ut ingreſsis ſylvam hoſtibus à tergo foret. Et quidem perutili fraude: nam Turcæ incauti advenerunt, &, quamvis propinquo hoſte, ultrà inſidiarum neſcii proceſſere; conſpectus enim armorum crebris arbuſtorum cumulis prohibebatur. Ubi ergo in procurrentes barbaros primorum ordinum centuriones invaſerunt, impar illis animorum ardor, ob ſubitæ rei faciem, fuit. Nihilominùs aliorum acceſsu conglobati, paulò poſt dedere impetum in ſylvam. Primo ex concurſu magna cędes. At diù pugnatum non eſt incerto eventu: nam Thraces prædonum more certare aſsueti, ubi inſtare ſentiunt acriùs Venetos, fundi ſuorum ordines, multoſque proſterni; equos præcipitem in fugam convertunt. Pulſis hoſtibus, diligentiùs curatæ arcium excubiæ, aucta præſidia, noviſque munitionibus fines confirmati; ne, dùm aliis motibus detinebatur exercitus, imparatos Turcæ aggrederentur. 1685

Ambroſius Bembus cum aliquot navibus advenit;

Vix ab hujuſmodi curis collegerat animum Maurocenus, cùm XIII. navigia ab Italia adventantia, quæ ſtrenuus Dux Ambroſius Bembus, Pat. Venetus, Adriaticique ſinus cuſtodiæ præpoſitus, ducebat, excepit. His præter delectos ex provinciis Venetorum milites, omnemque

1685 que apparatus bellici copiam, bis mille, & quingenti pedites vehebantur, quibus Maximilianus Vulielmus Brunſuvicenſis Princeps, optimè de Repub. meritus, præerat. Studio quoque militaris gloriæ, ac Mauroceni fama excitus Philippus Sabaudiæ Princeps, ingentis expectationis, erectique animi juvenis, ſub idem tempus adfuit. Reliqui ſociorum auctiore copiarum robore convenerunt. In iiſque flos juventutis, ac notæ fortitudinis duces; quorum nonnulli virtutem Imperantis Cretenſi bello experti, multis in gloriæ ſocietatem advocatis, læti ad ejuſdem exercitum confluxere. Auctus his ſubſidiis exercitus, undecim fermè armatorum millibus conſtabat: Claſſis verò Quinqueremibus V. XXXVII. triremibus, ac XXIV. navibus. Acceſſere his permulta oneraria navigia, ad impedimenta, & commeatus comportandos. Hunc virium apparatum quò verteret, non modica Mauroceni cura fuit. Siquidem modò de Creta inſula, modò de Peloponneſo cogitans, variis utrinque ſtimulis agebatur. Summum hìc emolumentum Reip. futurum, ob ditiſſimam, finitimamque regionem; non impar illic decus, ſi redigi denuò in poteſtatem inſula poſſet, cujus poſſeſſione hoſtes adeò intumuerant. Verùm ſua ubique diſcrimina non deerant. Arduum quippè Cretam invadere, cujus munimenta, præſidiumque tàm ſedulò ab hoſtibus curabantur. Situs præterea procul à fini-

atque unà Maximilianus Vulielmus, Princeps Brunſuvicenſis, & Philippus, Sabaudiæ Princeps.

Imperatoris ſenſus circa tentanda ea tempeſtate.

finibus locus, intuta itinera, urbs demùm qua- 1685
cunque ſui parte per occaſiones opem exceptu-
ra. Neque adeò fidendum viribus videbatur, ut
tantæ molis urbem aggrederetur: nec ulterior
ſpes, ſi primis fortuna conatibus abfuiſset, ut in
unum denuò exercitus, multò barbaris & ma-
gnitudine, & robore inferior redigi poſset. Hęc
de Cretâ ſuccurrebant; cùm altera, ſed utilior
cogitatio de Peloponneſo ſucceſsit. Quamquam
enim amplior regio, plures urbes, promptaque
Turcarum ſubſidia; juncta nihilominùs Veneti
Imperii limitibus tellus, munitioraque loca ma-
gis ab rudi incolarum turba, quàm auctorato-
rum militum ope defenſa. Græcos verò, bar-
barorum jugo excuſso, jucundiorem ſibi liber-
tatem, ac poſseſsionem bonorum libenter vindi-
caturos, ſperabatur. Immò horum aliquot, &
præcipuè, qui Tęnarium incolebant, miſsis nun-
tiis, teſtabantur, ſe eadem erga Venetam Rem-
pub. conſtantiâ non modò Thracum irruptiones,
uti cęperant, perlaturos; verùm etiam ſumptis
armis in ſocietatem laborum mox affuturos. Cę-
terùm, ſi Superi faviſſent inceptis, cùm ad Cre-
tæ Regnum, tùm ad præclara quæque facinora
tutiorem viam parari. Hæc anxia ſolicitudine *Demùm ſtatuit Peloponneſum invadere.*
verſanti Mauroceno in proximam Peloponne-
ſum transferri exercitum placuit. Cùmque ſen-
tentia in militem dimanaſſet, fortiſſimo conſi-
lio ſtatutum fuiſſe omnibus viſum eſt, ut deſti-
nata regio bello, atque armis peteretur. Ani-
mis

1685 mis nobiliſſimæ provinciæ occupandæ ſpe incitatis, notæ fortitudinis Ducibus Nicopolis, Leucadiſque tuendæ munus demandavit; continuòque, favente aura, iter cœptum eſt.

Deſcriptio Pelopon-neſi. Peloponneſus, ita à Pelope Tantali Phrygiæ Regis filio dicta, ampliſſima eſt totius Europæ peninſula. Anguſtiſſimo Iſthmo eidem annectitur; quodque exindè CCCLXIIIM. paſſuum circuitus habet, continuo paſſim, quamvis mutatis per intervalla nominibus, pelago alluitur. Creticum, quà Oriens eſt, eam mare ambit, ex adverſo Jonium: quà verò Septentrionem ſpectat, Corinthiaco, Saronicoque ſinu, quos Iſthmus intercedit, è contra Mediterraneo mari clauditur. Pluribus non exiguæ magnitudinis ſinibus regio ſcatet, inde platani folium dicitur eleganter æmulari. In ea verò tanta urbium, oppidorum, montium, ac fluminum diverſitate luſit natura, ut in illum telluris ambitum retuliſſe omnes formas videatur, quibus ampliſſimæ quæque regiones variantur. Hìc Muſarum ſedes effinxere Poetæ, hìc literarum honor haud commentitiè. Plura tamen temporum injuriâ collapſa ſunt, ut vix ſola nominis gloria ſuperſit. Multi populi, provinciis inter ſe diſtincti olim nobilitate, opibus, & præſertim bellandi arte inſignes Peloponneſum incolunt; quorum præcipui ab Elide, Tænario, Corinthia, Argia, Laconia, Meſſeniaque nomina ſumpſere. Cæterùm dites ibi cùm ob ſoli uber-

ubertatem, tùm mercatorum frequentiam civitates, inter quas Methone: quam propterea primùm obſidione tentare deſignaverat Imperator. Jamque die XXV. Junii ad OEnuſſas inſulas, quæ haud procul ab Acrita Meſſeniæ promontorio jacent, deventum erat, cùm, antequàm in urbis conſpectum claſſis deduceretur, certiora de naturâ, ac munimentis loci qui referrent, mittendos cenſuit. Parata quædam triremium manus erat, qua Comes S. Pauli Methonem ituros præceſſit. Hic, loco naviter inſpecto, cùm difficillimam obſidionem futuram ob magnum urbis ambitum, anguſtum littus, atque importuoſum mare detuliſſet; ad Coronem oppugnandam ſtudia Mauroceni converſa ſunt.

Ad OEnuſſas claſſis pervenit.

Qua parte Peloponneſus Meridiem verſus protenditur, in anguſtiorem telluris tramitem deſinens, Acritam promontorium efformat. Hujus penè in exceſſu, non longè à Pomili fluminis oſtio, ſita eſt Corone; imminetque ſinui cuidam, qui ab Acrita uſque ad Tænarum Laconici agri promontorium pertinet. Meſſeniacum veteres, nunc de nomine urbis, Coronæum ſinum appellant. Antiqua ejuſdem, at valida prorsùs ſtructura, interniſq; receptibus ſcatens. Triangularem fermè figuram habet, firmoque murorum nexu circumducta eſt; quorum ambitum crebræ turres, aptèque permunita propugnacula tuentur. Quà verò reſpicit interiora Peloponneſi, in acutiorem apicem deſinens, non exiguę

Corones ſitus, atq; urbis deſcriptio.

1685 magnitudinis arce pollet; cujus ope, anterioribus munimentis amiſſis, diù obſidentium conatus ſuſtinere incolę queunt. Ibidem robuſta turris extollitur, commoda obſeſſis; cui, ſicuti & męnibus, confragoſæ rupes fundamento ſunt. Sinum ergo Meſſeniacum ingreſſus Franciſcus, ubi, educto milite, inſtructa à copiarum Præfecto acies fuit, ſexcentos ab urbe paſſus caſtra locat. Proceſſum eſt poſtera die in ſuburbium; cùmque, vix oſtentatis copiis, ſeſe incolæ intra muros recepiſſent, omnia diripienda militibus conceſsa. Quibus peractis, foſsam, loricamque contexens, vicos omnes complexus eſt, reſectis dein fontibus, tormentarios ſuggeſtus attolli imperavit. Ut verò accuratiùs procederet obſidium, expertiſſimis ducibus Georgio Benzonio, & Laurentio Venerio, Patritiis Venetis Præfectura caſtrorum demandata. Cœpta exindè triplici ex parte urbis oppugnatio. Quà etenim mare eſt Occidentem verſus, Melitenſium, ac Brunſuvicenſium copiæ littus occupaverant; quà in apicem urbs excreſcit, lectæ Ultramarinorum, Italorumque cohortes aciem componebant: demùm, quà ſuburbium, reliquæ Venetorum turmæ cum auxiliariis affundebantur. Hæc verò eo inter ſe ordine conjuncta, ut continuus ab utroque littore millę paſsuum agger excurreret. Proviſis, quæ ad terreſtres copias pertinebant, velut maritimam quoque oſtentans obſidionem Maurocenus, pelagi cuſtodiam

Veneti haud procul ab urbe caſtra ponunt.

Fidelium copiarum ordo.

diam

diam minimè neglexit, cùm ne ſubſidia ad Coronæos furtim commearent, tùm ut nulla urbis pars intacta ab oppugnatione evaderet. Miſſæ idcircò Etruſcorum, Benedictique Sanuti Adriatici ſinus Præfecti triremes, quæ muros, quà urbs in Orientem verſa eſt, concuterent, & ſimul, ne raptim quis Turcarum egrederetur, prohiberent. Siquidem prope mœnia quatuor liburnicæ erant, intra exiguum admodùm ſinum arte paratum tutæ: indè ſuſpicio, ne Coronæi per incuſtoditum mare ſubſidia à finitimis petitum mitterent. Ipſe, in cuſtodiam adverſi littoris Melitenſibus, Pontificiiſque triremibus locatis, quotidiè circumvectus claſſem, ſuorum ſtationes inviſere, monere duces, ut vigilias nocturnas diligenter ſervarent, terreſtres munitiones circuire, demùm nulli labori, aut periculo parcere, ut & accenderet militem exemplo, & fiducia ſpem potiundæ urbis eidem faceret. Dùm ſedulò ab eo terra, marique res geritur, non fatiſcebant Coronæi, aſſiduè reficere quaſſata murorum intenti: cùmque, incenſis pontibus, congeſta tellure firmaſſent portarum munimenta, ingenti tormentorum apparatu jugiter Chriſtianorum vallum turbare adnitebantur. 1685

Sed in ipſo obſidionis exordio nova Maurocenum tetigit ſolicitudo, non tantùm pertinaciori bello ad extremum Thraces redigendi, verùm etiam vindicandi exercitum ab inſidiis. Non i- *A quibuſdam mulieribus ſtatus urbis deſcribitur.*

1685 gnobilis enim cujuſdam Tænarii hominis uxor tribus cum aliis mulieribus captivis, quibus intentior belli cura inter obſeſſos fecerat fugæ facultatem, demiſſis per noctem à mœnibus ſcalis, auſa cum ſociis clàm in Venetorum ſtationes evadere. *Inviſum Coronæorum jugum effugiſſe*, ſimul referunt, *ad patrias domos, dummodo id pateretur Imperator, rediture. Permulta in urbis, atque arcis munitionibus conſternata; at neutiquàm ideò incolarum animos concuſſos eſſe. Ex tribus millibus, & ducentis Turcarum, quingentis verò Græcis urbis præſidium componi, at pervicaciter adeò ad tuendam patriam omnes paratos, ut nonniſi cum morte libertatis commutandæ conſilium inter eos verſaretur. Immò cuidam vel incautè de quærenda per deditionem libertate locuto, ſtipitem per obſcœna in reliquorum exemplum exegiſſe. Verùm, quòd altiùs animos agebat, expectari in dies à finitimis regionibus ſubſidia, ipſumque Turcarum Præfectum, comperto Venetorum auſu, prælio accingi, ac mox cum ſex millibus armatorum ad ſolvendum obſidium affuturum. Cæterùm non commeatibus tantùm, ſed cujuſvis generis bellicæ rei copia Coronæos affluere, opulentos cives, ditiſſimas merces; verùm firmos adeò animos eſſe, ut nonniſi longævo opere vinci poſſent.*

Indicatur mox adventuros Thraces in auxilium.

His incitatus Maurocenus ad maturandum ſummæ rei diſcrimen, ante omnia muniendo adverſus inopinatos caſus exercitui operam dedit. Et, ne ſuſpectæ in poſterum inſidiæ forent, cædi paſſim arbores juſſit. Pone tergum enim ſylva inſurgebat, oleis adeò referta, ut per eas adventantium Turcarum conſpectus adimeretur.

Obſidium aſperatur.

tur. Omnia, quæ firmanda erant, cùm perfeciſſet, in exitium obſeſſorum animum vertit. Inter reliqua verò machinamenta parandis cuniculis inſudatum, ut, quæ ferreis globis concuti vix poterant, majori ruina ab imo verterentur. Veruntamen pugnabat natura loci pro obſeſſis, cùm vix aditus inter ſaxa aperiri poſſet, quibus murorum fundamenta altè innitebantur. 1685

Intereà duplicem vigilum numerum eſſe, lectiores cohortes utrinque ad cornua locari, aggeres demùm ulteriori mole à tergo obduci placitum. Neq; hæc incaſſum comparata. Enimverò paucos intra dies ingens barbarorum agmen imminentem Venetis collem inſedit. Imperator, cùm jam omnibus, quæ pugnæ neceſſaria erant, proviſum cerneret, ubi circumire hoſtem, ac prælium poſcere animadvertit, eductos manipulos opportunè objectat irruentibus. Cuncta continuò exſonantium armorum tumultur completa: præruptis quaquaversùm ordinibus, impetu magis, ac furore decurrentium, quàm juſto prelio decertari cęptum, nec pauci in ipſo pugnandi limine interfecti. Multùm tamen non ſtetit certaminis judicium anceps. Ubi enim ſuos monuit Franciſcus, ut, relicta prælii fronte, leviter hoſtium latera obirent, & quamplurimos à recto pugnandi ordine diſtraherent, ingens barbaris terror, ac clades injecta. Fraudato ità primo hoſtium conatu, viginti dierum ſpa-

Prælium cum copiis ſubſidiariis barbarorum.

1685 ſpatio modò eminùs tormentis, cominùs modò cum obſeſſis omni armorum genere dimicatum eſt, dùm verò remiſſiora ob exhauſtas illorum vires conſilia videri cœperant, major repentè certaminum moles invaluit. Quippè cùm barbari, collectis ab univerſa Peloponneſo manipulis, ad ferendam opem Coronæis confluxiſſent, vires noſtrorum jam coæquantes, in certamen apertè deſcenderunt. Lecta equitum cohors properè ad ſtationes acceſſit, ita incitatis in curſum equis, tanquam ad certam victoriam properarent. Cùmque ſub idem tempus Comes S. Pauli, acie raptim inſtructa, prodiiſſet è ſeptis, collatis ſignis, magnum primo concurſu fortitudinis ſpecimen utrinque pugnantes edidere. Verùm, ut invicem complicati magis ſunt, tantam dextero Turcarum cornu cædem Venetus miles intulit, ut, profligata illius partis ala, impetuque in reliquam aciem converſo, non fuderit tantùm ordines hoſtium, ſed, quamplurimis trucidatis, reliquos penè uſque ad vallum aſſidua cæde compulerit. Ubi victorum agmen penè uſque ad objectos aggeres inſtitit fugientibus, ſignum receptui datum, ne ultionis ulterioris ſpe deduceretur in inſidias. Igitur difficilius ea parte futurum in dies diſcrimen cognoſcens Imperator, omnem curam firmandis loricis poſt circitorum viam impendit. De novo circumſepta munimenta, producti aggeres, auctus numerus tormentorum: denique pro-

Pugna rurſus innovatur.

Vincentibus Venetis, hoſtes pellũtur intra vallum.

probatæ virtutis militibus prima receptacula cu- 1685
ſtodienda tradidit.

His rerum vicibus adeò ſub Corone bellum incaluerat, ut obſeſſor ipſe intra vallum ſuum obſideretur. Hinc periculi moles, & deſperatio victoriæ animos Venetorum dejecerant. Neque deerant inter Duces, qui, *ſatius eſſe omitti incœptum, quàm exitiabili præliorum experimento exercitum conteri*, ſuaderent. *Addi quotidiè hoſtium caſtris copiarum ſupplementum, obſeſſis pertinaciam. Strepere paſſim finitimas regiones delectibus militum, atque apparatibus armorum. Venetos verò impares creſcenti in dies Turcarum robori mox futuros. Tunc non modò ſolvendum obſidium, ſed extrema neceſſitate compulſis turpi fuga ſalutem quærendam. Intereà, ſi operi adhuc inſtitiſſent, irriſionis materiam barbaris præbituros; hinc munimenta urbis, illinc valida obſeſſorum ſubſidia fruſtrà mirantes. Quapropter, antequàm confirmarentur hoſtes, &, dùm tutò liceret, retrahendas copias. Id ſaltem obtenturos Fideles, ut nondùm extremos nixus experti, antè opus deſererent, quàm palàm fieret, cuinam facinori impares eſſent.* Non ignorabat Imperator jactari hæc à peritioribus, & modum poſci; verùm nunquam magis ſolicitus, quàm ubi de fiducia, aut pavore ſuorum ageretur, inviſens manipulos, *nihil profuturam Thracum multitudinem*, ſubindè diſſerebat, *ubi Veneti ſtrenuè caſtra defendiſſent, atq; ad occaſiones in illorum aggeres impetum feciſſent. Aliàs rem eventu probatam. Fuſas toties modico agmine ingentes Turcarum copias. Igitur ad opportunitatem pugnæ ſervarent vires. Intereà quid præter breves concurſationes,*

Timor Venetorũ ob auctas quotidiè hoſtium vires.

At Mauroceni oratione denuò eriguntur in ſpem.

1685 *nes, & inanes tumultus auſuros barbaros, ubi vallo munita Chriſtianorum acies artem inconditis, conſtantiam trepidantibus, virtutem ignavis objeciſſet? Præterea neque hoſtium exercitum, tumultuario delectu auctum, terrori eſſe debere. Ex tyronibus, captivis, & rudi agreſtium multitudine gregem illum coaluiſſe. Hinc ſpecie ampla, re autem infirma, atque indocta Turcarum agmina, nec ſervatura ordinem præliorum, nec incommoda belli, cælique, & tempeſtatis diù perlatura. Dejectos jam, ob ſuperioris anni clades, animos Præfectorum: invalida ſubſidia, feſſos murorum propugnatores. Cæterùm, ad unius tantùm urbis oppugnationem adductos ſe eſſe, ne crederent. Oppugnaturos enim verè mœnia unius urbis; ſed una in urbe totam fermè Peloponneſum ſubacturos.* Addidere his vim exempla Mauroceni, eadem penè, quę gregarius miles, tolerantis. Hinc adire inſuper manipulos, claſſem, Præfectos: ſtrenuos præconio, pavidos ſpe, ac fiducia incitare; vecordiam magis militum, quàm fortitudinem diſſimulans, ut hi pręmio, illi clementia, & promptiorum ſtudio acuerentur. Ita ſuis in ſpem reſtitutis, nuſquàm urbis oppugnatio intermittebatur. Quippè modò tormentorum conatu, modò cuniculorum vi muri decuſſi corruebant.

Ardor Coronæorum. Sed Coronæi, qui hactenùs defenſione murorum contenti obſidium fortiter ſuſtentaverant, auctum recèns exercitum ſuorum cùm cognoviſsent, audacioribus conſiliis mentes aperuerunt. Præcipuè urbis Præſes, lætus armorum Præfecti adventu, quo cum quinque militum

litum millia adventarant, non deſperavit poſſe ſubito certamine fundi copias obſeſſorum. Igitur magno, elatoque animo Coronæos incitavit ad pugnam: *Quid timerent tàm diuturna, ac ſtrenua propugnatione clari, præſertim cùm validiſſimæ cohortes conveniſſent in ſubſidium? Undique Chriſtianos hinc civibus, illinc recenter adducto exercitu circumventos. Ne effugium quidem, niſi ingentis cladis pretio, inventuros. Nihil minùs reformidare Maurocenum, quàm ne ſuorum caſtra turbarentur ab obſeſſis. Audendum ergo opportunè, quod ille haud crederet Coronæos auſuros; quod difficillimum reputabatur, futurum facillimum: urbemque à tàm infeſta obſidione paucas intra horas evaſuram.* Excepere obſeſſi Præſidis orationem alacres; continuòque curant corpora, capiunt arma, & parantur ad prælium. Provecta dies erat, inſtructaque cohors nutum ducis expectabat, cùm, dato ſigno, ferox è portis erumpit, &, quò latiori terrore hoſtem aggrediatur, bipertito agmine in Venetorum ſtationes ruit. Imperator intelligens ſubitam eruptionem plus timoris, quàm periculi allaturam, magiſq; ex ſubſidiarii exercitus, quàm ſuarum virium fiducia motos ad id Coronæos, diſpoſitis raptim cohortibus, quà res, tempuſque poſtulabant, impavidè decurrentes ſuſtinet. Invaleſcit ſubinde multitudo, campumque confertiſſimæ phalanges undiq; complent. Diù igneis fiſtulis, teliſque eminùs pugnatum: ut verò ſtrictioris prelii copiam barbari fecere, immix-

1685

Qui demùm cogitant de eruptione in Venetos.

Erumpensibus Turcis ſuos ſtrenuè obiectat Maurocenus.

1685 tis utrinque ordinibus, ſęviorem aſpectum induit certamen. Vulnera vulneribus, cædibus cædes penſatæ; effuſiſque in rabiem animis, ſuo quiſque corpore extremos nixus metitur. Nutantia exindè agmina variis terroribus ſpem victoriæ turbant, neutrò inclinante fortuna. Tandem, egregiè reſiſtentibus Venetis, fundi Thracum ordines cœperunt. Idcircò ii, quorum permulti in acie ceciderant, inutile molimen disjiciendi hoſtiles ordines experti, ne ulteriori ſanguinis jactura animum noſtrorum augerent, arrepta fuga, ad urbem informi acie properavere. Pauciſſimi fugiendi velocitate ſervati, iique intra muros valido impetu compulſi: ècontrà à Venetis modicum ſanguinis fuſum. At, licèt Franciſcus ſuorum fiduciam hac obſeſſorum ſtrage auctam animadverteret; inſtabat nihilominùs altera ex parte major ſolicitudo àrcendorum à caſtris hoſtium, aſſiduis concurſibus ſtationes infeſtantium. Neque ii tot copias dubiis motibus hactenùs detinuiſſent, ni magnos, quos Præfectus exercitus paraverat, conatus, præpropera ejus mors intervertiſſet. Ingens hac de cauſa conſternatio in Turcarum caſtris, dilataq; in dies pręlii conſilia.

Poſt acrẽ cædem adiguntur in fugam barbari.

Præfectus Turcarũ obit.

Mauroceuus nova munimenta orditur.

Nihilominùs Imperator nihil tutum ab hoſtium multitudine ratus, ut ſua magis firmaret, modicę altitudinis collem, caſtris penè contiguum, in exercitus opem verti juſſit; quingentorumque Illyriorum militum cohortem, quæ aſſul-

aſſultantium Thracum terga laceſſeret, ibidem locari. Hoc peracto, nihil de obſidionis ardore remiſſum. Diu, noctuque in effodiendis cuniculis, latiùſque proſternendis mœnibus opera Venetorum verſabantur. Cùmque unus ex illis ad prægrandem caveam redactus amplam muris ruinam allaturus machinariorum judicio videretur; urbem eadem parte tentare conſtituit. Id munus Equiti à Turri Melitenſium, & Marchioni Corbonio trabeatorum equitum Ducibus demandatum. Horum fortitudini, ac vigilantiæ plurimùm Maurocenus confidebat. Siquidem ille inter Cretici belli diſcrimina probatus, hic longo militiæ uſu, & exacta ſuorum diſciplina inſignis, uterque conſilio, & fide præcipui, ingentem de ſe ſpem præferebant. Igitur, juſſu Mauroceni, impreſſionis ordinem inter ſe partiti ſunt; id potiſſimùm ad excitandam fiduciam militum oſtentantes, ubi paulùm defenſorum nixus ſuſtinuiſſent, partim ex imbecillitate virium, quas proxima eruptio diſſipaverat, partim ex deſperatione ſubſidiorum, quibus non diu, non noctu aditus dabatur, eoſdem ceſſuros. Extrema tunc fata Coronæorum advenerant, ni immanis ſaxorum, invicem nimis altè coeuntium moles, cuniculi vim eluiſſet. Erupit enim flamma modicè muris concuſſis; præcluſoque evadendi in urbem aditu, à conatu exercitum Duces continuere. Verùm ſicuti omnia Fidelium ſtudia ad evertendam urbem converſa erant; ita ex adver-

1685

Aggreſſionis impetum cōparat.

Eques à Turri, & Corbonius Marchio parantur ad pugnā.

Sed fruſtrà ob fractam vim cuniculi.

1685 ſo non deerat in hoſtium caſtris ad cavendum ſolicitudo. Ubi namque comparari Venetos ad aggreſsionem animadvertunt, eductis copiis, in eorundem vallum equites, pediteſq; pervoluunt. Primo concurſu pelli Thraces videbantur: at, ubi majorem ſibi noxam ab iis, qui collem inſidebant, aſsiduis enim ictibus deſuper conflictabantur, infligi ſenſerunt; relicta prælii fronte, in munimenta collis impetum dedere. Neque diù cum Illyriorum cohorte dimicatum. Siquidem hi barbarorum ululatu, ac furore perterrefacti, poſt brevem pugnam propè ad unum occiſi ſunt. Interim Thraces loco potiti ita Venetis imminebant, ut cuncta terrore, & ferrearum glandium procella complerent. Sed Imperator, antequàm ſe hoſtis in collis poſseſsione confirmaret, eundem loci fiducia exuere ſtatuens, quas paulò antè ad aggreſsionem deſtinaverat, cohortes, ad repetendum collem admovet. Nec mora: adoriuntur Veneti barbaros; atrox utrinque pugna conſeritur. Præſtant hoſtes loci eminentia; haud tamen recedunt Veneti, in teſtitudinem conglobatis manipulis viciſsim ad culmen ſuccedentes. Multum ſanguinis hoc certamine effuſum; victoria verò melioribus affuit, quamvis eventu admodùm difficili. Non enim antè in noſtrorum poteſtatem reſtitutus eſt locus, quàm, penè omnibus, qui reſiſtebant, interfectis; reliqui præcipites agerentur. CCCC. Turcarum cecidere; totidem ſau-

Barbari ab aggeribus erũpunt in Venetos,

& primò proſpero eventu.

Tandem depelluntur à Venetis.

ſauciati: capta militaria ſigna quatuor. Qui è ſeptis prodierant, uſque ad vallum aſſidua cæde à Venetis compulſi ſunt. Ex horum verò numero, quamvis centum, & triginta milites tantùm deſiderarentur, aucta clades morte Equitis à Turri. Hic trium vulnerum labore non fractus, dùm ſtrenuè diſcrimina ſubit, militemque ad victoriam integro animo hortatur; excitato (incertum caſu, an hoſtium fraude) ex nitrato pulvere igne, in ipſo ardore certaminis abſumitur. Juxta eundem quatuor Melitenſes Equites, inòpinato diſcrimine deprehenſi, haud abſimili eventu è vivis erepti.

1685

Eques à Turri moritur.

Cæterùm ſingulis diebus ſimul in frontem, ſimul & in latera vario eventu certabatur: denſæ hoſtium cohortes inæqualibus, editioribuſq; locis hærentes variis motibus expectationem Chriſtianorum fallebant. Cùmque robur accedentibus quotidiè præſidiis augeretur, inſtarent acriùs laceſſentium cohortes, ac plerique fiducia virium temerè ſeſe diſcriminibus offerrent; meritò ſuſpectabat Imperator, ne tandem ingruens Turcarum turbo laſſati exercitus reliquias penitùs diſſiparet. His de cauſis nunquam tutandi valli cura ſoluta, ſicuti & producendis aggeribus aſſidua opera navabatur: &, ni congeſta tellure confirmatæ munitiones impetum aſſultantium crebrò confregiſſent, haud longè ab exitu hoſtium conſilia erant. Inter hæc neque obſeſſi munia belli ſegniùs obibant. Hi

Nihilominus pervicaciter producitur obſidio.

nam-

1685 namque extremis veluti malis firmati, multa ſimul moliri, Venetis inſidias aſtruere, arma, igneſque parare, ſuſpectiora loca armatis communire; ita demùm infeſtandis oppugnantibus operam locare, ut non vigiliis, non labore, aut vulneribus fatigarentur. Jamque quadraginta dies obſidii conatus abſumpſerat; cùm, veluti integro penitùs bello, eò res devenerat, ut acrius, non de victoria modò, ſed de ſalute quoque decertandum videretur.

Maurocenus decernit intra val-lū Thraces aggredi.

Sed Franciſcus incolumi barbarorum exercitu inexpugnabilem urbem fore animadvertens, in poſtremi prelii experimentum animum vertit. Non enim ſpes erat, eo decertandi ordine creſcentem in dies multitudinem vinci poſſe; cùm intereà Venetas cohortes quotidianę cædes magis exhaurirent. Accedebat trepidatio quorundam, qui duritie laborum, ac deſperatione victoriæ in dies magis eneruabantur; ardor præptereà cœli, ac molimina Coronæorum, quibus, ſi longiùs opus proceſſiſſet, brevì impares omninò Fideles futuros intelligebat. Igitur, quamvis terreret hoſtium multitudo, &, ut in arduis rebus ſolet, ſuſpecta omnia viderentur; cunctis diligenter penſitatis, nec ſpernenda omnia, nec metuenda ratus, inopinato, eoque nocturno motu irruere ſtatuit in caſtra barbarorum. Aucto idcircò exercitu novis hominum copiis, quas educi raptim è triremibus imperavit, M. D. militum cohortem,

Jo:

Jo: Aloyſio Magnanino duce, inter tenebras, VII. die Auguſti adventante, dimiſit, juſſitque non procul ab hoſtium tergo in dumetis deliteſcere, atque ibi pugnæ ſignum opperiri. Intereà ipſe, ſumptis armis, obequitans copiis, milites hortari, uti memores priſtinæ virtutis intenti, paratique eſſent.. Quoſdam ſupra vallum in munimentis locare, vigilias ipſe circuire, cunctaque prælio opportuna ſedulò comparare, ne in tanto rerum diſcrimine laborem ab Imperatorio munere ſepararet. Juſsæ præterea quinqueremes adverſo littori propinquare, ut ex multiplici motu latior Turcarum formido ſequeretur. Ubi verò, edito, incerta adhuc luce, ſigno, impetus ab iis, qui præceſſerant, ad hoſtium terga factus eſt; Maurocenus quoque, deducto è ſeptis exercitu, à fronte in barbaros bipartitò invadit. Lævum aciei cornu Eques Alexander Alceniacus, dexterum Jovius, primi ordinum ductores, optimè in hoc bello de Rep. meriti, ductabant. Reliquę copię expertæ virtutis centuriones ſequebantur; hæque certatim lateribus hoſtium aſsultantes, primo impetu externas eorum munitiones conſcenderunt. Vix vigilum cædes excitaverat Thraces, cùm tantus repentè pavor eoſdem occupavit, ut non arma capeſsere, non propellere irruentium manipulos, ſed utpote nondùm veterno excuſſo ſemiermes adhuc, perrumpere ordines, fugamque arripere conarentur. Hinc concurſatio, & tumultus

1685

Conſerūtur manus cum hoſte, & proſpero eventu.

alio-

1685 aliorum incidentium in alios augebat terrorem, ploratus metuentium totis perſonabat caſtris, atque intereà à noſtris paſſim hoſtes fundebantur. *Turcarũ cędes.* Haud multùm tumultuario hòc prælio decertatum. Adeò enim fuit victoria in proclivi, ut præter invadendi conſilium, cædiſque laborem, vix fortitudinis experimentum Turcarum formido reliquerit. Tria hoſtium millia partim cęſa, partim capta; &, pręter viginti militaria ſigna, ablatum Vexillum Regium, *Caudæ Equinæ, & Vexillum regium Veneti diripiunt.* Caudæque Equinæ, inſigne in præliis imperii, ſecundique ominis ſymbolum, quod caſu quondam cęptum, facilè in religionem apud barbaras gentes tranſiit. CCCL. equi, VI. Tormenta, tentoria demùm omni armorum, atque opum genere affluentia in victorum prędam conceſsere.

Latiùs victorię lętitiam lux proxima aperuit, cùm, pulſis Thracibus, confractiſque eorum receptibus, ubi priùs tanta periculi moles, vaſtum modò ſilentium, ac latè diſperſa hoſtium cadavera cernerentur. Accedebat, ut incerta eſsent fugæ veſtigia, fuſaque per patentes campos multitudo rursùs conglobari nequaquam poſſet. *Continuò paratur impetus in urbem.* Quamobrem Imperator, piè votis pro felici certaminis exitu perſolutis, laudatiſque pro concione victoribus, non dubitavit, quin poſtremam obſidioni manum imponeret. Contemplatus, quà promptior pateret capiundę urbis opportunitas, *Joannis Baſſignani virtus.* Joanni Baſſignano parandi cuniculi munus demandavit. Hic in machinis bellicis admoven-

dis

dis probatę diſciplinę vir, ingentibus cuniculis, 1685
ignibuſque vario artificio conflatis, multa in hoſtium perniciem molitus fuerat. Itaque, quà leviter convulſo propugnaculi pectore, concuſsa męnium pars erat, ingentis caveæ aditum effodit, atque ita ſubter fundamenta foſsam deduxit, ut ea ingentem muri loricam amplecteretur. Dùm inſtat operi, atque aggreſſionis conatus ab Imperatore exornatur, non defuere è ſubſidiariis copiis, quæ tædio laboris, ad patrios portus redituræ, vela in altum darent. Hæ Etruſcorum Triremes fuere: quarum ductor tempeſtatem, cædemque cauſatus, ſuis è vallo in navigia convocatis, Venetorum caſtra deſeruit. Veruntamen Franciſcus nequaquam à conſilio dimotus, ubi apprimè militem de agendis admonuit, XI. Auguſti die facinus exorditus eſt. *Imperator urbem aperto certamine aderitur.*
Cùmque, ſoluta murorum compage, ingenti impetu cuniculus erupiſset, continuò Italorum cohortes, quas Jovius ducebat, urbi propinquarunt. Eodem tempore, quà mare eſt, Brunſuvicenſes, Melitenſeſque fractis męnibus affunduntur; quamvis hi poſteà, ob majus hoſtium robur eadem parte congeſtum, atque anguſtiorem viam, vix murum conſcenderint. At Itali *Acriter pugnatur utrinque.*
proſpero incępto ruinæ tumulis potiuntur; cæſiſque defenſorum permultis, alii aliis ſuccedere, &, quà patentior aditus erat, ſtipatis manipulis ad turres capiendas feſtinare. Contrà obſeſſi umbonibus, haſtis, telis decertare, in pro-

1685 ximos ſaxa volvere, pice, ac ſulphure mixtas tędas in confluentium catervas immittere. Nec ii quidem, qui procùl aberant, ictus hoſtium declinabant. Quippè minoribus tormentis per ſclopetarios confoſſi interibant.

Quatuor fermè horas, inſtaurato ſæpè certamine, ea cædes copias utrinq; confecerat; cùm Maurocenus laſſatos milites cernens, paulùm differre extremum prælium conſtituit. Intereà ſingulos acuens ad pugnam, *ut ſtrenuò animo eſſent, omneſque virium, ac conſilii nervos intenderent*, hortabatur. *Satis jam pro ſalute, ac victoria certatum; reliquos conatus pro præda fore. Invaderent ergo feſſos, ac primo congreſſu pavitantes obruerent. Adeſſe tempus, quo pertinaciſſimæ gentis ſanguine imbuerent gladios; incohatamque hoſtium fuga gloriam perficerent.* Ad hæc ſuperiore in pugnâ meritos publicis largitionibus donat; eoſque pręcipuè extollit, in quibus clariora virtutis ſpecimina adnotaverat. Inter cæteros emicuit Sabaudiæ Principis virtus, qui, ubi prælium incaluerat, primis noſtrorum manipulis immixtus, operæ ſtrenuè navatæ, relatique vulneris gloria ſtudia militum, laudeſque Imperatoris evocavit. Cęterùm, omnibus ad tentandam denuò aggreſſionem paratis, ductori ordinum Alceniaco præcipuum munus committit. Indè multiplici opere tutiùs obſeſsos ſubacturus, epibatarum turbam ea parte exponit, qua continens in apicem deſinens nonnihil ab urbe mare verſus porrigitur. Curatis corporibus,

Imperator ſuos erigit ſpe victoriæ.

Sabaudiæ Principis facinus.

ribus, vix duas horas calentes pugna cohortes quievere. 1685

Obſeſſi diſcrimine ſalutis dejecti de dedenda urbe cogitant.

Verùm longè magis obſeſſis, qui jam tuendis muris impares erant, actæ eo die cędes anxias mentes reliquerant. Extremum opus, mors, reſtabat; ſtrenuis remedium, pęna ignavis. Sed, cùm de ſalute urbis diſperatum animadverterent, mutare conſilia, frangere audaciam, ſuęque incolumitati proſpicere univerſi cęperunt. Itaque tacitis curis primùm optata libertas; mox, palàm prolatis votis, impetrandam urbis deditione ſalutem una Coronæorum vox ſecuta eſt. Ut ergo Venetus exercitus certamini accinctus, oſtentatione virium altiùs obſeſſorum mentes permovit, paratos ſe ad proferendas dedendæ urbis conditiones albenti vexillo, ut moris eſt, ſignificarunt. Non detrectavit conſilium Imperator, cui jam ſatis ſanguinis effuſum videbatur: immò, cùm, ceſſaretur undique ab armis, edixiſſet, omnia, veluti obtentâ victoriâ, compoſitis animis quievere. Sed, dùm caduceatores deligun-

At caſu certamē atrox accenditur.

tur, toti victoriæ exitum, quem datura virtus fuit, caſus dedit. Quippè, cùm fortè inter Venetos excitatus ex militis cujuſdam incuriâ ignis exiguo tumultu quieſcentem exercitum pervertiſſet, veriti exindè inſidias Coronæi, vel deſperatione immaniter acti, non modicam plumbearum glandium grandinem continuò exonerarunt in Venetos. Tunc, præter multos interfectos, nonnulli ex Ducibus ſauciati: inter

1685 quos præcipuè Corbonius Marchio vix necem effugit. Horridum pugnæ initium. Spontè incitatus in rabiem miles atrox prælium init: mutuòque efferatis mentibus in extremam hoſtium perniciem pugnantes effunduntur. Quis referat truculentæ cædis ordinem, triſtiſſimumq; ſpectaculum, quod de ſe barbari præbuere. Multiplici ex parte Veneti in muros evadunt, cędunt obices, momentoque mœnia occiſorum corporibus obteguntur. Captis muris, in interiora urbis agmina pervoluunt; indè, ſeorſim diviſis manipulis, paſſim pugnatur per viarum anguſtias, ſine ordine, ſine Ducibus; ut quiſque obvius, trucidatur. Peracta palantium clade, in domos irruunt, victos implacabili odio conſectantur, protrahunt abditos. Fugientium alii intentatis jugulo mucronibus cadunt, nonnulli aguntur à tectis; viæ, fora, domus, cædibus plena. Non ætati, non generi, non formæ, ſexuive militaris licentia hac die indulſit. Cuncta ferrum hauſit: enimverò nulli ex iis, quos ſors victoribus obtulit, incolumes evaſerunt. Extant quoque exempla mulierum, quæ comprehenſis liberis à tectorum culmine præcipites ſe dedere.

Veneti potiuntur muris.

Atrox admodùm ſtrages Turcarũ fit.

Ubi ultione exſatiata militis ira deferbuit, diſcurſum ad rapinas; præter quas ingens quoque captivorum numerus extitiſset, ni furor, & indignatio immemores prædæ Venetos reddidiſset. Mille nihilominùs, & quingenti Turcarum, quos ætas, ſexuſque impares laboribus effi-

efficiebat, paulò poſt è tectorum penitioribus 1685
eruti; in poteſtatem victorum vivi tranſiere. Ditiſſima prętereà ſpolia auxerunt ex oppugnato loco lætitiam; nullius namque rei inopia urbs laborabat. Ad hæc CXXVIII. Tormenta inventa, ac CC. captivi corpore validiores Imperatoris juſsu in ſupplementum remigum recepti ſunt. Cæterùm, ubi publicis ſupplicationibus actæ Superis ob proſperæ rei eventum grates fuere, lætis ubique ſermonibus prolixum de victoriæ momento colloquium inter Duces fuit. Maurocenus, ut par reliquis in rebus animus cuique eſſet, neminem ſine præconio præteriit, hujus fortitudinem, alterius prudentiam extollens. Ubi verò Brunſuvicenſi, ac Sabaudiæ Principibus, cæteriſque ſociis gratulatus, de geſtis optimè rebùs latiùs diſſeruit; copiarum, caſtrorumque Pręfectos, ac mox primos ordinum ductores viritim extulit: non omiſſo Baſſignano, quem aureo torque decoravit. His peractis, dùm conſultatur de reparandis urbis detrimentis, ejuſdem Præfecturam Georgio Benzonio, Juſtinoque Ripæ Pat. Venetis committit. Reliquis ad egerenda cadavera, ac reficiendos muros maturè diſpoſitis, aliquot dies ibidem ab exercitu inſumpti. Intereà, cùm per expeditiſſimos nuntios fuſi primùm exercitus, mòx debellatæ urbis rumor Venetiis percrebuiſſet, tanta civium animos lætitia cępit, ut nemo ab Imperatoris laudibus temperaret. Neque enim adum-

Maurocenus ſuos laude, præmiiſq; afficit.

Ingens Venetiarum urbis lætitia.

1685 umbrato gaudio Franciſci geſta tunc celebrari poterant, cùm nobiliſſimam victoriam, ſeptem millibus hoſtium cęſis, fama paſſim in omnium aures expanderet. Verùm inter populi plauſus munificentiſſima Patrum ſtudia in Franciſcum Maurocenum altiùs converſa ſunt. Siquidem fratrem ejuſdem Laurentium, cujus in moribus mira moderationis, ac conſilii vis enitebat, D. Marci Equitem declaravere: ac mox non ignari quantum unius in urbis expugnatione adepta eſſet Reſp. virtutem Imperatoris publicarum tabularum teſtimonio ultrò commendarunt. Inde ſuſpenſum in triumphi morem vexillum barbarorum, Caudæque Equinæ. Et, cùm eadem die, qua D. Cajetani feſtum colitur, victoria contigiſſet, ex edicto in ejuſdem æde, quò Princeps, Patreſque convenerant, repoſita omnia ſolemniter fuerunt, inque debellati hoſtis memoriam ſacrata.

Laurentius Maurocenus Eques D. Marci creatur.

Signa Turcarũ in D. Cajetani tẽplo reponuntur.

Hæc dùm Venetiis agebantur, Imperator ſedulò urbe, copiiſque refectis, antequàm hyems ingrueret, recenti pavore permotos incolas arcium, quæ circa Coronem erant, deprehendere ſtatuerat. Verùm, cùm abſcedentibus ſociis, imminutoq; ob diuturnam obſidionem exercitu, non ſatis viribus fideret, ſtatuit opperiri nova præſidia, quæ nuper Corcyram appuliſſe tunc fortè nunciabatur. Interim captaturus animos, atque opera Tænariorum, quos ſocietate Veneta obſtrictos aliàs retulimus, nuntios dimiſit;

Maurocenus vocat Tęnarios in commilitium.

qui

1685

qui de capta Corone, deletoque Turcarum exercitu eos admonerent. Ubi collectis viribus arma in barbaros ſumpſiſſent, ſe mox cum robore copiarum ad juvandos ipſorum motus affuturum. Erexerunt hæc cupidos excutiendæ ſervitutis; continuòque, habitis delectibus, finitimam arcem, quam Zarnatam vocant, circumſederunt. Locus eſt non procul ab Abæa validæ ſtructuræ; ſedulòque tunc temporis à Turcis cuſtodiebatur, utpotè qui ad coercendos intra limites Tænarios extructus fuerat. Sub idem tempus, quo hi cęptant obſidium, Præfectus Turcicę claſſis de accepta clade, amiſſaque urbe certior factus, ſentiens imminere ſibi defectionem Tænariorum, Naupliam celerrimè advolat. Locatâ intra portum claſse, diſpoſitiſque cuſtodiis, levis armaturæ manum educit, qua primùm reliquias fuſi exercitus colligere, mox, audita Zarnatę obſidione, avertere à conſilio Tænarios adnititur. Ut verò promptiùs in ſe gentis favorem traheret, remittere in triennium tributa, ingentes copias ad reparanda exercitus damna ocyùs adventuras oſtendere, oblivifci injuriarum, & violati fœderis; vulgare demùm, agi cum Venetis de firmanda pace, qua ſuas quiſque intra Provincias jucundâ bonorum poſſeſſione tutò frueretur. Non diſtulit Maurocenus, ubi hæc innotuerunt, opem ferre obſeſſoribus; cùm ut arceret Præfectum Turcarum, tùm ut cœptæ proſperè rei, atque exhibitæ fidei

Qui Zanatam obſident.

Conatus Prfecti claſſis Turcarũ, ut revocaret ab incępto Tęnarios.

Sed Maurocenus eò advolat.

1685 dei Tænarios non pœniteret. Igitur ad Leuctri oras provectus, dum educto milite, auctiſque animis oppugnantium, omnia extrema in exitium loci molitur, XXII. naves cum expectatis copiis ab Italia convenere. Has Aloyſius Marcellus, Patritius Venetus, notæque prudentiæ vir ducebat, cui Hierę Prefecturam Senatus demandaverat. Numerus advectæ militiæ ad tria armatorum millia, ex Saxonia collecta, aſcendebat. Sed fama Veneti exercitus adaucti, longè magis defixit formidine animos oppidanorum. Quippè, ubi omnia ad examen ſedulò revocavere, partim finitimorum defectione, partim ruinis loci, atque hoſtium multitudine permoti, deditionem arcis, quàm extremum pervicaciæ conſilium experiri maluerunt. Imperator, conceſsâ incolis libertate, atque occupato oppido, annonâ, armis, ac milite illud communivit: Vertiſsetque continuò exercitum adverſus regionis caput Abæam, ni infringere priùs Prefecti Turcicæ claſſis audaciam utilius reputaſset.

Zarnatã in poteſtatem recipit.

Is etſi angeretur quammaximè, quòd in conſpectu ſuo arx caperetur; nihilominùs aut numero, aut ſtudiis ſuorum diffiſus, nihil adverſus noſtrorum vallum intentare auſus eſt. Veruntamen, ubi concurſu ex finitimis populis facto, repentina exercitus moles excrevit, quę novem millibus peditum, duobus verò equitum conſtabat; locum deligit pone tergum Abæę, utrinque montibus, & ſylvâ clauſum, ita ut nihil

Prefectus Thracum ſe ad prelium parat.

hil

hil niſi à fronte inſtaret. Tunc expedito agmine ſylvam, arctaſque collium fauces obſidet, ubique inęqualitate loci tutus; ibidemque à metatoribus poni caſtra jubet. Franciſcus conſilia hoſtis, eumque ad conſerendas manus paratum intelligens, certaminis fortunam tentare conſtituit. Itaque, in Abææ fines deducto exercitu, opportunam explicandis copiis planitiem occupat; quæ torrente quodam ab hoſtium vallo dirimebatur. Indè ita cum agmine progreditur, ut vix quingentorum paſsuum intervallo ab hoſtium caſtris diſtaret. Ut autem ex utilitate ſitus, prout loci natura ferebat, aptiùs à ſuis pugnaretur; Tęnarios pręmittit ad inęqualia montium, qui ubique Turcis prætereuntibus objicerentur, &c, ubi res poſceret, impetum darent in ſubjectos. Cętерùm dexteram exercitus alam Brunſuvicenſis miles, lævam Saxonum cohortes obtinuerant. Inter has medius Eques Alceniacus cum Venetarum copiarum robore, quas Corbonii equitatus tuebatur. Utrinque verò extremis alis lecti equites aſtabant, prompti ad opem, quà acies labare incępiſset. Rebus hoc ordine ad pugnam inſtructis, opportunum duxit aliundè etiam pręlium ſimulare, ut barbarorum vires ducerentur in contrarios nixus. Quamobrem illam præcipuè oram, quæ ad exitum ſylvæ patet, longis navibus obſidet: Quinqueremibus haud procul locatis, ut, quo tempore certamen committeretur, à tergo majora diſcrimina oſten- 1685

Nec detrectat diſcrimen Maurocenus.

1685 oſtentarent. Cęptum eſt primò concurſibus prę-lium; cùm etenim expeditius Venetorum equitum agmen trans torrentem incederet, in Turcarum emiſsarios, qui è ſylvæ latere eruperant, ex inſperato incidit. Ubi paulùm armis certatum fuit, ceſsere Chriſtiani inſtantibus Turcis, donec ſuorum cohortibus, quæ paulùm aberant, jungerentur. Tuncq; pedeſtri acie irruentibus objectâ, non antè remiſsa eſt cædes, quàm Turcæ ad ſuorum caſtra confugerent.

Manus utrinque conſerun-tur.

Inſtauratur pugna.

Proxima, quæ affulſit, die, totis utrinque viribus deſcenſum eſt in aciem; cùmque ſummo mane Veneti torrentem tranſgreſſi, ęquè per planitiem, atque inæqualia collium juga progrederentur, Præfectus Turcarum potiorem peditatus partem ad inſidendos colles, mille, & quingentos equites ad inferiora venientibus oppoſuit. Equites primùm cum lęva Veneti exercitus ala, mox pedites certavere. Inter primipilos noſtrorum, Princeps Vulielmus fortiùs ſtetit, atque ita eluſit Thracum impetum, ut nuſquàm in ſuorum ordines evaſerint. Proſpero magis eventu fuſus hoſtium equitatus. Hic, licèt poſt acrem contentionem disjectus, denuò reſtitutis ordinibus Venetorum agmen circumvaderet; brevì à Saxonum manu ingenti clade pulſus eſt. Intereà Tænarii collato gradu prominentia montium ulteriùs occupabant, ut hoſti deſuper incurrerent. Sed Thraces, ubi completam undique planitiem, mon-

Principis Vulielmi virtus.

montiumq; juga confertis hoſtium agminibus obſeſſa cognovere, remiſſis conatibus, ambiguè prœliabantur. Plurimum ſanguinis hac die fuſum fuiſſet, dummodò barbari ultrà laceſſentibus prębuiſſent copiam decertandi. At, vix ſexcentis ſuorum interfectis, etſi peditum multitudine, & turmis equitum longè Venetis præſtarent, terga dantes, in turpiſſimam fugam converſi ſunt. Tunc eorum agmina diverſo motu agebantur. Quippè, qui ſylvam tenuerant, adnitebantur conſcendere colles, qui verò inter colles adſtiterant, in ſylvam turmatim ruebant. Hinc, commixtis procurſando ordinibus, patebant ictibus Chriſtianorum. Neque tutum prorsùs effugiendi conſilium fuiſſet; ſi æquali pernicitate aſſequi decurrentem equitatum Veneti potuiſsent. Verùm, quia cùm impares curſui erant, tùm quia ſuſpicio quædam inſidiarum invaluerat, receptum à pugna militem in Abææ conſpectum duxit Imperator, quingentoſque ab urbe paſſus caſtra locavit. Speculatus naturam loci, & quà promptior obſidendæ arcis occaſio adeſset, Illyriorum, Tænariorumque turmas præire juſſit; ut, quo animo, viribuſque pugnaturi eſsent Abæatæ, deprehenderet. Verùm, cùm hi ſubſidiarii exercitus fiducia primùm erecti, ad ſtrenuam defenſionem cuncta paraviſsent, ubi debellatas ſociorum copias, auxiliique ſpem nullam animadverterunt, obſidionis diſcrimen ſubire auſi non ſunt. Qua-

1685

Vertit victoria in Venetos.

Barbari diffugiūt.

Victor Maurocenus ad Abæam progreditur.

1685 propter, deſerta raptim arce, avectiſque iis, quę profugientibus oneri futura non erant, fuſi exercitus veſtigia ſecuti. *Eandem occupat, evertitq;* Ita Abęa in poteſtatem redacta, cùm optimè noviſset Maurocenus, ineptum tuendis Leuctri limitibus locum, ſitumque procul à regione, quam permunire diligentiùs deſtinaverat; ablatis XIV. Tormentis, direptiſque ab exercitu mercibus, atque annona, ęquari ſolo eundem imperavit.

Jamq; duo oppida ſupererant, quibus Provincia penitùs claudebatur: igitur eadem extemplò oppugnare decrevit. Sed difficilis eventus videbatur ob naturam locorum munitiſſimam, congeſtaſque profugientium copias, quas incolę in pręſidium receptaverant. Nihilominùs inquies, donec regione integrè potiretur, ſtatuit defenſores aut opinione clementiæ, aut apertâ vi, armiſque in ditionem redigere. Idcircò hortatus Tænarios, ut proximam arcem, Chielefam incolæ appellant, obſidione cingerent; ipſe quoque, miſſis primùm quibuſdam copiis, mox cum reliquo exercitu ad conficiendum incęptum *Chielepha arx.* adfuit. Arx eſt mille, & quingentos paſsus diſtans à mari, præcincta muris, præaltiſque rupibus inſita; quam ipſa ſitus inæqualitas vix expugnabilem reddit. Non armis prætereà, non milite, non quocunque munitionum genere indigebat; aliàs ſedulò ſervare, tanquam Leuctri propugnaculum Thraces conſueverant. Verùm priorum exemplo commoti oppidani, a-

deò

deò ad Imperatoris adventum trepidaverunt, ut 1685
omnia extrema, vix dùm obſidionis detrimenta experti, reformidarent. Igitur oppidum tradentes Mauroceno poſtremæ arci, quæ Gerenia à veteribus, nunc verò Paſsava ab incolis nuncupatur, documento fuerunt. Enimverò hujus cuſtodes arcem antè deſeruere, quàm ad eam oppugnandam exercitus duceretur. Sic intra paucos dies cum Abæatis, finitimiſque debellatum eſt. Franciſcus verò, cùm unicuique captarum arcium præſidium, præfectumque armorum impoſuiſset, univerſæ regioni Laurentium Venerium præfecit. Hæc in exceſsu autumnalis tempeſtatis cùm acta eſsent, non tàm belli incommodis, quàm ſævientis frigoris vi miles infeſtari cœptus. Quapropter, ut ad reliquum belli curſum reſumeret vires, ab Imperatore dimiſsus eſt in hyberna. Ex copiis permultæ Leucadem, aliquot Nicopolim, reliquæ Corcyram, ad quam etiam Maurocenus paulò poſt contendit, profectæ ſunt.

Recipitur in ditionem.

Continuò etiam Gerenia, id eſt Paſſava.

Sed, dùm Leucadem advectus, munitiones, præſidiumque oppidi inviſit, procurſantium hoſtium audacia incitatus, diſſipare omninò reliquias nupèr victi exercitus conſtituit. Veruntamen barbari deprehendi ſe à Venetis paſſi non ſunt; quoſque populandi libido rursùs conglobaverat, adventantis Mauroceni rumor extemplò ſubmovit. Ut cognitum, fruſtrà tentari hoſtem, ſatiſq; muniendis oppidis proviſum, tranſmiſſa

Dùm properat in ſtationes Franciſcus, reprimit motus Turcarũ.

1685 miſſa Nicopoli, Ambracium ſinum ingreditur. Tunc ex re conſilium ſumens, ſtatuit occaſione uti, conſternatoſque belli tumultu Gomenitiarum, ut vocant, cuſtodes invadere. Igitur eductus ab Equite Alceniaco miles, diſpoſitæ cohortes, cuncta prælio parata: dùm verò naves maritimam quoque oppugnationem moliuntur, incolæ trepidi imminentem neceſſitatem ſponte antevenere. Horum alii ſectati ſociorum copias, plurimi in juga montium receſſerunt. Oppidum, quia Piratis Acarnanes infeſtantibus tutum perfugium præbebat, aſportatis armis, commeatuque, à fundamentis exciſum.

Gomenitias ſubigit.

Molini, & Delphini facinora.

Dùm hæc in Epiro geruntur, mari quoque Ottomanica claſſis turbabatur; nec quidquam intentatum prætermittebant Præfecti Navium, Alexander Molinus, ac Hieronymus Delphinus, ut vagum hoſtem ad prælium provocarent. At licèt formido latebras quæritantis fruſtrarit ſæpè conſilium decertandi, nunquam tamen Præfectus Thracum, aut Piratæ incolumi claſſe aufugerunt. Quamobrem ſicuti non Venetorum tantùm, verùm exterarum quoq; gentium mentes in tàm proſperè geſti belli admirationem deducebantur; ita præcipua Senatus conſilia eò collimabant, ut auctiores cùm terreſtrium, tùm maritimarum rerum apparatus congererentur. Fuſi toties hoſtes, urbs Peloponneſi præcipua Corone perdomita, multa

oppi-

oppida partim vi, partim factione, ac metu in 1685 poteſtatem redacta, ita cunctorum animos militaribus ſtudiis incendebant, ut audenda omnia, ne intercideret bellandi occaſio, univerſi differerent. Quare convocari denuò milites ad ſtipendia, delectus haberi placuit per provincias, ac cætera, quæ bellorum uſus exigit, raptim comparari. In Præfecturam copiarum Comes Otho Vulielmus Koniſmarchius ex Svevia, qui gloria nominis invidiæ, temporiſque pericula ſupergreſſus, egregia militaris diſciplinę ſpecimina paſſim ediderat, ſuffectus. Inſtaurata claſſis; naves, ac triremes de novo conſtructæ; miſſi Corcyram commeatus: Mauroceno demùm adminiſtrandi belli ratio integrè permiſſa, cujus conſiliis Senatus penitùs acquieſcebat. Sed Imperator cùm ob ętatis laborem, tùm ob diſcrimina cœli, tempeſtatis, & præliorum, corpore æger neceſſariam ſibi quietem oſtendens, reditum in patriam poſcebat; ne mox diuturna vexatione invalidus, ſubita morbi ſævitia opprimeretur. Verùm nimiùm Reip. intererat, Maurocenum Venetæ Claſſi præeſſe: nec Patres, hoc Duce certi victoriarum, Franciſci votis annuerunt. Itaque eundem honorificis verbis ſolati, ut alacri animo ageret, hortati ſunt. Non conducere, in votorum faſtigio relinqui exercitum ab eo, qui tam proſpera belli initia feciſset. Omnia ſecunda portendi in poſterum, Thraceſque juſtiſſimi belli ruinis in-

Veneti intentiùs arma parant.

Co. Otho Koniſmarchius Præfectus copiarum declaratur.

vo-

1685 volutos, ultorem violati fœderis Maurocenum timere, didiciſſe.

Tumultus Byzantii exoritur.

Sed eadem, quæ Venetis ad gloriam, incitamenta irarum apud hoſtes erant. Inceſſerat enim Byzantii indignatio inter primores, nec multò poſt penè aperta reliquæ plebis ſeditio. Hanc rerum omnium inopia, illos adverſus belli exitus in tumultum concitaverat. Undique civitas annonæ egeſtate, pavore, àtque amiſſarum urbium famâ inhorruerat: cuique ex Ducibus, quòd non vicerant, ſupplicia ſtolidè decernebantur. Minæ æquè in promptos, atque abnuentes; cuncta ſubeunte deſperatione prorsùs dejecta: & ut in ea rerum conſternatione ſævitiei quoque locus eſſet, cùm victori Mauroceno concedere cogerentur, inter ſe ipſos vindictam malorum per civium ſanguinem quæritabant. Hæc enim Turcarum indoles eſt, ut ſicuti ſuperbiæ nullus modus in ſecundis, ita adverſis nequaquam firmare animum queant. Intereà vulgus adſtrepere, imperia principum aſpernari;

Plebis voces.

ad extremum deducta famis detrimenta, clamitare: *Militiam verò gravem, & infructuoſam; bellum in dies ærumnoſius futurum. Ergo revoçanda ab armis ſtudia, antequàm majori inopia Imperii ſedes ultimò conficeretur.*

Sed omnia ab Rege componuntur.

Hæc palàm objectantem populum Rex ſimulata fiducia, evectoque ad Regii Sigilli cuſtodiam Solymano, cujus ingens penes barbaros exiſtimatio, ægrè compeſcuit. Coactis dein opibus, quas Thraces auſtera ſerviendi diſciplina refun-

refundere in Regis commodum conſueverunt , 1685 reparare naves, conſcribere exercitum, gaudentemque novis plebem immutatione præcipuorum ducum demulcere. Acceſſit augendę ſpei, ut Claſſis Præfecto, vafri ingenii, ingentiſque audaciæ Duci in Peloponneſum miſso, pręcipua turbandorum Mauroceni conatuum cura intentiùs demandaretur. Franciſcus ècontra, poſtquàm Corcyram tenuit, ſuoſq; quiete refecit, & præmiorum largitione extulit, novi aliquid moliendi cupidine agebatur. Cùm autem, aſperata hyeme, pręliandi opportunitas demeretur; ne miles tranquillitate loci ad inertiam declinaret, aſſiduis belli officiis ita eundem exercebat, ut nuſquam per ſocordiam vires, tempus, aut diſciplina defluxerint. 1686

Has inter curas vix Martii menſis exceſſerat, cùm Turcarum Præfectum decem cum millibus armatorum in Abęæ regionem per Tęnariorum fines penetraſſe, ac Chielefam oppidum obſidione tentare, allatum eſt. Subiti motus cauſa paratæ triremes, cœptum properè in Peloponneſum iter, deductaq; ſecundis auris intra quatriduum in ſinum Meſſeniacum navigia. Tunc, effuſo in littus milite, ultra Abęam proceſſum eſt; inſtruique ibidem aciem juſſit Maurocenus, brevì cum hoſte congreſſurus. Jamque, procedente obſidione, Thraces undique aggeribus locum circumſepſerant; extructiſq; cominùs tormentariis ſuggeſtibus, muros multiplici ex parte

Turcæ Chielephã obſident.

Franciſcus in ſuorum opem properat.

1686 te verberabant. Igitur, explicatis haud procul ab hoſtium vallo manipulis, cùm, vergente in Occidentem Sole, certamini locus non eſset, in proximam lucem diſcrimen dilatum eſt. Nocte vigiliis tranſacta, dubia etiamnum luce agmen movit, productiſque utrinque alis, dupliplici ex parte impetum in vallum fieri imperavit. Verùm, cùm penè ad hoſtiles aggeres deventum eſſet, qui in prima acie erant, abeſſe emiſſarios, mox vacuos armatis obſidionales acceſſus animadverterunt. Cognita Turcarum fuga, captiſque tentoriis, VI. tormenta indè ablata, verſaque in arcis munimentum. Cæterùm, Turcis longiùs pavore actis, confirmatoque præſidio, reverſus Leucadem, Venetorum ibi, ſociorumque copias opperiri decrevit. Singulis fermè diebus ſubſidia conveniebant, quæ partìm à finitimis locis ex edicto, partim ab Italia colligebantur. Demùm, Pontificis, ac Melitenſium copiis adventantibus, in eam ſententiam migravit, ut quàm accerrimo bello Turcas detineret; quodque proſperè inchoaverat, elapſo anno, in Peloponneſo bellum, ea tempeſtate proſequeretur. Igitur ex ordine iis regionibus potiturus, antequàm præcipuam ejus littoris urbem Methonem obſidione perſtringeret, utramque Pylum invadendi conſilium inceſſit. Verùm obſtabat ingens armorum apparatus ſedulò à barbaris, hyeme ſuperiore, congeſtus. Præcipuè verò XII. M. Turcarum, quæ circa Peloponneſi fi-

Sed, dùm pugnare ſtatuit, hoſtes aufugiunt.

Auxiliares copiæ excipiuntur.

Imperator decernit Pylũ tentare.

ſi fines caſtra poſuerant, ut per occaſiones, quà bellum indicaretur, urbes præſidio confirmarent. Plurimi hac de cauſa ex Venetis chiliarchis ſatius rebantur, unica acie rem dirimere; ut, ſi exui caſtris barbari potuiſſent, animi incolarum Peloponneſi urbes cuſtodientium ultimò frangerentur. 1686

At non paſſus eſt Maurocenus ambiguo certamini Reipub. ſpem committi. Igitur, ut tutius voti compos redderetur, ingenio magis, quàm vi utendum intellexit. Solvi ergo extemplò ab Leucade claſſem imperat, Naveſque, ac Quinqueremes ad Meſſeniȩ promontorium progredi. Ipſe reliqua cum triremium manu Anthyrrium, & Rhium proficiſcitur. Erat autem hujuſmodi fraudis ingenium, ut, ſimulata Naupacti, Patrarumve obſidione, eò Turcarum agmina pertraheret. Neque inutili conſilio: Siquidem univerſus hoſtium exercitus, ſimul ac vulgatum eſt, adventare Venetos, ad extrema Patrarum, Naupactique littora confluxit. Biduum detentis ibidem navigiis, veluti jam jam arcem oppugnaturus hoſtium expectationem fefellit. Tandem, ne rebus, quas furtim agitabat, ſubmiſſus quis inſpector accederet; ſubductis ex inſperato inter noctis ſilentia triremibus, Pylum, quam Abarinum quidam, vulgus verò Navarinum vocat, celerrimè contendit. Iter erat XC. Milliarium, quo brevì confecto, in loci conſpectum naves ſimul,

Anthyrrium, & Rhium cõtendit.

Et paulò poſt Pylũ, ſeu Abarinum.

1686 triremeſque convenere. Decem armatorum millia univerſa claſſis vehebat; inter quos mille, & ducenti equites erant, quos effundi ſtatim in littus, ducique ad proximum oppidum, quod antiquam Pylum nuncupant, Maurocenus imperavit. Arx eſt pervetuſtæ ſtructuræ, verſa in Septentrionem, ingenti celebris clade, quam Peloponneſiaco bello Lacedęmoniis Athenienſes olim inflixere. Aliàs ſubjecta Venetorum dominio fuit; oppugnataque demùm à barbaris, anno ſalutis 1501. in Turcarum poteſtatem tranſivit. Imminet locus partim Jonio mari, partim ampliſſimo ſinui, cujus aditum ingens primùm ſcopulus, aliæ deindè modicę magnitudinis rupes ita undiq; claudunt, ut nonniſi ex arcis adverſo recipiendis navibus iter exhibeant. Commodum, capacemque cujuſcunque navigii portum novæ arcis ſtructura incolæ tutiorem reddiderant; quam cùm ex antiquæ Pyli adverſo conſtruxiſſent, ſumpto ab eadem nomine, novam Pylum appellavere. Hæc, licèt interiore portus parte ſita ſit, ita nihilominùs utrumque mare reſpicit, ut iis invitis, à quibus locus cuſtoditur, nec ſubire navigia poſſint, nec diù ibidem detineri. E'contra verò, quà antiqua Pylus conſurgit, plurimùm recentioris arcis munimentis fidentes incolæ, ita maris aditum, undè infeſtari locus poteſt, ſaxorum mole obſtruxerant, ut vix minores lembi eadem parte excipiantur. Cęterùm utrumque oppidum ſpectabilis

Antiquæ Pylus deſcriptio, & ſitus.

Nova Pylus.

bilis ſtructuræ munimenta præſefert, quamvis rectiùs alterum arte, alterum munitius natura dixeris. 1686

Imperator incolas veteris Pyli vocat ad deditionem.

Eductis, nemine obſtante, cohortibus, extemplò aciem Koniſmarchius inſtruxit. Antequàm verò cęptaretur oppugnatio, ex re viſum Mauroceno, quoſdam ad obſeſsos mittere, qui incolumitatem, libertatemque promitterent, ſi, facta deditione, loco ſtatim deceſſiſsent: Sin verò reluctari auſi, ſuſtinere oppugnationem mallent, inopiam, ferrum, atque extrema quæque paſſuros, minitarentur. Neque ii perniciem, quam bellum allaturum erat, adeò negligebant, ut apertè à dedendæ arcis conſilio abhorrerent. At, quia nec omninò diffidebant loco, multòque minùs ſubſidiis, quæ longè non aberant; inducias per quatriduum petiere; ut, ni interim ad ferendam opem Præfectus armorum acceſſiſſet, arcem traderent Mauroceno. Non tulit hic primùm armorum motum ancipiti ſpe torpere; expertuſque moras paratis ſemper nocuiſſe, omnem exercitus vim in oppidanos extemplò convertit. Sed, dùm ponuntur caſtra, conſtruiturque vallum, defenſores, verſis in melius conſiliis, rati fortunam ſuam in arduo ſitam, hoſtes validos, dubiamque ſubſidii ſpem, rerum denique, ac propugnatorum inopiam penſitantes, oppidum, libertate, opibuſque ſervatis, obtulerunt Imperatori.

Nondùm cępto bello, oppidū occupat.

Recens Pylus obſidetur.

Impletus hilari fiducia exercitus ad novam Py-

1686 Pylum oppugnandam progreditur. Verùm cunĉta, cùm ob auĉtius præſidium, tùm ob difficultatem evadendi in ſinum, hìc difficiliora. Turcarum prætereà Præfeĉtum oĉto cum millibus armatorum in dies affuturum, deferebant exploratores. Exindè geminatum diſcrimen, incertaque prorsùs viĉtoria. Sed quod magis arduum ea in obſidione tentandum, antequàm contra oppidum quidquam Veneti molirentur, vel redigendus erat in poteſtatem portus, vel aſperiore regionis parte cohortes admovendæ. Is namq; Pyli ſitus eſt, eaq; ſtruĉtura, ut nemo in ejus unquam portum penetrarit, niſi gnaris cuſtodibus; atque, ubi prohibere ab ingreſſu hoſtem velint, faciant id quàm facillimè. Franciſcus his curis circumventus, eludenda arcis munimenta ratus, arrepta noĉtis opportunitate, naves aliquot leĉtioribus copiis onuſtas in portum immiſit. Hoc idem ſequenti quoque noĉte cùm tentatum, peraĉtumq; fuiſſet, hoſtibus inſciis; non longè ab oppido Veneti caſtra poſuere. Verùm, cùm nonniſi per noĉtis ſilentia deferri eò opportuna poſſent; ne annonæ, aut armamentorum inopia obſeſſores in poſterum laborarent, Hieronymo Delphino inter belli pericula, poſt optimè geſtam navium Præfeĉturam, ſtudio virtutis adhuc degenti, id muneris à Mauroceno demandatum, ut ſedulò, quemadmodùm ubiq; conſueverat, ardorem, ac vires adderet oppugnantibus. Sub idem tempus Etruſcorum

Hieronymus Delphinus, Præfectus caſtrorũ.

rum triremes apparuere, quibus DCCC. milites vehebantur; diſpoſitique, quà tempus, & occaſio poſtulabant. Inchoata tunc omni tormentorum genere oppugnatio: quæ, dùm terra, marique intenditur, colligi à conterminis oppidis præſidia, Turcarumque Præfectum ingenti cum exercitu appropinquare, nunciatur. Non neglexit, ubi hæc comperta, conatum hoſtium Imperator; &, ne expectaret eorum adventum, validiorem ſibi interim ſtationem captantium, ſeptem millia peditum, ac ſexcentos equites Koniſmarchio tradidit, quibus barbaros laceſſeret; ſe cum cæteris copiis venturum auxilio, pollicitus. Ille haud ſegniter Imperatoris mandata exequitur, ſuperatoque callium flexu, in conſpectum hoſtium agmen ducit. Ubi parumper acies immotis ordinibus ſtetere. Thracum Præfectus ſeu loco diffiſus, ſeu noſtrorum vires reformidans, ſenſim retroagi ſuorum catervas jubet, donec, intra tutos ſaltus redacto milite, certaminis copiam penitùs auferret. Præbuit ea res novum ſuſpicionis genus, ne ſcilicet nocturno aliquo motu caſtra hoſtis invaderet. Quapropter duplex excubiarum numerus inſtitutus, munitus agger, cunctaque prȩlio, quod impendebat, cautè proviſa. Imperator autem in prima acie verſari, ſuccurrere laborantibus, cunctos ſpe, atque exemplo incendere, ſtrenui militis munia, incorrupto honore Ducis, obire.

1686

In Turcas adventãtes Koniſmarchius mittitur.

Sed illi prȩlium detrectãt.

Has

1686 Has inter ſolicitudines quotidiè aſperabatur obſidium, crebriſque prȩliis obſeſſi fatigabantur: cùmque ollarum incendiariarum jactu arcis interiora exarſiſsent, placuit incolas vocari ad deditionem. Verùm nemo eorum ad id flectebatur: Sed adventantis exercitus fiducia pertinaciores, omnia ſe in armis repoſuiſse, modò objectos aggeres tormentis infeſtando, modò faces, tela, ſaxaque ingerendo, ſignificarunt. Intereà Præfecti Turcarum cohortes ſupervenere, quarum robur ad DCCC. M. peditum, ac II. M. equitum creverat. Hæ non procul ab exercitu noſtrorum ſtetere, ut per occaſiones deſcenderent in certamen. Novit Franciſcus aſtum barbarorum, pugnandique neceſſitatem; utiliſſimum præthereà fore, ſi præmaturo prælio eorum conſilia aut eluderet, aut prȩveniret. Quare ad cuſtodiam aggerum, quibus oppidum obſidebatur, parte copiarum ductori ordinum Alceniaco commiſsa, adoriri propero agmine Thraces conſtituit. Delectæ hac de cauſa cohortes. Theodori Laſcari, Comitiſque Aloyſii Benedicti Sylvatici, equites frontem, Brunſuvicenſium, Saxonumque copiæ tergum firmant: medium Corbonii, & Comitis Barnabò Vicecomitis Mediolanenſis equitatus, cæteræque Italorum phalanges tenent. Reliqua ad latiorem hoſtium metum callidè diſpoſita. Ubi verò, ita inſtructa acie, paulùm proceſsum fuit, objectumque collem Venetus miles inſedit, in arctius diſcrimen in-

Paratur certamen à Venetis.

inæqualitas loci rem inclinavit. Quippè, cùm ſubjecta planities in vallem deſineret, hoſtium caſtra in ejus exceſſu aggere, valloque firma ſine periculo peti ex imo non poterant. Nihilominùs verſa neceſſitas in virtutem: &, quò magis ſitus aſperitas obſtare videbatur irruentibus, eò majori formidine affecit hoſtem fortitudo Chriſtianorum, per abrupta locorum, adverſus ingruentia tela validiùs decurrentium. Corbonius ſuos provehere juſſus in pugnam, tanta vi Turcarum ordines disjecit, ut ipſe, paucis comitantibus, ad interiora hoſtilis aciei pervenerit. Ejus impetum plures cohortes ſubſecutę. Pugnantium verò multitudo brevì tàm arctè coivit, ut corpora obſtarent corporibus, & quamplurimi intra hoſtiles lacertos laborarent. Duas horas ambiguè dimicatum eſt, non ſine Corbonii diſcrimine; quem ab hoſtibus penè undiquè circumventum, lecti equites Vicecomitis, properè ab Koniſmarchio emiſſi, exemerunt. Jamque ſanguinis utrinque fuſi copia prælium incaluerat, cùm aliud periculi genus Thracum ferociam repentè confregit. Siquidem, cùm Hieronymus Delphinus idoneo tormentorum ſuggeſtu imminentem certamini collem inſtruxiſſet, gravibuſque ictibus Turcarum agmina ſupernè impeterentur, ingens horum cædes, ac conſternatio exorta. Indè remitti paulatim reſiſtentium pertinacia cępit. Neque multùm laboratum à Venetis, ut integrâ potirentur victoriâ. Cùm enim,

1686

Audacter à Marchione Corbonio initur ante omnes.

Hieronymi Delphini opus juvās ſuos: inde Venetorum victoria.

1686 nim, multis hoſtium interfectis, vulnerato plumbeâ glande latere, Præfectus ipſe in caſtra referretur; adeò pudorem reliquorum metus vicit, ut, abjectis turpiter armis, effractiſque paſſim ordinibus, omnes in præceps agerentur. Major tunc in fuga barbarorum cædes fuiſſet, ni extremos Saxonum, Brunſuvicenſiumque manipulos falſus rumor aliò incurrentium hoſtium turbaviſſet. Octingenti Thracum hoc prælio cecidere; noſtrorum tercenti, & quinquaginta. Caſtra quoque hoſtium direpta: capta militaria ſigna XXX. CC captivi, præter ingentem equorum, camelorumque numerum, in poteſtatem redacti.

Obſeſſi locum ſtatuunt deſerere.

Acta præda, miles reverſus ad vallum; continuòque data opera, ut locus quàm acerrimo bello detineretur. Veruntamen oppidani, amiſſis magna ex parte, quæ propugnationi neceſſaria erant, ita ſociorum clade commoti ſunt, ut vix fidei, editarum rerum, ac priſtinæ feritatis recordarentur. Una militum, præfectique vox: *decuſſos muros, numerum defenſorum imminutum, facile excidium. Impendere honeſtam conceſſionem detrectantibus turpem ſervitutem. Immò, ſi diutiùs reluctarentur, neminem iram victorum evaſurum.* Hęc cùm pavor, uti ſolet, fingeret in deterius, ſtatuerunt tradere Venetis arcem; antequàm hi, ſuperatis muris, armorum vi, & licentia victoriæ uterentur in victos. Quapropter, cùm ita Maurocenus cum caduceatoribus conveniſſet,

ut

ut tutò egrederetur præſidium, iis aſportatis, 1686
quæ quiſque vehere ex ſe poſſet; acceptis obſidibus, ab armis utrinque temperatum eſt. Digreſſi intra quatriduum oppido Thraces, navibuſque impoſiti, ut Alexandriam trajicerent. *Pylus occupatur.*
LIII. Tormenta reperta, ingens captivorum numerus redditus libertati: CCC. equos, & reliqua in longinquam regionem contendentibus impedimentum allatura, inter ſe victores partiti ſunt. Cęterùm Imperator, inſtauratis ſedulò muris, demandataque Petro Baſadonnæ, ac Stephano Lippamanio Patritiis Venetis oppidi præfectura, ingentia ſe eouſque permodicis viribus aſſecutum non ignorans, ardua omninò ſupereſſe intelligebat, quæ tamen prudentia, ac conſilio, eadem felicitate confici poſſent.

Itaque de oppugnandæ Methones momento agebatur, quæ ſicuti terra, marique prorsùs difficilis obſidentibus, ita ad contundendam ferociam hoſtis, integramque illius provinciæ poſſeſſionem comparandam ſola ſupererat. Hęc littoralis Meſſeniacæ regionis urbs eſt, clara *Methones deſcriptio.*
Philippi Macedonum Regis, atque Alexandri Magni patris obſidione, in qua ictu ſagittæ oculum amiſiſſe, memorant. Non amplius decem millibus paſſuum à Pylo diſtat; modicèque ex continenti prominens, qua parte inter Meridiem, Occidentemque porrigitur Peloponneſus, promontorium veluti effingit. Utrinque Me-

1686 thone Meſſeniaco mari alluitur; productis deindè mœnibus, Septentrionem verſus jungitur continenti, ibique valida admodùm arce defenditur. Loci munitiones foſſa, elatuſque agger ambit: contigua muris omni tormentorum genere pollent, licètque congeſtitia tellure non firmata ſint, ita tamen conſtructa ſunt, ut ſicuti ad fallendos, ita ad infeſtandos oppugnantes multùm conferant. Reliquam urbem, quam fluctus contingunt, robuſtiora mœnia, proceræque turres circumſtant. Ubi verò ad extremum ejus ambitus pervenit, exiguum, eumque arte paratum portum habet; quem exigua quædam arx, triginta fermè ab urbe paſſus in vadis locata, tuetur. Ditiſſimus circùm ager, feliciſſima ob ſalubres herbas loca; quæ multis, variiſque arboribus, & præſertim cedro, commeantium oculos pulcherrima viriditate, ac fructuum copia demulcent. Cætera regio modò exiguis collibus tumens, modò in planitiem feracem, extenſa, numero colonorum, commercio gentium, amniumque opportunitate ſcatens, jucunda ubique amœnitate exultat.

Felicitas regionis

Maurocenus loci oppugnaturus eò progreditur.

Franciſcus multùm militi, quem victoria recens incitaverat, plurimùm menti fidens, ac ſimul felicitate regionis permotus, in debellandę urbis conſilium deducitur. Igitur, cunctis ſedulò inſtructis, præmiſſaque claſſe, ipſe agmine propero iter dimenſus eſt. Ubi verò in editiora perductus naturam loci, ardua, utiliaque con-

tem-

templatus, quà faciliùs cingi obſidione poſſet, 1686
animadvertit; ſatius duxit ea primùm oſtentare, per quæ animos civium emolliret, clementer eos ad deditionem vocando. Verùm hi eſſe ſibi Mahometem Regem, pro quo fidem, & arma uſque ad extremum retenturos jactantes, conditionibus non aſſenſere. Acceſſerat, quòd non ignari commune periculum concordia eludendum, pręſidiis finitimorum convocatis, omne armorum genus, nec non ingentem annonæ copiam ex agris cautè congeſſerant. Pręfectus verò copiarum, quamvis toties aperto certamine ſuperatus, diſperſas tamen colligens cohortes, non conſilium, opemve defuturam reſiſtentibus, pollicebatur. Novit Franciſcus unam ſibi ſpem in vi, atque armis; nec ceſſuros Methonenſes, niſi aut interceptis ſubſidiis, aut muris ab imo convulſis. His de cauſis, ubi, pervaſtatis agris, obductoque aggere, tutam exercitui ſtationem paravit, tripartitò urbem pertentare aggreſſus eſt. A mari primùm, mox utrinque, quà arx continentem reſpicit, hinc Venetis, illinc Sociis per intervalla locatis. At ſicuti decus victoriæ, atque æmulatio virtutis incendebant mentes Chriſtianorum; ita auxiliorum ſpe elati Thraces, ubi plurimum periculi, ac laboris oſtendebatur, ibi vi majore obſiſtebant. Hinc non modò obſtruere fracta murorum, miſſilibuſque tormentis ſummovere hoſtem, ſed tànta telorum, igniumque vi ſtationes, operaque cuni-

Primùm tentat animos incolarum.

Sed abnuentes armis invadit.

Barbari acriter reſiſtunt.

1686 cunicularicrum turbare, ut nihil tutum munientibus paterentur. Plures dies eadem ferocia ſuſtentatum eſt à barbaris obſidium; & quamvis, nunquam oppugnatione intermiſſa, paulatim Veneti muris propinquarent, nihilominùs augeri in dies magis, quàm dejici Turcarum animi videbantur. Jamq; noſtrorum cohortes diurnis, nocturniſque operibus feſſæ vix laboribus ſufficiebant; &, cùm ſæpè tentari cuniculorum vim placuiſſet, ubi ad effectum operis ventum eſſet, haudquaquam proſperè cęptis res ſuccedebant. Metus indè, ne ex irritis Chriſtianorum conatibus creſceret barbaris animus, Pręfectuſque Turcarum in obſeſſorum auxilium properaret. Nihilominùs diù anceps fortuna non ſtetit: namque hoſtes, cùm ad omnia tuenda, atque obeunda multimoda arte diſtinerentur, demùm labore, cędibuſq; fatigati, atq; ipſa munimenti inopia, jam enim multæ urbis partes quaſſatæ erant, dejecti, haud procul exitio redactam rem cognoſcebant. Hinc alii alia arte quærendam ſalutem. Sed eorum ſententia vicit, qui, ſimulato deditionis conſilio, dandum ſubſidiis tempus, atque intereà reficiendos muros, cenſebant. Neq; ea ſpes vana penitùs fuit. Quippè differentes non abeſſe ſe à ſententia dedendæ urbis, compoſitis ad fraudem precibus, unius diei inducias petiere. Maurocenus ex temporis poſtulati anguſtiis dolum minimè ſuſpicatus, cùm prætereà deferrent exploratores,

Maurocenus unius diei inducias concedit obſeſſis.

lon-

longiùs Prefectum Turcarum cum exercitu de- 1686
tineri, lubens petentibus annuit. Attamen mitti ad obſidenda viarum compendia, curari diligentiùs excubias, turmas eſſe in procinctu, omniaque ad prælium naviter inſtructa haberi juſſit.

Verùm iſ ſe intentiùs muniunt.

Sed Thraces, ubi intercepta ſunt molimina Venetorum, reparandis murorum detrimentis ſummoperè intenti, quam, ſpecie concedendæ urbis, quietem imperaverant, in majoris pertinaciæ materiam convertunt. Igitur pro disjecto muro alium tumultuario opere ex ruderibus extruunt, curant corpora, arma parant; &, quæ faciliùs intentari adverſus obſeſsores tranſactis preliis experti fuerant, raptim congerunt. Ita victorię fiducia in atrocius diſcrimen deſiit; atque, ubi prima luce intraturos ſe urbem Veneti ſperaverant, hoſtiliter ab obſeſſis habiti, repentè in rabiem exarſerunt. Acrius idcircò de integro obortum eſt bellum; auctaq; ſimul utrinque decertantium ſolicitudo. Quippè, nec ignotum Imperatori, ſi diutiùs protraheretur obſidium, affuturum Turcarum exercitum; nec Methonenſibus incompertum, victores clementiæ immemores fraudem ſeveritate penſaturos. Intra ſpem, metumque aliquandiù pugnatum eſt; &, ni Franciſcus, qui cuncta per ſe inviſens nihil intentatum patiebatur, terra ſimul, & mari audaciam incolarum aſſidua cùm murorum, tùm hominum conſternatione cohibuiſset, fortaſsè

Aſperatur obſidio.

1686 taſsè, in arctius diſcrimen, vel adventu hoſtilium copiarum, vel noſtri exercitus jactura, res deducta eſset. At, cùm dies, noctesque obſeſſi tormentis, ligone, cuniculis, impreſſionibuſque turbarentur, atque intereà multos quotidianę cędes eriperent; nunquam magis fracti, ipſorum animi ſunt, quàm ubi interemptorum multitudine commoti ſuæ ſaluti proſpicere cœperunt. Siquidem, abſumptis viribus, angebat ſummoperè mentes triſtis captæ urbis cogitatio: non enim exciderat memoria Corones exitus, atrox ad recordationem ſpectaculum.

Tandem franguntur animi barbarorum.

Igitur crebra funera, ſtratas munitiones, incerta ſubſidia, atq; impendens vitę periculum demiſso animo circumſpicientes barbari, egregiam defenſionis laudem tuto conſilio junxere. Miſſi ergo caduceatores, qui Imperatori, ſervato prę ſidio, traderent urbem; peterentque, *ne iis libertatem denegaret, quibus vitam largiretur. Decertaſſe ſe pro Imperio, pro ſua, liberorumque ſalute. Non igitur verti in eo gloriam Imperatoris, ut virtutem defenſionis debellatorum ſanguine mulctaret. Verè egregium belli finem illum eſſe, qui ignoſcendo tranſigitur: quanta vi armorum in hoſtes, tanta beneficentia in ſupplices utendum. Relatam ex Methone victoriam, immortalis laudis materiam fore; magnanimitatis verò teſtimonium, ſi clementiam exercuiſſet.* His delinitus Maurocenus, &, qua pollebat, animi magnitudine incitatus, incolas cum bonorum parte ſalvos dimiſit; his tamen legibus, ut non Chriſtianorum tantùm,

Dedunt urbem, orantq; ut ſibi ignoſcatur.

ſed,

ſed, qui ex Africa eò congeſti fuerant, captivi, ſpolia, atque arma illicò Venetæ ditionis eſſent. Continuò, urbe in poteſtatem accepta, immiſſum eſt cum Ducibus pręſidium. Philippus Paruta Patritius Venetus Præfecturę loci, Ludovicus Gratianus cum octingentorum armatorum cohorte, cui præerat, cuſtodiæ deſtinatus. Intereà, dùm Thraces, ut diſcederent, navibus imponuntur, cæteraque inſtaurationis munia ſedulò Veneti ſubeunt, relatæ victorię nuntius, idem Ludovicus Gratianus ad Senatum mittitur, quem deindè Patres aureo torque decoraverunt. Hujus à me nomen pręteriri, non ſtudia ipſius erga Rempublicam, non accepta toties in bello, & præſertim Cretico, vulnera, ac demùm mors, non filii pietas paſſa eſt. Quamvis neque indoluerim prępropero fato parentis, cui pro Auguſtiſſima Republica cecidiſſe præclarum.

1686. Urbs occupatur.

Ludovicus Gratianus Venetias mittitur.

Cæterùm in urbe XCVI. muralia tormenta inventa fuerunt; ingens captivorum numerus receptus eſt in naves; reliqua miles paſſim diripuit. Hoc belli eventu parta Reipub. inſignis victoria, ſpoliis, armis, ac terris, quodque magis eſt, tuta locorum poſſeſſione. Neque enim ſpes hoſtibus erat regionis ampliùs repetendæ, perturbandæve, cùm omnia circùm Venetorum præſidiis clauderentur. Itaque unum, quod ſupererat, firmandæ urbis negotium diligenter abſolvi juſſit Maurocenus; hinc reparatis mœnibus,

Methone communitur.

1686 *Praconia Venetorũ in Mantocenum.*

bus, quà corruerant, illinc novis additis munitionibus, quibus faciliùs defendi poſſent. Interim non temperavere lætitiæ, ac laudibus Patres, ubi de geſtis rebus admoniti ſunt. Namque multa de Franciſci virtute in medium afferentes, non ampliùs ob fuſas acies, capta oppida, expugnataſque urbes, ſed ob ſubactas provincias addendos victori honores diſſerebant. Contrà hæc ingenti mœrore animos Thracum affecerunt: qui, cùm nobiliorem Peloponneſi partem, lectioreſque Imperii cohortes ſuccubuiſſe accepiſsent; nihil tàm exitiabile timor fingebat, quod, ne ſibi jam prope immineret, non pertimeſcerent.

FINIS LIBRI TERTII.

FRAN-

FRANCISCI MAUROCENI PELOPONNESIACI, VENETIARUM PRINCIPIS,

Geſtorum

LIBER QUARTUS.

EPITOME.

FRUSTRA *provocatis Turcis ad prælium, Imperator Naupliam obſidet; properantemque in urbis auxilium exercitum barbarorum bis fundit. Urbs demum expugnatur. Argos, & Thermis rediguntur in poteſtatem. Equeſtris dignitas in Petrum Maurocenum confertur, duratura deinceps in majorem hujus familiæ natu. Budam à Cæſare debellatam ſequuntur fruſtrà agitata pacis conſilia. Peſtilentia Peloponneſus inficitur. Franciſcus, expoſito haud à Patris exercitu, hoſtem prælio ſuperat. Patras, Rhium, Antyrrhiumque*

que , ac mox Naupactum ſubigit . Ideò ærea ejus effigies in Decemvirorum æde locatur , ac Peloponneſiaci cognomentum adipiſcitur . Honores in Maurocenorum familiam . Corinthus , Sparta , Thyrea , Chelonates , demùm expugnantur Athenæ . Marmorei Leones Venetias tranſmittuntur. Peſtis iterùm Peloponneſum vexat . Caſtrum novum ſubigitur ab Hieronymo Cornelio . Cædes Turcarùm ad Dravum agitur à Cæſare . Pulſo Mahomete Rege , evehitùr ad ſolium Solymanus . Marcus Antonius Juſtinianus Dux obit ; ac Franciſcus Maurocenus Princeps Venetiarum declaratur . Ingens lætitia Venetorum . Cretenſes ſeditione perturbatos ſtatuit invadere Maurocenus ; ſed fruſtrà . Evertuntur Athenæ . Eubœa tentatur : Koniſmarchiųs , ac Hieronymus Garzonius , fato concedunt . Externis captis munitionibus , ſed adverſum eventum nacta aggreſſione , obſidium, inſtante jam hyeme , ſolvitur : Princeps Naupliæ ægrotat . Hieronymo Cornelio Præfectura claſſis committitur . Reſtitutus valetudini Princeps Turcarum motus intra Peloponneſum cohibet . Epidaurum arcta obſidione cingit . Laurentius Venerius obit . Maurocenus in Ægæum proficiſcitur : ſed iterùm ægrotans revertitur Epidaurum . Accedente Hieronymo Cornelio , auctaque morbi ſævitia , Venetias contendit . Spalatum advectus, mirificè ab caſu quodam ſervatur . Tranſmiſſo dein Adriatico , à duodecim Legatis exceptus , ingenti pompa palatium ingreditur : continuòque ſolemnia Principatus peraguntur . Enſe ; ac Galea ab Alexandro VIII. Pont. Max. decoratur . Epidauri deditionem proſpera Hieronymi Delphini navalis pugna conſequitur . Cornelius , expu-

expugnata Aulone, moritur. Quartò Franciſcus Imperatorium Claſſis munus ſubit, profectuſque in Græciam, conatur provocare hoſtes ad pugnam. Æginam inſulam, arcemque milite, atque armis confirmat; Cætera dùm diſponit, media hyeme, acerrimo morbo correptus, ſummo cum omnium dolore, exanimatur. Funeribus Naupliæ, mox Venetiis ſolemniter perſolutis, multa in ejus memoriam à Patribus decernuntur.

1686 *Status utriuſque exercitus.*

EXpugnata Methone, paulùm conſtitit Maurocenus, ut hoſtium vires, conſiliaque, & quantum ſpei ſibi ex copiarum robore ea tempeſtate ſupereſſet, diligenter ſcrutaretur. Poſtquàm nec invalidum exercitum, nec multùm abeſſe auxilia ſuorum, omnia verò penes Thraces conſternatione depreſſa animadvertit; ſumptis armis, ſtatuit acriùs in deterritos incumbere. Urgebat Imperantis mentem demiſſa indoles, abjectuſque pavor Præfecti Turcarum; qui apertè congredi non auſus, huc, illuc ferens arma, prædonum more bellum gerebat. Hic poſtremò debellatæ urbis jactura altiùs concuſſus, ne militum animi omninò frangerentur, promptiùſque ſocios detineret in fide, finitimam regionem incurſare, prędas agere, ac Venetorum præſidia donis tentare; ut vel ſuſpecta omnia redderet Mauroceno, vel novum præſentibus malis remedii genus ex multiplici conatu exoriretur. Imperator nihil accommodatius ad reprimendam hoſtis audaciam reputans, quàm ut eum prælio ſuperaret; locum certamini inſtituit ſeptum agreſti aggere, aditu que permodico, ut ex inſperato Thracem deprehenderet, deprehenſumque redigeret ad pugnæ neceſſitatem. Verùm, ubi tempus fruſtrà conteri, doliſque ſe fatigari ab eodem videt, neque decertandi materiam præberi; perdomita ea Peloponneſi parte, quæ Mediterraneo mari alluitur, in alteram Peninſulæ regionem, Ægęo pela-

Imperator parat ſe ad prælium: ſed fruſtrà ob timorem hoſtium.

pelago contiguam, deferre arma decrevit. Igitur Argolicæ regionis urbem, nomine Naupliam, oppugnandam deligit; ratus, quod belli ratio poſcebat, Præfectum barbarorum laborantibus Nauplię defenſoribus venturum auxilio, ibique certiſſimum prælium futurum. Corone idcircò, ac Methone omni bellico apparatu communitis, impoſitoque in naves milite, eò, adjuvantibus auris, brevì perventum eſt. Latitantibus intra muros hoſtibus, inſtructa in proximo littore acies; eaque in urbis conſpectum deducta. Continuò propior Palamidis montis pars cum lecta cohorte à Koniſmarchio occupata; quę ex cômmodo obſidentibus loco urbem proſpectat.

1686

Statuit Nauplia invadere.

Nauplia, urbs antiquiſſima Peloponneſi, contra Orientem ſita, Argolicoque mari contigua, Regni arx quondam vocabatur. Ejus ſtructura ea præcipuè parte eminet, qua præruptus collis in continentis exceſſu verticem modicè extollens, Argivi ſinus fluctibus pulſatur. Non conditorum induſtria, non ſitus opportunitas urbis munimenta defuere. Si namq; naturam inſpicias, aptè pelagi, ac continentis commercio fruitur, difficilemq; oppugnantibus aſcenſum per confragoſas rupes præbet. Artis verò ingenium in eo potiſſimum apparet, quòd prævalido męnium ambitu, internis, externiſque munitionibus, robuſta demùm arce pollet, quam ingens militum, atque armamentorum cujuſque generis apparatus cuſtodire conſueverat. Eadem parte, qua ad mare

Nauplię ſitus, & deſcriptio.

1686 re collis pertinet, capax plurium navium portus inęqualiter ſe inter ſaxa inſinuat; cujus oſtio hinc urbs, indè appoſitè conſtructa arx ita imminent, ut invitis incolis ſubire navigia minimè queant. Ex adverſo dites ſunt vici, ad quos tamen nonniſi per anguſtiſſimum tramitem datur evadere: reliquum montis invia ſaxa circumſtant. Cæterùm Palamedes mons in urbis conſpectum aſſurgit; cujus verticem cùm pars Venetarum copiarum jam inſediſſet, reliquæ intereà cohortes ad ipſius radices caſtra poſuere. Incolæ ad primum noſtrorum adventum nonnihil territi, cùm erectis deindè animis arma ſumpſiſſent, auſi è męnibus erumpere, expedito agmine in objectos aggeres inopinanter irruerunt. Edita tamen vix ſpecies certaminis: ut enim in hos levis impetus à Venetis eſt factus, verſis ordinibus, longiorem pugnam detrectaverunt. Auxit barbarorum pavor fiduciam Imperatoris; quamobrem raptim communita caſtra, obducti aggeres, omne armorum genus intra munimenta redactum. Nec ſegniùs Koniſmarchius rem gerebat. Quippè, cùm montis cacumen in valli modum aptaſſet, tormentorum ſuggeſtibus ibidem conſtructis, parare ſuorum animos ad diſcrimina, petere urbem tormentis, demùm, additis ollis incendiariis, ingenti terrore obſeſſos adoriri. Intereà navalem quoq; oppugnationem claſſis exorſa eſt. Quinimmò naves pontibus ſtratæ, tormentiſque inſtructæ aderant, quibus

Occupatur Palamedes mons.

Incolæ erūpunt e muris, ſed pelluntur à Venetis.

Obſidio ſedulò intētatur.

oppor-

opportunè diſpoſitis, ita urbs infeſtabatur, ut nulla parte diſcrimine vacaret. 1686

Turcæ vallo Chriſtianorum propinquant.

Dùm hoc ardore proſternere latiùs muros Maurocenus adnititur, Præfectum Turcarum cum valido exercitu, quem coactis delectibus auxerat, Argos tenuiſſe, atque, ubi novas ab Eubœa copias excepiſſet, ad ſolvendum obſidium adfuturum, nunciatur. Attulit Venetis non levem tutandi exercitum, præcavendique certaminis curam proximus hoſtium adventus; cùmque multiplici ex parte ob varietatem viarum alios alii conatus ſuſpicarentur, confirmari novis aggeribus obſidionales acceſſus, & curari diligentiùs excubias viſum eſt, ne vel improvisò ruere, vel facilè perfringere vallum barbari poſsent. Veruntamen Maurocenus aut nocturnam caſtrorum oppugnationem, aut inopinatum aliquem hoſtium impetum imminere intelligens, nihil cunctandum cenſuit, ſed, antequàm novum iiſdem robur adderetur, in aciem deſcendendum. In hanc mentem compoſitus inſtrui jubet exercitum, cohortes in limite locat, &, ne interim obſeſſi ſubſidiis levarentur, jam enim trecenti milites prætoriani à Præfecto Turcarum ſubmiſſi clam urbem intraverant, ſuſpectiora loca hinc levis armaturæ manipulis, illinc triremibus claudit. Reliquum gerendæ obſidionis munus Præfecto caſtrorum Hieronymo Delphino demandat; quo in bellicis rebus adminiſtrandis neminem manu, conſilioque

Maurocenus decertare ſtatuit.

Delphino obſidionis negotium commendat.

1686 que promptiorem expertus fuerat. Converſis exindè ad certamen ſtudiis, ut ſimulatis quoque motibus diſtraherentur vires hoſtium, è triremibus duo armatorum millia exponit, qui ſub concurſionis initium terga Turcarum aggrediantur. Diſpoſitis manipulis, optimo ordine extra vallum proceſſum eſt. Ubi verò caſtra caſtris collata ſunt, pugnę ſignum Venetis datum. Id ubi Thraces animadvertunt, properantes arma capiunt, parati primùm pro caſtris conſiſtere. Verùm, ubi propiùs noſtrorum cohortes acceſſere, utrinque magno clamore concurritur. Turcę objecto equitatu perturbare hoſtium cornua conantur; Veneti ſub ſignis eſse, confertaque acie repellere irruentes. At via erat inaſſuetis minimè opportuna. Namque Turcarum equi facilè inter virgulta evadebant; peditum verò Venetorum greſſus inæqualitas loci plurimùm remorabatur. Varia idcircò certaminis facies, diùque ancipiti exitu dimicatum. Tandem, ubi turbæ fluctuantis impulſu in objectos ordines nonnihil noſtri penetravere, Turcarum Præfectus lævam exercitus alam undique circumventam à Venetis, militeſq; nec ſigna, nec ordines ſequi, multos cedere, paucos inſtare, denique diſcrimine, ac cladibus plena omnia cognoſcens, tutius conſilium ſequi decrevit. Dum enim colligi raptim ſarcinas, ac tentoria jubet, prior ipſe fugam exorditur: Nec defuere, qui ſtatim abeuntem ducem, abjectis armis, ſeque-

Prælium conſeritur.

Præfectus copiarum Turcicarum fugit.

ſequerentur. Ut ſenſere Veneti hoſtem minùs 1686
incurrere, ſtipato agmine in perterritum invecti. Neque cunctatum apud latera; quippè globis armatorum utrinque immiſſis, undique agminibus Turcarum, proſternendo objectos, circumfunduntur. Turbavit ea res hoſtium multitudinem: mox, invaleſcente ob metum tumultu, quidam apertè terga dantes, ut fit, etiam integros averterunt. Tunc Venetus miles diſſipatos diù perſecutus eſt. At, ubi labore, æſtu, locique aſperitate languidos ſuos Maurocenus ſentit, ne eos in majus diſcrimen per anguſta viarum impellat, ſignum dari imperat receptui. Multi à Turcis, pauci à Chriſtianis hoc prælio deſiderati. Inter hos tamen Comes Carolus Koniſmarchius, Præfecti copiarum nepos, fortiter pugnando, ſauciati equi ungula penè protritus eſt. Non ideò tamen diù ſervatus, paucos enim intra dies fato conceſſit.

Chriſtiani de exercitu hoſtili victoriā referunt.

Co: Carol. Koniſmarchii mors.

Relata à noſtris victoria moverat quidem, at non fregerat animos obſeſſorum: vocati enim ad deditionem, defenſionis, quam paraverant, exitum, aut victoriam, reſponderunt, aut mortem futuram. Ob id obſidionales acceſſus ad extrema uſque munimenta producti, aucti tormentorum ſuggeſtus, quorum ope ingens mœnibus ruina inferebatur. Inter reliqua tamen Chriſtianorum molimina unus erat Palamedes mons, ex quo obſeſſi excidium pertimeſcerent. Enimverò tanta ollarum incendiariarum grando

Obſidium exaſperatur.

Qq 2

1686 do in urbem indè depluebat, ut cuncta intra muros incendio, cladibuſq; involverentur. At neque in Venetorum caſtris rara cędes. Nonnulli obſeſsorum opera, multi æſtus vi conficiebantur. Demùm, quęcunq; tentarentur in perniciem Turcarum, nonniſi ingenti labore, viriumque jactura ad exitum perduci poterant. Hauſit inter reliquos propera mors ſtrenuos duces Barbonum Bragadenum, Patritium Venetum, Comitemque Barnabò Vicecomitem: nec multò poſt Equitem Alceniacum, qui, dùm, effractis hoſtium clauſtris, in urbis foſsam cum armatorum copiis evadit, plumbea glande confoſsus eſt. Sub idem tempus, quo hęc agebantur, opportunum feſſis ſubſidium, aliquot naves Venetorum advenere: quibus, pręter quandam militum manum, & rei omnis bellicæ ingentem apparatum, Gaſpar Bragadenus, Angelus Michaelius, ac Hieronymus Priolus ad obeunda armorum munia deſtinati ab Senatu, vehebantur.

Bragadeni, Vicecomitis, Equitiſque Alceniaci mors.

Pręfectus Turcarũ rursùs advenit in ſubſidium obſeſſorũ.

Dùm adverſus Naupliam ſic certatur, Turcarum Præfectus intelligens ex tantæ urbis expugnatione extremum Peloponneſi fatum pendere, collectis denuò novem armatorum millibus, quibus mille, & quingenti velites ab EubϾæ Præfecto miſsi recenter acceſserant, imminentem noſtrorum caſtris collem conſcendit. Neque diù pugnæ diſcrimen dilatum eſt. Quippè, ut fidentis ſpeciem daret, ingenti impetu in

in obſeſſorum vallum irruens, omnem reſiſten- 1686
di ſpem iiſdem demere aggreſſus eſt. Incertus *Exemplò deſcendit in aciem.*
primò Venetus miles, quidnam inopinatâ pugnæ facies minaretur, immoto agmine, torpentibus veluti viribus, paulùm ſtetit. At, ubi hortantibus tribunis, ac centurionibus, quos Imperator alacri oratione erectos per ſuorum ordines properè miſerat, objectæ hoſti Ultramarinorum cohortes fuere; haud impari ardore à reliquis quoque cœptum eſt prælium. Eodem tempore Maurocenus, cujus latus Petrus Legatus ſtipabat, ad pugnæ locum feſtinavit. *Maurocenus exemplò ſuos accendit.* Utque, vim hoſtium avertendo, diſcrimen ſuorum molliret, educi raptim è triremibus epibatas jubet, ac decurrentem equitatum hoſtis laceſſere. Ipſe equo inſidens circuire agmen, ſubſidiarios manipulos, quà res poſtulabat, emittere, adverſus prominentem hoſtium aciem milites acriùs impellere: hortari ſimul, *ut incondito barbarorum agmini ſtrenuè reſiſterent; neve ab iis, quos nuper deformi clade affecerant, fundi ſe modò paterentur. Maturarent requiem operum, præmiumque laborum: eam enim pugnam exitum tàm diuturnæ obſidionis allaturam.* Jamque efferatis dimicantium animis, atrociter hinc indè pugnabatur. Non frons, non terga, laterave exercituum diſcrimine immunia. Undique hoſtis immani ſpe ferox decurrens, ordinem prælii variis terroribus miſcebat. Abſumpſit utrinque hæc acies agminum robur; verteratque demùm periculum in Venetos, ni Impera-

1686 perator ſitam in lęvo cornu cohortem adverſus disjectam ejus partis barbarorum alam provehens, improviſam victorię ſpem intuliſſet. Retroagi tunc Thraces cęperunt, quamvis alterius partis ordines in integro adhuc permanerent. Ubi autem ad proximi collis radicem redacti ſunt; veriti loci anguſtias, terga vertere, niti, ut ad montis culmen evaderent, ipſaque multitudine officiente, quaquaversùm diſſipari. Tunc cæſi barbari ad Venetorum ſatietatem: multique, cùm nec ultrò progredi, ob inaceſſas cautes, nec retrorſum verti, inſtantibus Chriſtianis poſsent, atrox ſpectaculum præbentes, ab inſequentibus veluti per ludibrium haſtis figebantur. Reliqui partim aditu facto per proximam planitiem fuſi, partim in juga montium concedentes, eluctati locorum difficultatem, ſtragibus ſe ſubtraxere.

Fuga Thracũ, atque ingens eorũ cædes.

Fuſis hoſtibus, ad vallum reverſus Imperator, Immortali Deo grates perſolvit, ſuos ſedulò reficit; addens prætereà munificentiam, meritos ingentibus præmiis donat: univerſos, & præcipuè Pręfectum copiarum Koniſmarchium laudibus effert, quem opportunam opem ſuis afferentem immani vulnere exceptus equus pręcipiti caſu in humum effuderat. Cætera, quæ ad excitandos militum animos valent, nuſquam omiſsa. Ubi verò quieti parùm indultum eſt, exercituſque viribus ſufficere viſus; ad coarctandam obſidione urbem copiæ proceſserunt.

Mauroceni ſtudia.

Koniſmarchii virtus.

Addi-

Addita damnis armorum minarum quoque irritamenta. Siquidem obtruncata hoſtium capita lanceis affixa in conſpectum urbis elata: ſimul, remiſſis duobus captivis, ſignificatum, ni reſipiſcerent incolæ, inſtare extrema. Tunc, quod armis invium, terrore victum eſt. Enimverò, fuſo ſuorum exercitu, non auſi ſunt defenſores ultra reluctari. Igitur, impetratis albente vexillo induciis, adfuere caduceatores ad paciſcendam Naupliæ deditionem. In medium prolatis conditionibus, libenter permiſſum ab Imperatore, ut Thraces, traditis captivis, tutò urbe decederent. Greci verò (MM.CC. erant) qui abire ſedibus ſuis ęgrè paterentur, patriam incolerent. De reliquis ſtatutum eſt, ut, quę ad uſum belli ſpectabant, in ditionem Venetam ſtatim tranſirent. XVII. Tormenta in arce reperta, in urbe LXI. Duæ ſimul triremes, omni armorum generæ inſtructæ, à victoribus occupatæ. Acta præda, ad inſtaurandas loci minitiones converſa ſunt ſtudia. Intereà, Præfectura urbis Fauſtino Ripæ, ac Benedicto Bollanio, arcis autem Marco Priolo, eximiæ fortitudinis, conſiliique viris demandata, de cuſtodiendis regionis finibus actum eſt.

1686

Incolę diſpoſitum ad deditionem.

Occupatur à Fidelibus urbs,

Maurocenus eam primùm partem tutiorem reddere exoptans, quæ diſcrimini propior videbatur, Argos oppugnare conſtituit, captumque idoneo munire præſidio, ut prodeuntibus Turcis à tergo eſſet. Prævenere tamen incolæ obſidionis

dionis

1686 dionis conatum, ad famam acceptarum cladium ſpontè dilapſi. Idcircò miſſi cum copiarum parte centuriones, vecta arma, commeatuſque, ut non defendi tantùm locus poſſet, ſed etiam Turcę veluti aggere quodam coerceri, ne in occupata rursùs irruerent. Magni olim momenti urbem, immò totius Peloponneſi clariſſimam Argos fuiſſe memorię proditum; unde Argivi nomen habueret. Sita eſt haud procul à Mycenis, viginti quinq; millia paſſuum à Corintho Naupliam verſus diſtans. Modico ambitu validum murorum nexum complectitur; & quamquam Turcarum Præfecto, cum reliquiis exercitus propiùs agenti, plurimùm uſui cùm ad provinciam tuendam, tùm ad opem præſentis fortunę eſſet: non tamen inventi ſunt ea in conſternatione animorum, qui locum propugnarent. Similiter & Thermis oppidum, haud multùm diſtans ab Argo, captum eſt, ac permunitum. His perfectis, ne majori labore militem fatigaret Imperator, navales ſocios, terreſtreſque copias in hyberna dimiſit. Ipſe verò etiamnum inquies ad maritimas curas animum vertit; ſtatuitque Ægæi Inſulas, & portus perſcrutari, ut, ſi in Turcicæ claſſis Præfectum, annonam, atque armatos in Peloponneſi oppida comportantem incidiſſet, navale quoque certamen conſereret. Ergo rebus ſuorum compoſitis, in altum provehitur. Jamque Achajæ littora luſtrabat, cùm adeò fęda tempeſtas miſcere maria cœpit, ut

& continuò Argos.

Ejuſdem deſcriptio.

Thermis.

Ægæum percurrere cupientem Maurocenum tempeſtas revocat.

ut neque intra portum tuta penitùs à turbine navigia eſſent. Diù ea procellæ vis pelagum agitavit; incertiſque motibus fluctus ita agebantur, ut nemo nautarum intra viginti dies à portu ſolvere auſus fuerit. Cùm interim appeteret hyems, omniumque corpora ob frigoris ſęvitiam turbari cœpiſſent; relabente æſtu, Imperator quoque diuturna maris jactatione ęger, Claſſem ad hyemandum Naupliam reduxit. 1686.

Proficiſcitur in hyberna.

Anno his Turcarum cladibus illuſtrato, lætiſſima Reipub. facies fuit, cui bellum præter omnium expectationem prævalido hoſti indictum, non decoris tantùm, ſed etiam incrementi multum addiderat. Hinc in omnium ore Franciſci præconia, publicè edita lætitiæ ſigna non modò à Venetis, verùm ab externis quoque nationibus. Præcipuè Senatus, in cujus ditionem ampla regio tranſierat, nunquam paria dignitatum munera in Maurocenum conferri poſſe arbitratus eſt, ni ea in familiæ hæreditatem, cui tantum virum debebat, verterentur. Quapropter Petrus Maurocenus, Imperatoris Nepos, qui in obeunda his belli temporibus Legatione, erectum ingenii robur, nec abſimilem à virtute Patrui animum probarat, D. Marci Eques declaratus: decretumque, ut in poſterum major ejuſdem familię natu hac dignitate, tanquam perpetuo patrimonio, frueretur. Hęc inter ſpem, lętitiamque Venetiis acta. Verùm alia omninò Byzantii rerum facies erat. Quippè, ob adverſos e-

Equeſtris dignitas in Petrū Maurocenū collata; duratura deinceps in majore hujus familiæ natu.

1686 xitus pugnarum, exaſperatis Turcarum mentibus, nuper oppreſſa ſeditio populi validiori tumultu rursùs erupit. Sub idem fermè tempus præſentibus ærumnis expugnatæ Budæ rumor acceſſit; quę ampliſſima urbs eſt, inferioris Pannoniæ metropolis, juxtaque Danubii ripam jacet. Hæc aliàs Cæſaris armis fruſtrà tentata: verùm hoc anno aſperrimæ obſidionis conatu macerata, irrumpentibus demùm copiis Germanorum multa Thracum ſtrage conceſſit. Hinc eò altiùs urbis jactura Turcas commovit, quòd ad obſidii famam digreſſus Byzantio Regii Sigilli cuſtos Solymanus cum ſexaginta millibus armatorum, ad certam veluti victoriam properaverat. Non defuere tamen artes, quibus hic quoque motus nonnullorum cæde compreſſus poſtremò evaneſceret. Continuò ventum eſt ad remedia, ut, ſi tolli penitùs damna non poſſent, illud ſaltem cautum eſset, ne vulnus ulteriùs ſerperet. Omnibus penſitatis, nihil tutius eas inter anguſtias inventum, quàm ut, Repub. à bello avocata, quamprimùm pax perpetraretur: *Multas Imperii provincias in lubrico eſſe; Peloponneſi cuſtodem exercitum ſtragibus, ac terrore confectum; urbium præſides, nec pares animo, nec viribus inſtructos. Laborare intereà ſedem Regni rerum omnium indigentia; civium quamplurimos bona, fortunaſque in tributum egeſſiſſe: vix remanere, quod crudelitas primorum exugeret.* Itaq; imminentia mala nonniſi quietis ope averti poſse Mahometes Rex, ac Solymanus cognoſcen-

Buda à Cæſare expugnata.

Conſilia pacis à Turcis prolata.

ſcentes, ſolidiora quietis conſilia pertractare, inconcuſſa fœdera Venetis polliceri, ſuos ſpe pacis ad lętiorem mentem revocare. A quibus ſtudiis ubi penitùs abhorrere Senatum, animadvertunt; neceſſitate armorum coacti, colligunt raptim milites, opes parant, inſtruunt claſſem, præfectorum alios præmiorum ſpe, alios minarum terrore ad ſtrenuè agendum acuunt.

1686

At incaſſum propoſita.

1687

Igitur utrinq. bellici apparatus inſtruuntur.

Dùm hi motus in Regia barbarorum erant, Senatus, cui major in dies armorum cupido, ad ea paranda, quę bello opportuna, ſedulò incumbebat. Eadem quoque in Gręcia noſtrorum ſtudia. Verùm inter has curas atrocior peſtilentiæ vis Peloponneſum invaſit. Hæc primò paucorum interitu prodita, omne Mauroceni ſtudium ad amputandas morborum radices, antequàm vis mali univerſum inficeret exercitum, evocavit. At, dùm ad egerendos è ſanorum numero ægrotos animum intendit, longè major peſtis ſævitia animos omnium improviſo pavore corripuit. Evulgata labes in dies gliſcebat: domus funeribus, viæ ſqualore, & luctu complebantur; cùmque velocitas mali cuncta populando multùm anteiret remedia, vix ulla Peloponneſi regio intacta à peſtilentia videbatur. Igitur, cùm pleræque urbes ob luis latè deſævientis indicia notæ, reliquæ ſuſpectæ Mauroceno eſſent, non civitatum modò, verùm etiam navigiorum commercia intercipi juſſit. Colligi prætereà ſaucios, atque in aliam regionem

Peſtis vi Peloponneſus perturbatur.

1687 abduci placuit; ut, ſi penitùs evelli morbus non poſſet, proviſum ſaltem eſſet, ne multitudo ægrotantium aeris inclementiam vehementiùs aſperaret. Inter hæc Imperator cum aliquot navigiis Leucadem profectus, eò meliorem exercitus partem ſecum deduxit. Diù miſeranda hominum clade univerſum terreſtrium, maritimarumque copiarum robur elanguit; tandem eadem die, qua D. Antonii feſtum celebratur, cognitum, omnia circùm in priorem ſanitatis fiduciam repentè reſtituta. Acceptum id in omen futuræ felicitatis; actęque, juſſu Imperatoris, D. Antonio grates. Non multò poſt onuſtę armis, ac milite naves convenere; concurſuque finitimorum in dies exercitus auctus. Navales ſocii hoc anno ſuſpicantes occultè adhuc ſerpere peſtilentiam, non auſi ſunt claſſem attingere. Reliquum verò copiarum tantùm intra Julii menſem in unum redactum eſt.

Tandem peſtis extinguitur.

Maurocenus, ubi animos ſuorum erectos videt, cunctaque ad bellum præparata; quibuſdam roſtratis navibus properè commeatu, armiſque oneratis, Naupliam proficiſcitur. Exploratis ibi munimentis, quorum alia obſidione corrupta inſtaurari, alia, quæ utilia fore defenſioni urbis expertus fuerat, de novo extrui juſſerat, auctoque annona, ac cæteris neceſſariis præſidio; Coronem primùm, mox Methonem contendit. Non ibi liberalitatis, non amoris officia prætermiſſa, ut populorum animos ſibi

Comitas Imperatoris erga ſuos.

ſibi firmaret. Una erga omnes animi magnitudo, ac comitas. Hinc permulti ex finitimis pagis civitate donati, conceſſa bona, remiſſa vectigalia, penſataque præmiis merita veteranorum. Neque ii modò, qui ſubactam regionem, & proximas arces incolebant, ſed diſſiti quoq; à finibus, clementiæ fama commoti, oblatis præſidiis, in commilitium accepti ſunt. Aucta his ſtudiis ſuorum fides, hoſtium ſpes, atque inſolentia repreſſa; adeò ut non minus armis, quàm pietate, in tuta loci poſſeſſione comparanda, eum profeciſſe conſtet. Hæc ubi perfecta Leucadem reverſus eſt, ibique ſummi facinoris gloria permotus, Naupactum, ac Patras oppugnatum ire conſtituit. His oppidis ademptis, Turcis undique pulſis, nec ubi conſiſterent, nec quid tutum invenirent, habentibus, ne remorandi quidem cauſam in Peloponneſo fore. At in tanto conatu ſicuti non una victoria, ita plura diſcriminum genera ſebeunda erant. Turcarum enim Præfectus, qui non procul à Patris hybernaverat, omne recenter conflati exercitus robur in ejuſdem regionis cuſtodiam detinebat. Loca verò ipſa non ob mœnia tantùm, viroſq; ſed multò magis ob ſitus aſperitatem expugnatu difficillima. Qua etenim parte Peloponneſus in Septentrionem verſa eſt, modicè Ætoliæ extremum verſus porrigitur, labiiſque invicem ductis, fretum effingit, quod Patras, Naupactumque interfluit. Hujus aditum utrinq; aptè commu-

1687

Maurocenus molitur oppugnationẽ Naupacti, & Patrarum.

Dardana oppida Peloponneſi, atq; Ætoliæ.

1687 munitæ arces, quas vulgò Dardana appellant, Anthyrrium hinc, illinc verò Rium cuſtodiunt; atque ita extremitate murorum, per ultimam littoris oram ducta, interjectum mare tuentur, ut ingredientibus navigiis apprimè immineant.

Naupacti ſinus, deſcriptioq;

Has inter arces Naupactęus ſinus clauditur, ſumpto ab oppido nomine, quod non procul ab Acheloo amne interiori ſinus parte ſitum eſt. Spectabilis prorsùs ejuſdem ſtructura. Quippè, latè ducto per prærupti collis margines quino murorum ambitu, ita naturæ loci aptarunt incolę arcis munimenta, ut nihil aliud oppidum videatur, quàm collis munitiſſimus; hic verò arx optimè inſtructa.

Et Patrarum.

Ex adverſo, in Peloponneſi ſcilicet extremo, Patrarum urbs in conſpectum venit, juxta Olenum, D. Andreæ Apoſtoli paſſione celebris. Duplex huic murorum ordo, arxque crebris vallata turribus; quarum ope facillimè ſubjectos viros oppidani tuentur. Reliqua collis, cui adhæret, portio fuſis amenis ædificiis ad voluptatem referta commoda humo, ac felicibus paſcuis exuberat. Cæterùm uterque locus eò magis oppugnantibus arduus, quòd præter naturam ſitus, congeſtaſque munitiones, ingenti copia militum, atque armorum nuper inſtructus fuerat, ac prætereà pro ſe quiſque, quæ diuturnæ obſidioni tolerandæ ſunt, ex agris convexerat; haud ignaris Turcis, ea parte belli conatum futurum. In hoc rerum diſcrimen deductus Imperator, quamvis

vali-

validum hoſtem, paratamque bello regionem 1687
comperiſſet, expertus nihilominùs plura in bellis conſilio, atq; auſpiciis, quàm armis, ac manibus geri, animum à facinore in ea inclinatione rerum continere non potuit. Igitur, vergente jam Julii menſe, Leucade ſolvens, Patras proficiſcitur. At vix in urbis ſinum navigia redegerat, cùm neceſſarium ſtatim prælium animadvertit. Siquidem Turcarum Præfectus expedito exercitu Patrarum fines obſidens, quò plus terroris noſtris objiceret, aciem inſtruxerat, diſpoſitis ubique cuſtodiis, aggeribuſque, quibus oppugnandi loci ſpem demeret Imperatori. Nihilominùs hic, obſervato loci ingenio, antequàm Quinqueremes, naveſque littori propinquarent, juſſit ad Anthyrrium triremes accedere, ne deprehenderet hoſtis, quam ſibi priùs tentandam partem Veneti milites elegiſſent. Ubi verò altera dies illuxit, Præfectus Caſtrorum Hieronymus Delphinus, educto non procul à Patris milite, inſtruendam aciem Comiti Koniſmarchio tradidit. Is, dùm aptam explicandis manipulis planitiem occupat, trecentos equites ab hoſtium aggeribus emiſſos ſuſtinens, lætiora conatus initia fecit. Quippè, fuſis brevì barbaris ordinibus, tanto impetu perſecutus eſt fugientes, ut, qui evaſerant, tumultu, ac terrore vallum impleverint. Tunc à noſtris poſita caſtra; copiæque per intervalla locatæ, quibus equitum turmæ utrinque affundebantur.

Imperator Patras contendit.

Educuntur copiæ; ac ſtatim levis concurſatio à barbaris facta.

Sed

1687 Sed Maurocenus, quem debellandi hoſtis, obſidendarumque arcium deſiderium urgebat, rebus ad certamen comparatis, ſtatuit intra vallum barbaros invadere. At difficilis omninò ſemita videbatur, quæ ad ipſorum caſtra ferebat; diùque in ea laboratum fuiſſet, ni proditum à transfugis longius quidem, at tutius, plurimùmque ſaltibus abditum iter Imperantis fiduciam erexiſſet. Itaque, adamato pugnandi conſilio, ubi turmas, & manipulos inviſit, ac certaminis munia in ſingulos duces partitus eſt. *Ea tandem*, inquit, *dies, milites affulſit, qua daretur virtuti veſtræ aditus ad victoriam, nuſquam nobiliorem, quàm dùm totis cum viribus ruere in prælium Thraces ſtatuunt. Una hæc contentio ſupererat, in qua de rerum ſumma decertaretur. Cecidit enim Turcicæ feritatis pervicacia, ubi hæc acies ſecunda vobis contigerit. Qui hoſtes adſint, quantumque iiſdem robur, tot pugnarum eventus ſuperioribus annis declaraverunt. Ii ſunt, quos aut virtute veſtra, aut fortitudinis fama perterrefactos ægrè ad ſigna compulit crudelitas præfectorum. Dimidium victoriæ ante pugnam pavitans vobis turba concedit; nec ſunt inter eos, quos timor magis agitet, quàm qui aliàs manus vobiſcum commiſcuerunt. Reliqua tyronum multitudo, ubi prælium incaluerit, promptiùs formidinem ſuorum, quàm pugnæ ordinem ſequetur. Præfectus ipſe profugus, poſtquàm intutas latebras ſenſit, nunc deſperatione actus opem ab audacia quærit. Vos tot præmiis aucti, tot rebus geſtis clari, dùm nec ſtrenuæ gentes, neque ignota acies obver-*

Aggreſſurus hoſtes Maurocenus, ſuos alloquio erigit.

obverſatur, decus veſtrum, ignaviam hoſtium recenſete. 1687 *Optanda erat pugna, ſi eam fata diſtuliſſent; quæ cùm adſit, nunquàm peritura victoriæ gloria ſignanda eſt. Hactenùs nobiliſſimam provinciam onuſti Turcarum ſpoliis, læti urbium oppugnatione, ingenti cum laude percurriſtis: nunc hoſtilium copiarum ſummam, Peloponneſique ultimos fines obtinentes, explebitis vota Chriſtianorum, expectationem barbarorum ſuperabitis. Itaque memores priſtinæ virtutis, uti prudentes cum imperitis, victores cum perterritis confligite. Patent quatuor opulentæ arces: nec enim deerit mihi conſilii vis, qua earum Præfectos eludam. Magno igitur animo hoſtium agmen perrumpite: præda ſub oculis veſtris eſt. Suppetunt vobis gloriæ ſimul, præmiique incitamenta; alterum laboris pretium erit, alterum fortitudinis.* Dicentis fiduciam alacritas militum ingens ſecuta, continuòque imperatum, expedirent arma, firmarent corpora cibo, ut, ſi longior eſſet pugna, viribus ſufficerent. Intereà Maurocenus, ne, ubi certamen commiſſum eſſet, ſubſidia ab Naupactæis ad barbarorum caſtra mitterentur, quibuſdam triremibus ductis à Benedicto Sanuto, qui ſinus Adriatici Præfecturam gerebat, cuſtodiam ſinus demandavit.

Ardorem copiarum excitat.

Venetus exercitus in hoſtem ducitur.

Cunctis deindè ſumma diligentia, ut rei magnitudo poſtulabat, ordinatis, circa primam noctis vigiliam motus per Koniſmarchium à caſtris exercitus indicatum iter exorſus eſt. Quo ſub tenebris confecto, cùm ad ortum fermè lu-

1687 cis ad hoſtium vallum ſine ſtrepitu, ac tumultu perventum eſſet, ſtatim ſigno dato à ſclopetariis cœptum eſt prælium. Turcæ, eam tentari caſtrorum partem, quam tutiorem arbitrati fuerant, cernentes, ægrè primos noſtrorum impetus ſuſtinuerunt. At, ubi neceſſitate ferociores, totis agminibus deſcenderunt in certamen, in directum utrinque nitentes, aſſultantium cuneum à cętera prominentem acie tàm validè impulerunt, ut non modò adverſi agminis æquarent frontem, verùm etiam ulteriùs penetrando, ſinum in medio facerent. Tunc dexterum Venetorum cornu turbari maximè cępit; & ni Brunſuvicenſes copias in eandem partem opportunè Koniſmarchius deduxiſſet, res eò jam devenerat, ut nutare paſſim illius alæ manipuli viderentur. Sed, accedentibus auxiliis, aliſque utrinque reductis, aſperata illicò pugna eſt; continuòque, cęde latiùs facta, conati dimicantes extendere cornua, ut & ab tergo hoſtem clauderent. At, cùm immotis ordinibus objectus ſtaret peditatus, atq; intereà equites irruentem incautè in medium multitudinem diſſiparent, diù æquo marte prælium proceſſit. Sub idem tempus clamor permixtus hortatione, gemitu, ictibus ingens ſublatus, maximè verò fremitus equorum, immenſique agminis murmur, è ſaltu quodam propiùs advolutum. Sylva enim dexteræ caſtrorum parti imminebat, crebris arboribus conſita, extra quarum caliginem Turcarum

Prælium committitur.

Sed cruentum, ambiguumq;

1687

rum copiæ veluti ad inſidias erumpebant. Auxit id diſcriminis momentum, cùm non modò ignorarent Veneti, quanto cum hoſte res eſſet, ſed etiam feſſi cum recentibus, ac vegetis difficillimè pugnarent. Verùm Maurocenus, ubi in ancipiti exitum ſuorum verſari deprehendit, majoremque barbarorum exercitum, quàm anteà conjectaverat, mille, & quingentos epibatas effundi in adverſum littus, imperavit; ut fallaci agminis imagine aut averteret hoſtem, aut decurrentis impetum frangeret. Juvit inceptum fortuna. Quippè vix educta cohors, prælongis haſtis armata, latè occupaverat littus, cùm Turcarum Præfectus, qui è quadam ſpecula certaminis vices anxiè proſpectabat, adventantium multitudine commotus, ultimam ſuorum aciem moneri jubet, ne immodica cupidine obruendi Venetos caſtra deſererent. Novitas imperii ſicuti plurimos à recto pugnandi ordine retraxit; ita inſidiarum formidine multos adeò concuſſit, ut, paulùm laxatis ordinibus, locus amplior Venetis ruendi in hoſtem pateret. Hoc barbarorum pavore immutatus eſt brevì pugnæ ordo, iſque in atrociſſimam cædem converſus. Siquidem, noſtris validiùs inſtantibus, pleroſque hoſtium tumultus, terror, ac poſtremò vecordia adeò occupavit, ut, fuſis dexterę alę manipulis, pauló poſt reliqua acies pelleretur. Neque, ubi uſque ad vallum acti ſunt Thraces, ſequendi finis eſt factus. Enimverò, cùm aucto impetu ob-

Imperatoris conſilium.

Subrepit inter Thraces formido.

1687 jectos aggeres Venetus miles veluti cuneo pervaderet, verſi demùm in præceps barbari terga aſſultantibus præbuere. Tunc ſpectaculum atrox in arvis patentibus: ſequi, fugere, capi, cædi; equitatus unà, peditatuſque invicem tumultuosè permixtus. Chriſtiani tranſverſos, aut obvios incurſare; permulti hoſtium acceptis vulneribus ſemianimes non elabi, non conſiſtere poſſe, demùm ab ingruentium tumultu obrui: omnia conſtrata armis, laceris artubus, & ſanguine. Non antè temperatum à cæde, quàm ad inæqualia collium, ac ſylvæ interiora, cujus aditus variè ſectus agmina turbabat, perventum eſt. Tunc, ſigno receptui dato, converſus victor ad prædam. Caſtra, ſigna militaria, armaque capta: Inter quæ, Signum Regium, Caudæque Equinæ, atque octo tormenta majora inventa ſunt. Porrò ingens rerum omnium copia ſub tentoriis reperta. M. CCC. hoſtium cæſi; CCCL. tantùm è Venetorum numero deſiderati. Turcæ verò, qui evaſerant, deſertis ſignis, in ſylvam, monteſque, prout latebras fugientibus locus obtulit, aufugerunt.

Eorum fuga, & cædes.

Signũ Regium, & Caudæ Equinæ diripiuntur à Venetis.

Potitus caſtris Maurocenus, dùm captaturus temporis opportunitatem Patras obſidione perſtringere aggreditur; Præfectus urbis, Riique oppidi Cuſtos, ob fœdum belli exordium, ab omni ſpe dejecti, antequàm penitùs à noſtrorum copiis circumvenirentur, emiſſis raptim præſidiis, fugientem ſuorum exercitum ſecuti. Tunc

Patræ, & Rium occupantur.

1687

Tunc ille utendum animis intelligens, dùm recenti adhuc prælio miles caleret, Naupactum extemplò oppugnare ſtatuit. Utque auferret hoſtibus fiduciam ſubſidii, ſuorum verò terga tutiora redderet, ſatius viſum Anthyrrium priùs armis tentare, ac deindè, pervaſtata regione, Naupacti incolas fame, ferro, atque igne compellere ad deditionem. Anthyrrium ſex Turcarum millia tuebantur; qui, equitatu, peditatuque inſtructo, pro cuſtodia littoris conſtiterant. Itaque non dubitavit Imperator, quin accenſos, pugnamque poſcentes in aciem denuò duceret. Nec miles, dummodò certamen barbari non detrectaſſent, extremis cædibus hac die pepercisset. Verùm, dùm propinquans littori ſuos de gerendæ pugnæ ordine admonet, ex inſperato Turcę vallum deſeruere. Hos comitati, qui Anthyrrium incolebant. Quarè nihil temporis terendum ratus, ubi conſternati hoſtes, ac duo exercitus, ex quibus tota regionis defenſio pendebat, pulſi eſſent; Naupactum, qui vix X. M. paſſuum intervallo diſtat ab Anthyrrio, feſtinanter contendit. At acceptæ cladis, amiſſarumque arcium rumore fracti animi Naupactæorum quoque. Hi primò agitare inter ſe, qua arte bellum evitarent. Sed poſtquàm, audita ſuorum fuga, acto curſim agmine properare Venetos cognoverunt; aſportatis opibus, aliorum exemplum ſubſecuti.

Anthyrrium exercitus tranſmittitur eadem die.

Sex millia Turcarum ad adventũ Venetorũ diffugiũt.

Anthyrrium deſeritur à barbaris.

Igitur eadem felicitate Naupactum quoque victor

Maurocenus Naupactũ deſtitutũ à ſuis capit.

1687 victor Maurocenus ingreſſus eſt; qui valida, cùm in eo, tùm in reliquis oppidis munimenta invenit. CLX. tormenta in eorum præſidium ſervabantur: nec reliquo belli, atque annonæ apparatu, utpote quæ nullum obſidionis genus toleraverant; indigebant. Ad hæc intra Naupactęum ſinum XIV. roſtratę naves captę, quas Piratæ finitimam Reip. regionem populantes, eò commercii cauſa deduxerant. Cæterùm nunquam breviori bello major victoria relata eſt. Uno prętio validiſſimę Regni arces, arma, opes, & quæcunque longę pacis uſus congeſſerat, in Reip. poteſtatem tranſiere. Miles pro concione à Mauroceno laudatus læta voce, geminatiſque plauſibus Imperatorem ſalutavit. Dein, compoſitis in trophæi morem Turcarum manubiis, poſt actas Superis grates, ad prædam iterùm licentiùs decurrit. Non diſtulit intereà Franciſcus pietatis officia; auguſtæque formæ ædem, quæ intra Patrarum clauſtra erat, D. Andreæ Apoſtolo dicavit, ut reſtitutum cultum ille de Cęlo proſperis eventibus penſaret, nec minùs armis, quàm religione occupata regio tuta foret. His perfectis, Naupacti Præfecturam Thaddęo Gradonico, Patrarum Hieronymo Priolo tradidit. Anthyrrio deindè, ac Rio Aloyſium Sagredum, Marcumque Barbadicum (cunctos è Patritiorum ordine delegerat) impoſuit.

Lætitia ingens Veneti exercitus.

Relata de Thracibus victoria Senatui renunciatur.

Sub idem tempus, cùm per expeditos nuntios acta Venetiis innotuiſſent, ingens, ut in ſubitis ca-

caſibus ſolet, animorum hæſitatio, an vera nunciarentur. Sed ubi, recitatis in Supremo Concilio literis, pugnaſſe Maurocenum, atque intra quatuor horas duos hoſtium exercitus debellatos, ſubactaque nulla virium jactura, maxima Græciæ oppida, ex iis Patres intellexere; adeò incitata in eundem ſunt omnium præconia, ut & ii, qui bonum virum quondam invidè negaverant, magnum modò ſpontè faterentur. Igitur, etſi tantę victoriæ decus ſatis grande momentum cùm ad præſentem laudem; tùm ad ęternam poſterorum memoriam in ſe haberet, attamen, ne grati animi monumenta ab Senatu deeſſent, repoſitum in Decemvirorum Æde Vexillum barbarorum; æreaque Franciſci effigies (inſolitum honoris genus, nec unquam anteà cuiquam inter vivos degenti tributum) ibidem locata; ac ſubtus eam Senatus Decreto ita ſcriptum eſt. 1687

Vexillum Turcarũ in Decemvirorũ Æde poſitũ.

Ærea Mauroceno effigies ibidem decreta.

FRANCISCO MAUROCENO
PELOPONNESIACO
ADHUC VIVENTI
SENATUS POSUIT.
ANNO M. DC. LXXXVII.

Pauciſſimos ex Imperatoribus, victæ ab ſe gentis nomine antiquitùs nobilitatos, legimus; immò inter rara monumentorum, Livio teſte, habitum P. Cornelii Scipionis decus, qui omnium poſt urbem conditam primus, victa Carthagine, finitimiſque regionibus, Africani nomen adeptus,

Cognomẽtum Peloponneſiaci Frãciſco Mauroceno à Senatu datum.

ptus,

1687 ptus, clarum cognomen familiæ fecit. Hujus exemplo alii etiam Imperatores id poſteà aſſecuti. Quarè fortia geſta Creticos, Dalmaticos, Numidicoſque, atque alios quondam celebraverunt. Sed minùs fortè admiranda hęc, cùm vel popularis aura, vel favor militaris, interdùm non ſine aſſentatione, inſignes titulos, imagineſque in duces conferret. Quod Franciſcus Maurocenus noſtris temporibus adeptus eſt, prætermiſſa tanti Imperatoris virtute, iiſque omnibus, quæ in bello pręclarè geſſit, hoc uno tantùm nomine æſtimandum crediderim, quòd à Venetis Patribus dignus habitus ſit, cui adhuc viventi unico exemplo tantum monumentum decerneretur; addito ex S.C. Peloponneſiaci cognomento. Eximia facta meritò ducem extollent, ducis honores immortali præconio judicium Senatus commendabit. Sed non hic munerum terminus: verſa quoque in Nepotes largitio, Petruſque, aliàs, ut tulit occaſio, à me memoratus, Conſiliarii dignitate decoratus eſt. Veruntamen, cùm hic belli officiis optimè perfunctus, multum ſibi gloriæ, plurimum verò utilitatis Reip. præcipuè in adminiſtratione Legationis comparaſſet, ſtatutum eſt, ut, eodem à bellicis curis non avocato, Hieronymus ejuſdem frater Conſiliarii munus intereà ſubiret. Haud impar in hoc quoque virtutum ſplendor, & ſumma ad omnes ordines gratia: niſi fortè majorem cæteris appellare fas ſit, quem non decus laudum, non delibatę dulcedo

Petrus Maurocenus Conſiliarius declaratus.

Hieronymus interim dignitatem ſuſcipit.

Ejuſdem elogium.

cedo

cedo gloriæ, non dignitas ipſa, viceſimo primo 1687 ætatis anno (quod nec anteà, nec ad hanc uſque diem contigit unquam) ſuſcepta continuit, ne, contemptis honoribus, inter D. Benedicti aſſeclas ſe divino cultui ſacraret. Quod reliquum eſt, neque erga cæteros claſſis proceres; qui ſtrenuè operam ſuperiori in prælio navaverant, omiſſa Patrum munificentia. Koniſmarchius, Brunſuvicenſis Princeps, ac permulti ſociorum ingentibus præmiis donati. Reliqui ad majores militiæ gradus evecti.

Premia in cæteros quoq; duces conferuntur.

Hæc Venetiis agebantur, cùm Imperator, firmata præſidiis, quam occupaverat, regione, lætum ex præſentium proventu militem ad ſubigendam penitùs Peloponneſum jam comparabat. Itaque Corinthum oppugnaturus, pronunciato diſceſſu, ſuos colligere vaſa jubet: ac primùm, quia fuſi nuper exercitus reliquias in loca ſaltuoſa cedere conſtabat, inceſſit conſilium inſtandi perculſis, atq; univerſa Peloponneſo eoſdem exturbandi. Sed Præfectus barbarorum, ut appropinquare Maurocenum audivit, intra Corinthi arcem receptus, omnia extrema in animo verſare cępit. Mox vacuus conſiliis, & rectoris indigus, cùm ora Fidelium ferre non auderet, ſtatuit non præliis, atque acie, ſed alio modo bellum gerere. Itaque ad ſubjecta Corintho loca, quę non procul ab Iſthmo ſunt, proficiſcitur, agros vaſtat, ex arce ipſa præſidium aufert, pleraque incendi im-

Motus Veneti exercitus.

1687 perat. Permultis dein Corinthiorum, ne à ſe deficerent, in vincula conjectis, Thebas contendens, Peloponneſo penitùs excedit. Tunc Maurocenus, qui cum claſse ad Iſthmi littora appulerat, comperto, oppidum ſine cuſtodia eſſe, aliquòt copias progredi propiùs muros jubet, nè appoſitè inſtructis inſidiis caperetur. Hę cùm exiguam manum Turcarum, tecta loci incendentium, in opere deprehendiſsent; facto in eos impetu, ac quamplurimis cęſis, reliquos in fugam compulere. Continuò celebrem cùm murorum ſtructura, tùm inſigni vetuſtate Corinthum Imperator intravit. Plura in ea tormentorum genera inventa. Annonam, opes, ędificia de incolarum induſtria ignis conſumpſerat. Auxit occupati loci momentum, nullo ſanguinis, aut laboris pretio comparata Iſthmi poſseſſio; per quem univerſa Peloponneſus, ea dumtaxat parte terreſtribus copiis pervia, tutiori ſpe obtinębatur. Quà enim Peloponneſus undique cincta mari in Septentionem converſa eſt, quendam ex ſe tramitem emittit, quem Iſthmum vocant, quo cum Archaja jungitur; inde facile inter utramque provinciam commercium. At quantò hęc pars liberiorem commeandi, contràhendique facultatem terreſtribus copiis prębet, tantò difficiliorem, diuturni circumque navigationem maritimis reddit, cùm ex Jonio in Ægęum proficiſcentibus univerſam circuire Peloponneſum, ac periculoſiſſimum Ma-

Maurocenus Corinthum occupat.

Corinthi, atq; Iſthmi deſcriptio.

leę promontorium ſuperare opus ſit. Hinc, Ne- 1687
ronem Imperatorem Corinthiacum Iſthmum perfodere conatum fuiſse, memorant, atque ex Peloponneſo inſulam facere. Corinthum Iſthmus excipit. Imminet oppidum hinc Jonio mari; illinc verò Ægęo; indè bimarem Corinthum poetę appellarunt. Murorum munimenta firmat ſitus ingenium. Quippè arx in iis anguſtiis poſita Peloponneſi fines claudit, ac veluti propugnaculo tuetur. Attamen nemo Corinthum, quæ nunc extat, cùm aliquis illis Corinthi męnibus contulerit; unde tantum una in urbe momentum. Quippè, quanta Corinthiorum rés olim fuerit, vel hinc exiſtimari poteſt, quòd rerum dominos Romanos non modò contempſerint, ſed etiam horum Legatos oratione, ac manu violarint. Verùm creſcentem in dies potentiam Reſpub. non tulit. Hinc Metello conſuli mandata ſtatim ultio eſt; mox per L. Mummium cum Corinthiis debellatum. Tunc direpta opulentiſſima urbs, deindè ſolo ęquata; quę verò prędę ſuperfuerant, miles concremavit: cùmque prętereà, peruſtis ſimulacris, ęris, argenti, aurique venę ſimul miſcerentur, Corinthium ęs indè conflatum non pauci crediderunt. At Gręci paulò poſt, ob loci opportunitatem, auſi denuò Corinthum inſtaurare. Nec deindè bella memoratu levia ſub ipſis arcis męnibus commiſsa ſunt, donec in ditionem Turcarum tranſierit. Hinc veſtigia illa veteris urbis vix

1687 reliqua, omnibus Turcica feritate penitùs corruptis. Nihilominùs multa vetuſtiſſima ſimulacra ibi reperta à Venetis, nec non innumera propemodùm monumenta vulgata carminibus poetarum, adhuc quandam antiquæ majeſtatis umbram inter ruinas retinentia.

Locatis in oppido, quæ magis opportuna ad defenſionem viſa ſunt, munimentis, Angelo Michaeli Præfectura loci demandatur. Hinc Naupactum claſſis deducitur; exceptiſque non longè ab ejus ſinu copiis, quæ ſub idem tempus ab Italia adventarant, utendum recenti terrore ratus Imperator, ad occupanda reliqua provinciç oppida procedere ſtatuit: ut, iis exciſis, metum barbarorum intenderet, vel ſi pepercisſet, clementiç famam apud incolas compararet. Igitur, dùm ſe itineri Veneti accingunt, adfuere à Lacedemoniis legati, qui Spartam, ac Thyream eidem ſpontè obtulerunt. Sparta, urbs Laconiæ quondam celeberrima, ad dimidium uſque cujuſdam montis protenditur, qui juxta Eurotæ fluvii ripam conſurgit. Hinc itinerum aſperitate, illinc munito collis cacumine cuſtoditur, quamvis nunc nec urbis magnitudo, nec munimenta, quç tantum nomen loco fecerunt, appareant. Oppidum dumtaxat cernitur, exigui ambitus, at pervetuſtæ, validæque ſtructuræ; cui ſuper extremum collis verticem arx imminet, à Lacedæmoniis in cuſtodiam urbis antiquitùs collocata. Thyream verò oppidum, & opibus, & nobi-

Sparta, ac Thyrea veniunt in poteſtatem. Earum ſitus.

nobilitate permultis Peloponneſi locis olim prę- 1687
ſtitiſſe, memoriæ proditum. Jacet in Argivorum, Spartanorumque confinio; ejuſque mœnia inacceſſæ paſſim cautes tuentur. Imperator, receptis in ditionem oppidis, pactus eſt incolis incolumitatem, dummodò, poſitis armis, exceptoque Venetorum præſidio, fidem in omnibus Reip. pollicerentur. Intereà, cùm ſuſpicio quędam peſtilentiæ Lacedæmonios infeſtantis percrebuiſſet; interdictum tandiù Spartanis, conterminiſque commercium, quoad ſuſpecta labes elueretur. Veruntamen aut prædandi libidine, aut conſueto gentis crimine ducti Lacedęmones, cùm quotidiè incurſarent finitimos, & nuper datam fidem rapinis, ac cæde violarent, demùm adeò patientiam Mauroceni laceſſerunt, ut ferre in eos arma, & belli terrore cohibere populi contumaciam decreverit. Quamobrem miſſi equites cum levis armaturę manu; effractiſque regionis clauſtris, octingenti Turcarum (jamque peſtilentiæ ſuſpicio evanuerat) ſub jugum miſſi. Reliqui, cùm circumferentes arma Venetos audirent, ſceleris conſcientia victi, deſerere vicos, & in avia digredi; alii preces offerre, incorruptamq; fidem erga victores oſtentare. Sed eadem clementia cum iis actum non eſt. Quippè, cùm facilem nutatu gentem, cui nuſquam fides, & amor, & ut ſegnem ad diſcrimina, ita infidam ad occaſiones Venetus cognoviſſet, miſericordia quidem adverſus ſupplices, celeritate

Perdomiti armis Lacedæmones.

adver-

1687 adverſus fugientes uſus eſt, maximè in eos immitis, qui, ut licentiùs in poſterum occupatam regionem vexarent, ſpeluncis, montibuſve ſe abdiderant. Hinc ingens captivorum copia fuit; qui deindè abducti in ſervitutem, quinque argenteorum pretio in ſingula capita væniere. Hac arte inquieta priùs gens, demùm compoſita eſt; &, quorum animos beneficia non mutaverant, ſeveritas, timorque brevì confregit. Cæterùm Imperator, ubi omnia ad ſecuritatem regionis apta diſpoſuit, Angelo de Nigris centurione cum idonea manu ad Chelonatem Peloponneſi promontorium in ora occidua contra Cephaleniam miſſo, qui Chelonatem arcem, inter Cyllenem, & Elidem ſitam, obſideret (eamque metu, ac factione brevì perdomuit) ipſe circuire Peloponneſum, ac tandem Athenas oppugnare ſtatuit. Itaque meditatum iter exorſus, poſtquàm Peloponneſi littora, urbium præſidia augendo, diligenter perlegit; perterrefactis navalium virium oſtentatione Epidauri incolis, ad Saronicum ſinum perductus, Piræum portum ingreditur.

Chelonates ſubigitur.

Athenarũ deſcriptio.

Haud procul à portu, extremum ſuper Achajæ littus poſita arx Athenarum. Urbs hæc quondam Græciæ totius nobiliſſima fuit, ingeniis civium quammaximè exculta, Regum ſedes, tantumque bonarum diſciplinarum emporium, ut literarum altrix meruerit appellari. Divitem, munitamque apprimè urbem extitiſſe ſcriptores

paſſim

paſſim memorant, diùque eruditiſſimorum vi- 1687
rorum ſapientia, qui in ea præcipuè floruere, celebrem. At, ubi ob bellorum externorum, civiliumque incommoda, literæ, per quas creverat, obſolevere, cultu omnium gentium, quas optimarum artium ſtudia trahebant, prioriſque decoris honeſtate amiſſis, nihil ſpecioſi ampliùs præter nomen retinuit. Hiſce præſertim temporibus tantæ urbis momenta nuſquam deprehenduntur: dummodò ſuperba quędam veſtigia veterum ædificiorum, ſemirutos arcus, imagineſque pretioſo ex marmore, & præſertim porphyretico conſtructas excipias, ac præter hæc arcem, ſuper exigui collis verticem locatam; quam ob telluris, cęliq; indulgentiam confertim Thraces incolebant, idoneiſque munimentis tuebantur. Permulta extra arcem ad collis radices congeſta in unum, ſparſaque ædificia conſurgunt, quę tamen nullus murorum ambitus ſepit: cùmque hæc incolæ, cognito Venetę claſſis adventu, paſſim deſeruiſſent, patuere noſtris in prędam. Ubi verò proximum oppido collem cum robore exercitus Imperator inſedit; omnia ad obſidionem opportuna ab Hieronymo Delphino ſedulò comparata. Vallum aggeribus, ac foſsa communitum, extructi obſidionales acceſſus, compoſita demùm ſuper aggeres tormenta. Cęptæ exindè Athenę duplici ex parte oppugnari. Et præcipuè, quà Delphinus octo muralibus tormentis arcem petebat, ita primis diebus de-

Veneti vicos occupant: arcē obſident.

cuſſa

1687 cuſſa mœnia ſunt, ut nec opplere ruinam, nec, oppoſitis ex adverſo tormentis, repellere perniciem barbari poſsent.

Hi motus Veneti exercitus erant, cùm Turcarum Præfectus, qui intra Thebas exercitum detinebat, de Chriſtianorum molimine properè ab Athenienſibus commonefactus, omnem equitatum in arcis ſubſidium mittit; non auſus ſe ſe, ac reliquas copias in certaminis aleam dare. Ut conſilium hoſtis Imperator deprehendit, ſtatim lectos equites, qui eidem iter clauderent, extra ſepta educit; paratus ad pugnam, ſi barbari prȩlium, quàm fugam maluiſsent. Verùm hi, qui ex inſperato adoriri Venetos conſtituerant, ubi in noſtrorum turmas incidunt, re improviſa prorſus abjecti, ſtatim terga dantes, equos in fugam vertunt. Pulſis ſubſidiis, veluti recentibus animis, viribuſque, in dies magis fervebat obſidio. Interim Athenienſes, qui ſe locorum aſperitate ſatis tutos crediderant, nequaquam ſegniùs rem gerentes omni armorum conatu mȩnia tuentur, quaſsata, quoad poſsunt, ex ruinis disjecti muri reficiunt, aggereſque obſidentium ſumma vi perfringere adnituntur. Ad hæc tutiorem arcis locum in liberorum, fœminarum, ac primorum ſtationem eligentes, in antiquiſſimum Minervæ templum, medio fermè oppido ſitum, uſui opportuna, ac præcipuè ingentem tormentarii pulveris apparatum redigunt; ut valida murorum mole cariora quæque ab incendiis,

Subſidiũ Turcarũ à Venetis in fugam agitur.

At Athenienſes acriter reſiſtunt.

diis, ruinaque vindicarent. Nihilominùs cunctantibus permulta deerant, abſumptis alimentis, inter quæ etiam fędiora in uſum verterat neceſſitas. Plures dies protracta obſidione, cùm animadverteret Maurocenus paratos ad extrema incolas, arcemque ſitus natura firmam tormentorum vim aut eludere, aut aggreſſionis impetum difficilem facere, ollarum incendiariarum jactu rem perficere aggreſſus eſt. Diù tamen & his fruſtrà laboratum. Namque murorum radices, quę ex abruptis cautibus attolluntur, bolidum impetum fruſtrabant. Re ſæpè tentata, demùm improviſus ictus toti obſidioni exitum dedit. Cùm enim in templum ipſum immiſſa bolis, fracta æris compage, magnam flammarum vim evomuiſſet, illicò nitratus pulvis communicato æſtuans incendio, cuncta paſſim adeò corrupit, ut non ii tantùm, qui ſeſe in templum receperant, ſed etiam, qui proximas domos incolebant, eadem ruina involverentur. CCL. Turcarum eo caſu occubuere; & cum iis abſumptum eſt, quidquid in curſu torrens ignis offendit. Tunc obſeſſi, amiſſis, quæ propugnando oppido neceſſaria erant, undique circumſtantis mortis imagine profligati, Mauroceno locum dedidere. Dimiſſis Turcis, non pauci Chriſtianorum jamdiù captivi, reſtituti ſunt libertati. XVIII. Tormenta, armorumque omne genus inventum. Multa præthereà doctæ vetuſtatis monumenta collecta ſunt, multæ

1687

Decidens olla incendiaria fulmen Minervæ templum disjicit.

Turcæ oppidum Mauroceno tradũt.

1687 geſtarum rerum, aut clarorum virorum marmoreę ęreęque imagines: egregii priſcę cęlaturæ labores. Inter cætera verò duo ſpectabilis magnitudinis Leonis, ac Leænæ ſimulacra, ex marmore conſtructa, extremo in littore reperta; quorum alterum in Laænæ ſcorti memoriam, imbecillitatem ſexus virtute ſilentii ſuperantis, Athenienſes quondam condidere. Hæc Veneti Imperii inſignia, poſt redactas in poteſtatem Reip. Athenas, ſervanda delegit Imperator, ut indè Græciæ Leones à ſe vi, armiſque ſubactos, Venetorum Leoni dominium ceſſiſſe, poſteri intelligerent. Mittendos itaq; Venetias cùm cenſuiſſet, Senatus, in Mauroceni trophęum, Reique pub. ornamentum, ante Navalis fores utrinque eos ſuperbo cum titulo compoſuit.

Leonum ſimulacra Frãciſcus ſervat, ac Venetias mittit.

Decreto Senatus ante navalis veſtibulum conſtituũtur.

FRANCISCUS MAUROCENUS
PELOPONNESIACUS,
EXPUGNATIS ATHENIS,
MARMOREA LEONUM SIMULACRA
TRIUMPHALI MANU
E' PIRÆO DIREPTA
IN PATRIAM TRANSTULIT;
FUTURA VENETI LEONIS,
QUÆ FUERUNT
MINERVÆ ATTICÆ, ORNAMENTA.

hinc verò:

ATHENIENSIA VENETÆ CLASSIS
TROPHÆA,

VENE-

VENETI SENATUS DECRETO 1687
IN NAVALIS VESTIBULO
CONSTITUTA
ANNO SALUTIS M. DC. LXXXVII.

Inter hęc, cùm allatum eſſet, peſtis vim acriter Thebis deſævire, quæ Turcarum exercitum in dies magis conficiebat; cautum eſt, ut captivorum, transfugarumque commercia ſtatim interciperentur, nè labes inter Chriſtianos quoque vulgaretur. Porrò, in Athenarum Præfectura Hieronymo Delphino, cujus prudentia in ejuſdem loci oppugnatione proſperè Imperator uſus fuerat, conſtituto, ipſe quoque ob aeris clementiam detinere Athenis exercitum hyemali tempeſtate decrevit. Locatis intra vicos, arcemque militibus, univerſa claſſis in Piræum portum redacta. Miſſis deindè aliquot copiis ad cohibendos Turcarum motus, aſſiduis incurſionibus conterminam regionem infeſtantium, proviſum quidem fuit, ne Venetorum prępſidia hoſtis turbaret; at, nè peſtilentia ingrueret, effici non potuit. Infecit enim hæc non Peloponneſum modò, ſed claſſem quoque, ac exercitum; diùque evellendis morbis inſudatum. Quamobrem adverſa fata, quoad poſſet, declinaturus Imperator, poſtquàm, egererentur manipuli, quorum ſuſpectior labes, edixit, nè in cæteros quoque ſerperet malum, placuit luſtrari ſumma diligentia exercitum, ut deindè eundem ſedulò cuſtoditum Athenis ſervaret.

Hieronymus Delphinus Præfectus Athenarum.

Peſtis Peloponneſum vexat.

1687

Hieronymi Cornelii facinora in Illyrico.

Tot victoriis memorabilem annum alia Venetorum, & Cæſaris præclara geſta nobilem, inſignemque fecerunt. Siquidem Hieronymus Cornelius D. Marci Eques, Dux notæ fortitudinis, qui Illyrici provinciam adminiſtrabat, exceptis navalium ſuorum copiis, quæ, ut dictum ſuperiùs, ob peſtis ſuſpicionem ex Græcia diſceſſerant, poſt ſuſtentatum barbarorum impetum, Caſtrum Novum, quod Aſcrivii, Dalmatię urbis ſinui imminet, obſidione circumſedit. Diù eventu incerto dimicatum, cùm non modò pro defenſione murorum omnem armorum apparatum, ſed ad arcendos procul hoſtes externas quoque munitiones incolæ objeciſſent. His tamen victis, non incruenta cum ſubſidiis barbarorum pugna ſecuta eſt: quibus mira Cornelii virtute diſſipatis, anceps cum defenſoribus pręlium, & ſæpè tentata aggreſſio. Tandem & defenſorum cæde, & murorum ruinis fracta pervicacia reſiſtentium, qui ſub Septembris exitum arcem Venetis dediderunt. Aucta indè Venetorum Patrum lætitia; qui, Procuratoria D. Marci dignitate in Cornelium collata, non dubitavere, quin non modò defendi in poſterum univerſa regio facilè poſſet, ſed finitimorum quoque præſidia veluti aggere quodam coerceri.

Caſtrum novum ſubactum à Venetis.

Cędes Turcarũ ad Dravũ flumen.

Hęc Turcarum vulnera aſperavit proſpera Cęſaris pugna ad Dravum flumen: in qua octo millia Ottomanorum (pene omnes è Prętorianorum numero erant) cæſa, tentoria, ſigna,

ac

ac Solymani opes, prętor ſexaginta muralia tormenta, ab Auſtriacis capta ſunt. Nunquam altiùs ſuas partes, quàm tunc Byzantii timor egit. Jamque inceſſerat deſperatio, ni proceres proſpera ad fortunam Imperii, adverſa ad Ducum vecordiam referre ſoliti, obſeçuti fuiſſent vocibus populi, illorum necem efflagitantis, quos, ut calamitatum auctores, oderat. Igitur brevì non modò Regii Sigilli cuſtos Solymanus cervicem percuſſoribus obtulit, ſed deſiderio novandarum rerum ulteriùs acta plebs, ita animos adverſus Mahometem Regem verterat, ut, ſi inventus eſset, qui ſe facinoris ducem præberet, in ipſius Principis domum factura impetum videretur. Angebatur hac de cauſa præſentium rerum anguſtiis Mahometes, de eo potiſſimùm ſolicitus, ne frater Solymanus, in quem populi favor inclinabat, Imperio potiretur. Itaque, dùm promiſcua fratrum cæde ſibi, filiiſque ſceptrum temerè ſervare ſtatuit, poſt fruſtrà tentatum ſcelus, mota acriùs popularium ira, ſolio pulſus, Solymano fratri invitus ceſſit Imperium.

1687

Solymanus interficitur.

Depulſo Mahomete, evehitur, ad ſolium Solymanus.

1688

Sed fata jam inſtabant, ad ſupremum glorię verticem Maurocenum vocantia: cùmque, fracta hoſtium audacia, ac Reip. finibus prolatis, æternam ſibi nominis laudem comparaſſet, illud Superûm decreto ſupererat, ut, qui optima gerendorum bellorum diſciplina totius in ſe Orbis contemplationem traxerat, è ſummo

etiam

1688 etiam dignitatum faſtigio emineret. Iiſdem fermè diebus, quibus novis munitionibus firmabantur Athenæ, ſupplementumque exercitus Patres comparabant, M. Antonius Juſtinianus, ſummus Venetiarum Dux, vita conceſſit. Tunc optimus quiſque fato Principis ingemuit; quę enim eum cùm in gerendis magiſtratibus, tùm in obeundis legationibus, optimum civem anteà declaraverant, poſt adeptum quoque Principatum, uſque ad vitæ exitum, inſignem, magnanimumque virum comprobaverunt. Quamobrem ingenti civitatis mœrore funus inſtitutum. Quo de more perfecto, cùm, convocatis Patritiorum ordinibus, dignior quæreretur, quem omnium vota optarent in Principem; tantus animorum, cujus rei nullum fortaſsè in hanc diem extat exemplum, conſenſus fuit, ut Aula præſtantiſſimis viris paſſim affluens, multos ob pręclarè geſtos magiſtratus dignitatem promeritos, neminem, qui eandem poſtularet, habuerit. Unus Franciſcus Maurocenus, in quem omnia ea, quę in Repub. eximia ſunt, Patres anteà contulerant, uno omnium voto vocatus ad Solium. Igitur, ſolutis comitiis, Franciſcus Princeps pronunciatus, ac duo ex Patritiorum ordine conſilio, & vigilantia præcipui, Hieronymus Grimanus Eques, ac Laurentius Donatus, qui jam Illyricum adminiſtraverat, Conſiliarii Principis creati. Simul decretum, ut, cùm ad eum inſignia Principatus deferrentur, adderetur, communibus votis

M. Antonius Juſtinianus Dux obit.

Frãciſcus Maurocenus Princeps Venetiarum declaratur.

Grimanus, & Donatus Principis Conſiliarii.

votis eundem in Imperatorem exercitus adhuc expoſci; ita ut nunquam tutiùs vel parta retineri, vel nova in poteſtatem redigi poſſe, quàm ſub unius Mauroceni diſciplina, cives cenſerent. 1688

Tunc, quæ inter ſe Patritiorum ordines conſtituerant, ſparſa in vulgus, incredibili lætitia; ac ſpe animos omnium affecerunt. Quippè cùm à plurimis multò antè dignitatis honor Imperatori deſignatus eſſet, inque votis omnium eadem verſarentur, ubi electum rumor vulgavit, cuncta præconiis modò erga Rempublicam, modò erga Maurocenum aſſonuerunt. Hinc diſſerere quiſque, *neminem eo digniorem Principatu, qui, latè Imperii limitibus protentis, jam Reipub. columen, ac Fidei Propugnator nuncupabatur. Magna quidem ab eo tranſactis annis, ſed pro ingentibus meritis ſemper accepta præmia. Quis enim acta tanti Imperatoris ſine admiratione recenſeret? Neque enim toties de Turcarum exercitu quemquam anteà triumphaſſe. Adjicienda his, quæ ab ineunte ætate terra, marique, & maximè propugnanda Creta, navalibus præliis, ſubigendis demùm tot Peloponneſi urbibus geſſerat. Utrumque menſuram impleviſſe: Remp. nimirùm tribuendo, quantum largiri optimo civi poſſet; Maurocenum, quantum civis, Imperatorque exercitus pro Rep. facere. At, ſi tanta ab copiarum duce peracta, quid expectandum, ubi, juncta dignitatum majeſtate, & Imperator, & Princeps exiluiſſet in hoſtem? Concederent Superi annos Seni permultos; cæterùm maximas in poſterum Reipub. victorias portendi, è contrà Turcarum latiorem conſternationem fore.* Additi his populi

Populi voces de electione Principis.

1688 li plauſus, feſti ignes, piæque ſupplicationes; ut clementia Superûm vota Reipublicæ in po-
Apparatus ad bellum.
ſterum ſecundaret. Lętiùs intereà terreſtrium, maritimarumque copiarum apparatus curabantur. Tria Germanorum militum millia mercede conducta: totidem fermè ex Svevia collecta ſunt; advocatis ab Illyrico mille, & quingentis peditibus, in quorum ſupplementum novos rursùs delectus ex Reip. provinciis Patres inſtituerunt.
Jacobus Cornelius totius Peloponneſi Pręfectus creatur.
His ſedulò pręparatis, viſum eſt, ſummam Peloponneſi Præfecturam ſtrenuo Duci Jacobo Cornelio demandari. Hunc ab Corcyræ, Zacynthi, ac Cephaleniæ Præfectura redeuntem ſuperiore anno in Peloponneſum Maurocenus vocaverat, ut opera ejuſdem in cuſtodienda provincia, & præſertim in communienda Corone, ac mox Nauplia, uteretur.

Claſſis lætitiæ.
Veruntamen longiùs gaudii vis emanavit, qua univerſa claſſis perfuſa. Ubi namque, ſuſceptis Principatus inſignibus, quæ Patres honorifica legatione ad Maurocenum miſerant, lætis militum, ac nautarum vocibus, vario tubarum concentu, jucundoque tormentorum fragore, ſolemnia peracta fuere; quatriduum inter aſſiduos exultationis motus univerſus exercitus inſumpſit. Tunc duces pręſertim Mauroceno gratulati, cui tantæ dignitatis momenta ſua virtus peperiſſet. Quos cùm ille, optima cujuſque geſta commemorans, humaniter recepiſſet, ut modeſtiam augeret, *unam ſibi occurrere defenſionem*, cre-

crebrò injiciebat, *quòd placito Patrum obniti non debuiſſet*. Nihilominùs infra magnitudinem animi ejus erant, quæ de illo prædicabantur. Itaque, revocatis brevì ad bellum ſtudiis, certatum eſt ſententiis, cuinam facinori redactæ in unum vires eo anno deſtinarentur. 1688

Conſultatur de ratione gerendi belli.

Hęc dùm ancipiti deliberatione pertractantur, ingens improvisò Cretæ orta ſeditio aliò conſultantium animos convertit. Quippè, cùm illius urbis populus ſub immani tyrannidis mole gemens, crebris tumultibus perturbaretur, altiùs demùm concitatus in rabiem, Præfectum urbis, treſque alios ex primoribus capite mulctaverat. Quę cùm ab exploratoribus delata eſſent, affirmarentq; nondùm ſeditionis vim deferbuiſſe, conjiciens Imperator nihil adverſus hoſtes auſuram plebem, amotis principibus; viſum eſt eidem, diſcordes animis, diſcretos viribus cives, antequàm reliquis ducibus auctoritas, obſequium militi redderetur, allicere, ut ſaltem ſpe evitandi ſupplicii, quod ob imminutam majeſtatem meruerant, urbem deſererent. Maleam ergo XXX. cum triremibus tranſvectus, ſecundante vento, celerrimè trajecit in Cretam. At vix ad paucorum aures fama adventantium Venetorum pervenerat, cùm bellum externum concordiam peperit; exortaque inter cives odia in Venetos ſtatim converſa ſunt. Igitur animos ad bellum parare, capere arma, concire finitimos, cunctaque ad tuendam urbem opportuna ſedulò con-

Cretēſium ſeditio.

Eò Maurocenus proficiſcitur.

At, viſis Venetis, Turcarum tumultus componitur, atque arma parātur.

1688 gerere. Quæ ubi Principi innotuerunt, fruſtrà tentari intelligens compoſitas mentes Turcarum, nihil temporis terendum ampliùs ratus, ne interim apta bello tempeſtas efflueret, ſolutis ab Dia triremibus, in Peloponneſum remeavit. Rebus ibi ſedulò ad bellum inſtructis, non deerant, qui terreſtrium, maritimarumq; virium conatu petendam Cretam, cenſerent. Verùm Maurocenus, quo nemo perſpectiùs noverat, quàm arduum, quàmque diſcrimine plenum illius urbis obſidium moliri, cujus oppugnatio centum, & viginti millium militum cæde barbaris ſteterat, variè itinerum difficultatem, munimenta urbis, prçſidiumque cauſatus, facilè animos ab hujuſmodi conſilio revocavit. Accedebat his rationibus, ut, traductis in Cretam copiis, deſtituerentur occupata, atque intereà pateret hoſtium armis univerſa Peloponneſus. Neq; Thraces occaſioni defuiſſent. Cùm enim tunc temporis Athenarum littora perturbarent, nemini incompertum erat, dempto pavore, quo ob noſtri exercitus viciniam afficiebantur, effractiſque Iſthmi munimentis, facilè ad interiora Peloponneſi penetrare poſſe. Igitur alia ſtudia Venetorum; in eamque ſententiam poſtremò itum eſt, ut in Eubœam arma verterentur. Non modò acquiri, aſpirante incçptis fortuna, opulentiſſimum Regnum; ſed tutiorem reddi Peloponneſum, Thracumque licentiam cohiberi. Facillimum fore, hoc perfecto, ut, quç inter Ægçum, Jo-

Incedit cõſiliũ tentandi Eubœam.

Joniumque mare jacent, uno, eodemque imperio 1688
conjungerentur. His diligenter penſitatis, cùm jam navales ſocii adventaſsent, illud primò prudentia Principis cautum eſt, ut armis, ac milite Peloponneſi fines confirmarentur, ne furtim hoſtis incuſtodita invaderet. At prę̨ſentibus negotiis nihil magis conferre viſum, quàm ut æquarentur ſolo Athenæ, redactoque circa Corinthum, atque Iſthmi fauces earum præſidio, major copiarum moles audentibus arcis oppugnationem, aut quærentibus Turcis aditum in Provinciam, objiceretur. Igitur, quę conſtituta, extemplò Princeps maturavit: utque alliceret incolas ad locorum cuſtodiam, oſtendens, quantum ad quietem cujuſque intereſset, ut Turcæ à finibus arcerentur, largitione demùm addita, non paucos præmiis proſecutus eſt. Hinc brevì omnes comitate, atque amore adeò devinxit, ut videretur potiùs ſingulorum cura, quàm publicarum partium negotium eſse. Jamque, omnibus ad Peloponneſi ſecuritatem diſpoſitis, iter in Eubœam parabatur.

Evertuntur Athenæ.

Permuniuntur fines Peloponneſi.

Eubœa inſula eſt à Bœotiâ tam anguſto freto interciſa, ut per quinquaginta paſſuum pontem eidem jungatur. Undique alluitur Ægæo mari; longiſſimoque tractu ab Oriente, in Septentrionem traducta, tercentorum, ac ſexaginta quinque milliarium circuitu clauditur. Hanc, qua parte Bœotiæ propior eſt, tangit Euripus, aliàs Euboicus ſinus appellatus; ubi mare ſepties

Eubœæ deſcriptio, & ſitus.

1688 in die, totidemque nocte alterno curſu converſis invicem fluctibus, immodicè adeò excurrit, ut, quamvis adverſante vento, quà curſu aquarum, navigia rapidiſſimè trahantur. Præcipua urbs, Chalcis dicta, Euripo imminet; eaque penè undique mari prçcincta eſt. Mœnium robur, omneque exteriorum munimentorum genus tutiorem locum reddit; inter quæ exigua quædam arx, ſitu prævalida, quam Turcæ, rebellis cujuſdam monitis inſtructi, contra urbem in continenti paulò antè condiderant. Hujus ope quodcunque ſubſidii genus intra muros ab continenti convehi, nec modò interjectum mare, ſed & porrecta palus, undè urbs oppugnari poteſt, facili negotio defendi queunt. A ſex millibus armatorum tunc temporis cuſtodiri Chalcidem exploratores detulerant; eoſque magna ex parte è prætorianorum numero eſſe. Omnem præterea cùm rei bellicæ, tùm annonariæ copiam ibidem aſſervari, quam barbari elapſo anno in urbis munimentum providè redegerant. Cæterùm ſeptem Turcarum millia finitimam regionem inſederant, commune in Achajam, Eubœamque præſidium. Addebantur his aſſidui militum delectus, quos diligentiùs haberi Regii ſigilli cuſtos Muſtaphà imperaverat. Et, licèt Thracum animos atrox ſuorum cędes ea tempeſtate profligaſſet, cogendi tamen exercitus curam nequaquam ſolverunt. Occiſo enim, ut memoravimus, Solymano, ac

Arx, quã vulgus carababà appellat.

Status Turcarũ.

mox

mox Schiauſio, atque Hiſmahele, qui dignitatem vix aſſecuti fuerant, expulſis, evectus eſt ad gradum, poſt Regem, ſummum Muſtaphà, qui motam plebem partim cohibuit terrore minarum, partim factione compoſuit. Exin, milite ab longinquis regionibus convocato, quamvis valido virium apparatu ſuffultum ſe videret, nihilominùs belli detrimenta eò adverſa queque callidè occultantem perpulere, ut quoquo modo impetrandum à Venetis fœdus, declinandi exitii cauſa, cenſeret. Hanc ſupprimendi belli rationem Solymanus Rex apertè primùm averſabatur; nam in eo verti ſummum Imperii dedecus jactabat, ſi poſt tot acceptas à Mauroceno clades, ultrò ſupplices pacem petitum ire Thraces vellent. Cunctis nihilominùs ad diligentius examen revocatis, imminentium malorum formido non tetigit modò; ſed, ut Venetos, ſocioſque ſimul emolliret, eò tumidum Regis animum perduxit, ut fateretur palàm ab fratre ſumpta arma, ortumque bellum: cæterùm malle ſe honeſta conceſſione componi Imperium, quàm ſpe victoriarum cuncta ſanguine ſuorum, ſociorumque inquinari. At ſerò hæc tentata ſunt; jamque non ſolùm Veneti, ſed reliqui ſociorum una cum Cęſare ab hybernis militem eduxerant. 1688

Muſtaphà conatur bellum intercipere.

Idem ipſe Rex molitur; ſed fruſtrà.

Igitur Maurocenus poſt everſas funditùs Athenas, dùm, Piræo portu cum claſſe relicto, Eubœam ire pergit; improviſa ventorum vis coor-

Dū Princeps Eubœā proficiſcitur, tempeſtate maris perturbatur.

1688 coorta adeò turbare pelagum cępit, ut triſtiſſima quæque navium rectores pertimeſcerent. Diù, quaſſatis navigiis, ſuſpenſum mare adverſos fluctus extulit; neque ante quatriduum triremes, huc, illuc compulſæ, Euripi fauces ſubiere. Reliquæ naves fuſæ latè per Ægæum, poſtquàm ſævitia tempeſtatis defecit, claudę, laxatis lateribus, atque à validioribus remulco ductæ, in ſinum cunctanter redactæ ſunt. Ubi poſt longos errores prope Chalcidem Veneta claſſis convenit; conſultatum eſt, quanam ex parte oppugnari tutiùs locus poſſet. Neque enim Venetis id roboris, & copiarum, ut ſimul utrinque obſidium molirentur. Igitur alii alia in medium proferre. Et maximè ii, quibus conſilium expugnandę arcis, quę commercium continentis urbi præſtat, aptius videbatur, difficillimum fore, differebant, extenuari obſidione oppidum, quod propè liberi ab continenti commeatus alerent. Itaque antè adimenda ſubſidia, atque expugnanda munimenta; deindè urbem aggreſſione tentandam. Neque aliena hæc à ratione, dummodò id, quod ſtruendę victorię cauſa parabatur, difficilius victoria ipſa non fuiſſet. Hinc non deerant, qui univerſam vim copiarum operi admovendam, oſtenderent; dandumque temporis ſpatium, quo validiſſima arx, aut victa armis, aut arcta obſidione defatigata mora ipſa comminueretur. Intereà potiorem virium partem, ac tempeſtatis exceſſuram; munitio-

Agitur à Venetis de ordine gerendæ obſidionis.

Cauſę, ob quas exterior arx à Mauroceno haud tentata fuerit.

tioremq; urbem Thraces reddituros. Nec ſuper- 1688
eſſe ampliùs ſpem Chalcidis eo anno debellandæ, ubi invalida claſſis, imminutus exercitus: atque, hoc temerè intentato, certiſſimam cladem impendere. Cæterùm ad utrumque facinus una perficiendum, nec vires ſuppetere, nec id naturam loci pati. Siquidem, diviſis copiis, neutri par futurum exercitum. Eos verò, quibus obſidendę arcis munus demandatum, innumera propemodùm diſcrimina ſubituros. Modò relabente æſtu, modò impellente vento, impeditum navibus iter, ac fraudata ſubſidia. Quæ etiamſi convehi potuiſſent, arduam adhuc ſex millium paſſuum ſemitam reſtare, qua homines portandis armis, ac commeatu fatigarentur. Adjicienda his barbarorum ſtudia, crebris manipulis anguſtias locorum obſidentium, incerta itinerum, difficillima cautium, ſaltuumq; per quę vix evadere, nedùm pugnare, ubi inſtaret hoſtis, milites poſſent. Hæc ſæpiùs validis utrinque rationibus agitata in eam ſententiam Maurocenum, ac cum eodem Claſſis Proceres penè omnes deduxerunt, ut, omiſsa arcis oppugnatione, univerſi exercitus vi urbs tentaretur. Utque ſpem defenſorum inſperatum obſidionis genus frangeret, ad extrema ſtatim molimina procurſum eſt. Quippè placuit munimenta exteriora primùm, mox muros urbis acerrima aggreſſione peti; ut, ſi intercipi ſubſidia non poſſent, aditus ad victoriam gladiis, ac virtute aperiretur.

Re-

1688

Exercitus in urbis conſpectū deducitur. Fœdum obſidionis initium.

Rebus in hunc modum conſtitutis, applicitæ ſunt littori naves, ac XIII. M. armatorum educta; quæ continuò Koniſmarchius bis mille paſſus à munitionibus barbarorum explicuit. Sed in ipſo obſidii limine circumacta ſtatim eſt fortuna Venetorum. Siquidem, dùm vallo, ac foſſa tentoria cingunt, referta paludibus loca, naturaque gravis aer ita ipſorum corpora infecit, ut intra pauciſſimos dies multi inopinata vi morbi corriperentur. Neque primis ducibus labes pepercit. Nam, poſt nonnullos Chiliarchas è vivis ereptos, Hieronymus Delphinus, qui caſtrorum Præfecturam adminiſtrabat, corrupti aeris malignitate victus, ægrotare incępit. Koniſmarchius deindè, pluresque alii gerendæ rei impares prorsùs redditi. Propterea major Principis labor fuit; qui, ut conatus voto reſponderent, ægrotantium ſupplebat officia, mediuſque erat inter Imperatorem, & militem. Sed Thraces novis armatorum copiis in dies confirmati, nihil quietum in Venetorum aggeribus relinquebant, ne undique clauderentur. Hinc quotidiè prælia inire, incurſare finitimos, elatiſque tormentariis ſuggeſtibus objectas moles petere. Neque poſuere audaciam, niſi truculenta clade repulſi. Quippè cùm, educta duorum millium peditum, & quadringentorum equitum manu, vallo propinquaſſent, non ſuſtentati modò à Venetis ſunt, verùm ita informi acie in fugam verſi, ut permulti eorum ceciderint.

Plurimi ex ducibus ægrotant.

Obſidium inſēditur.

Ere-

Erexit animos Chriſtianorum exitus certa minis. Igitur, aucto ſtatim foſſorum numero, producti aggeres: quos ubi ſatis collatos Maurocenus animadvertit, ne daret obſeſſis tempus, ſuos ad prœlium fortiter hortatus eſt. Continuò, ducto extra vallum exercitu, tantum in Thraces impetum fecit, ut ſtatim prima objectorum aggerum frons occuparetur. Verùm ubi, collectis ex adverſo quoque ordinibus, in aciem catervatim barbari deſcendere, æquo marte pugnari cœptum. Hi veluti cuneis factis inſtantes, aſsultantium agmen ſtrenuè propellebant. Veneti perfringentes quidquid obvium, neminem pro munimentis conſiſtere ſine vulnere patiebantur. Tota fermè die ancipiti eventu dimicatum: terque nutans multitudo variis motibus ſpem pugnantium fefellit. Tandem, verſo in Occidentem Sole, ad Venetos inclinavit victoria. Tunc fuſi hoſtes, ab aggeribus paſſim depulſi: cuncta terrore, & ſanguine completa. Qui ſuperfuerant properè ad urbem confugientes, aptè adeò per Marchionem Corbonium, qui cum equitatu eam partem inſederat, intercepti ſunt, ut pars gladiis percuſsa interiret, pars in præceps acta pelago hauriretur: paucis admodùm ſervatis, qui nando ad littus applicuere. Cæſa eo die duo fermè Turcarum millia, inter quos Turcarum Præfecti filius, qui cum valida manu in obſeſsorum opem paulò antè properaverat. Ex noſtris ſeptingenti tantùm par-

1688 *Princeps exteriora hoſtium munimenta aggreditur.*

Eadem ingenti ſtrage Turcarũ occupat.

1688 tim interfecti, partim ſauciati; atque in his Aloyſius Benedictus Sylvaticus inter ductores ordinum vigilantia, & conſilio præcipuus. Verùm triſtiorem omninò cædem fecit. Hieronymi Garzonii, fortiſſimi viri, nuper Claſſis Præfecti, obitus. Hic, cùm apud principia atrociùs pugnaretur, primis Venetorum manipulis ſtrenuè permixtus, tanta vi animi & ſuſtinere ſuos, & propellere hoſtem annixus eſt, ut, nudato demùm aciei latere, multis ſclopetariorum ictibus confoſsus exanimaretur. Non defuere eo prælio alia quoque Venetæ virtutis ſpecimina. Atque inter multos Michael Maurocenus Principis Nepos emicuit: qui, ob gloriæ ſtudium, imperii Patrui fortaſsè oblitus, tàm prope periculum fuit, ut plumbeæ glandis ictum, qui amictum perfodit, vix evaſerit.

Hieronymi Garzonii interitus.

Michaelis Mauroceni virtus.

Captis hoc eventu exterioribus Chalcidis munimentis, XLIV. tormenta, quæ intra Turcarum vallum reperta ſunt, in murorum exitium compoſita. Tunc totis viribus cœpta urbs oppugnari. Præcipua tamen obſidentium cura circa id verſabatur, ut propiùs mœnia ſubirent, ac cuniculorum vim experirentur. Aggere ad labrum foſsę deducto, difficillimum fuit ad murum, ob interpoſitum ſtagnum, evadere. Quò tamen ubi improbo labore perventum eſt, tranſverſis ſepimentis ima locorum, juſsu Principis, obducta: & quia conſtructa in arcus mœnium

moles

moles cuniculorum laborem fruſtrabatur, pro- 1688
ſternendis latiùs obſidionalium tormentorum vi muris inſudatum. Interim Maurocenus ſedulò providere intentus, quà aut ſubmoveret obſeſſos à murorum cuſtodia, aut ſuos ad aggreſſionis impetum incitaret, tandem per confractam muri loricam levis armaturæ cohortem, ad capiendam turrim, quæ ipſis hærebat mœnibus, immittit. Tunc Valerius Uberus, notæ fortitudinis Dux, locum occupare ante omnes aggreſsus, pulſis hoſtibus, turrim inſedit. Sed, cùm eadem ſclopetariorum ictibus expoſita munimento plurimùm indigeret, conſtitutumque anteà fuiſset, ut ad tuendos Venetos lectior cunicularioꝛum manus cum loricis vimineis properaret: nimia rei conficiendæ cupido incœpti fortunam turbavit. Nam, intemperanter ob relatę victoriæ ſpeciem quibuſdam exultantibus, dùm ad muros quiſque collato gradu accedere, ac pro cuſtodia ruinę tumultuario agmine conſiſtere adnititur; cunicularii ſtipatis paſſim cohortibus detenti, deſtinato ſibi munere fungi haud potuere. Idcircò, qui locum inſederant, labore, & vulneribus feſſi, ac poſtremò accenſi forte ignis pavore victi, dejecti ſunt. Nec arduum Turcis fuit reliquum agmen à mœnibus propellere; difficilis enim aſcenſus Venetis erat, neque ullo munitionis genere tegebantur. Contrà Turcæ opportunitate loci tuti, facilè in ſubjectos ſaxa, faces, ac cætera, quæ ſors obtu-

Mœnia tormentis disjiciuntur.

Præclarũ Valerii Uberi facinus, proſperum primò, at exitu infelix.

1688 lit, dirigebant. Proſperè cœptæ rei adverſum exercitum cernens Maurocenus, ne major clades (quadringenti enim ſuorum ceciderant) ſequeretur; ſignum receptui cani juſſit. Poſt quę parari omni ſtudio cuniculum placuit, ut amplior cohortibus in urbem aditus foret.

Princeps ſuos à pugna revocat.

Co: Koniſmarchii mors.

Is ſtatus obſidionis erat, cùm Comes Koniſmarchius morbi ſævitia confectus, ingenti exercitus luctu, ceſſit fatis. Nihil quidem in iis rerum anguſtiis Principis animum ægriùs affecit. Nemo enim perſpectiùs compererat, quę in erepto virtus, quantaque in poſterum ſpes, ſi longiorem vitam duci fata dediſſent. Summa in eo vis ingenii, admirandaque rerum bellicarum diſciplina ubique enituit. Tranſacta enim inter acerrima pręliorum diſcrimina ætate, eadem virtutis, ac fortitudinis fama in caſtris conſenuerat. Neq; minùs ſpectabilis in moribus animi moderatio: nihil enim ob difficultatem recuſare, aut ob jactationem appetere didicerat. Par in arduis, ſecundiſque mens; mira æquitas, prompta conſilia. Has Koniſmarchii virtutes, navatamque ſtrenuè in Peloponneſiaco bello operam Patres, decreto eidem è marmore ſimulacro, quod in Navalis veſtibulo collocatum eſt, compenſarunt. Cæterùm, præter aſſiduas militum cædes, qui hoſtium aperta vi, dolo, ac multò magis loci iniquitate exhauriebantur; duces quamplurimi aut occubuere, aut morborum aſperitate quotidiè magis extenuati. Inter multos

Ejuſdem elogium.

tos prçcipuè Aurelius Marcellus, accepto paulò 1688
antè vulnere inſignis, Hieronymo Delphino in *Aurelii Marcelli*
morbum deteriorem iterùm lapſo, ſubſtitutus, *obitus:*
vita conceſſit. Haud abſimili fato quoq; ereptus
paulò poſt Matthæus Bonus notæ fidei, miran- *& Matthæi Boni.*
dæque vigilantiæ vir. Hic, cùm amore erga Remp. & glorię ſtudio in caſtris degeret, diurnoſque, ac nocturnos labores ſtrenuè perferens, Principis ſtudia, laudeſque hac præſertim in obſidione ſæpiùs evocaſſet, demùm belli incommodis victus, quam in eam diem patriæ impenderat, vitam, eadem animi conſtantia inter pericula armorum ultimò inſumpſit. Jamque, gliſcente in dies calamitate, terreſtris exercitus duces penè omnes obſidionis ardor exhauſerat. Igitur Maurocenus ad obeunda extinctorum munera Navarchos claſſis advocavit, & præſertim Petrum Quirinum Præfectum Quinqueremium; cujus opera aliàs optimo eventu uſus fuerat. Reliquorum jacturam quis ſingillatim recenſeat? cùm prçſertim è machinariorum numero vix ullus ſuperſtes evaſerit. Secùs obſeſſi; qui ſubſidiis elati, non repellebant noſtrorum conatus tantùm, verùm etiam multiplici eruptionum nixu oppugnantium machinamenta ſubvertebant. Diù modò eminùs tormentis, modò cominùs obviis pectoribus pugnatum; imminutoque exercitus robore, licèt viribus extenuatis, eandem tamen virtutem Veneti adhuc præferebant. Princeps, ne in poſterum frangere-

1688 geretur conſtantia militis, donis, ac laude utebatur: & quamvis ſentiret adverſa, tamen ſpem vultu ſimulans, exemplo, ac manu unumquemque ad ſtrenuè agendum impellebat. Hinc ſtationes ſingulorum inviſens, produci obſidionales acceſſus, ac maturari cuniculorum exitum juſſit; prætereà nunquam intermiſſa ferrearum glandium grandine percuti pontem, per quem opportuna quæque tolerandæ obſidioni in urbem immittebantur. Sed collatos brevì muris aggeres, non intercepta ſubſidia vidit. Quippè incolę noctis ope milites, arma, & commeatus, prout exigebat neceſſitas, furtim excipiebant. Intereà multo ſanguine res gerebatur; potiſſimùm, ut quandam foſſæ partem mœnibus adverſam tuerentur Turcæ. Veneti, poſt multiplicem pugnam, loco potiti ſunt; cujus tamen defenſio inſignis poſteà fuit Marchionis Corbonii Equitum Pręfecti interitu. Hic, dùm in editiora provectus, tormentarium ſuggeſtum adverſus hoſtium copias dirigit, ferrea majoris bombardæ glande confractus eſt.

Francifci ſtudia, ut ſuos ſpe erigeret.

Obitus Marchionis Corbonii.

Jamque alter menſis exceſſerat, ex quo Chalcidem macerabat obſidium, cùm navales Etruſcorum copiæ, ſub exitum Septembris diſceſſere. Haud multò poſt Melitenſibus quoque in patriam redeuntibus, intelligens Princeps tempus unà, vireſque conteri, ad maturandum ſummæ rei diſcrimen animum vertit. Quippè, cùm urbis præſidium nova quotidiè auxiliorum vis firma-

Navales ſocii diſcedunt.

Maurocenus urbē omni virium conatu adoriri ſtatuit.

firmaret, eò res devenerat, ut apertum eſſet, niſi 1688
cum totius exercitus jactura produci oppugnationem non poſſe. Igitur incautos apprimè diſpoſito prælio invadere ſtatuit; ut, quod diuturnæ obſidionis tædio perficere haud potuerat, ſubitę impreſſionis conatu experiretur. Dùm itaq; aggreſſionis munia inter ſuos ex æquo partitur, militeſque corpora curant, disjici latiùs urbem imperat, ac duplici ex parte augere hoſtium metum deſtinat. Levis armaturæ cohortes, quę potiſſimùm ex Ultramarinis conſtabant, juſſę eam foſſę partem occupare, qua ſe ſe Thraces loricis vimineis, transverſiſque ſepimentis communierant. Ex adverſo mille, & ſexcenti milites, inter hos non pauci è remigum numero erant, prælongas haſtas, ac ſimul igneas fiſtulas geſtantes, turrim in inſulæ exceſſu ſitam aggredi. Sed neque fraudibus temperatum, ut multiplicis conatus facies vires obſeſſorum traheret in diverſa. Quippè ſtatutum eſt, ut ſex roſtratæ naves, in ipſo certaminis exordio, propiùs arcem accederent, motumque pugnæ ibidem ſimularent. Cęterùm, eductis epibatis, completa ſunt ad terrorem munimenta. Maurocenus verò circumiens aciem, officii ſui cunctos admonuit; erectoque magis, quàm præſens calamitas patiebatur, vultu, languidos erexit ad pugnam.

Ordo aggreſſionis.

His præparatis, XII. Octobris dies dicta certamini. Quæ ubi adfuit, cùm inſtructo agmine, mi-

1688 miles ſignum expectaret, ita ferè exercitum Princeps allocutus fertur. *Niſi me ſuſcepti negotii amor, aut exiſtimatio veſtri, milites, fallit, jam Chalcidis muri in noſtra poteſtate ſunt, ſi munus quiſque ſuum, quemadmodùm paſſim conſuevit, fortiter impleat. Quæ nuper cepimus munimenta, teſtimonium fidei, virtutiſque veſtræ ſatis grande fuerunt: eadem documenta rerum in poſterum agendarum, exituſque hodiernæ aggreſſionis fuiſſe, ut credo, ſatis intelligitis. Maximum in illis victoriæ momentum extitiſſe hinc deprehendendum eſt, quod Turcæ pro invalidis urbis mœnibus novos aggeres, nova propugnacula comparaverint; quibus ademptis, nec ſatis eos muris ſuis fidere, nec diù obſidionem perlaturos, equidem ſcio. Nihilominùs, quia iniquitas loci, & jam vergens tempeſtas opperiri nos obſeſſorum inopiam minimè patiuntur, armorum compendia magis placent, cùm ut omne diſcrimen evitemus, tùm ut victoria illuſtrior, ac memorabilior fiat. Tentatum aliàs, quamvis exigua parte copiarum, impetum variè fortuna, uti meminiſtis, eluſit. Sed quid nunc congerere adverſus vos omnes audeat fortuna, qui toties virtute eandem ſuperaſtis? Satis jam patent murorum ruinæ, ſatiſque iis omnibus, quæ ad eludendos hoſtes valent, proviſum. Turcis diurno, nocturnoque labore fractis, in ſubito, validiſſimoque oppugnantium conatu, nec ad reſiſtendum robur, nec ad excipienda ſubſidia tempus ſuppetet. Vos intereà optimè conſiliis, atque armis inſtructi, juſta acie evadentes in murum, ubi primos fuderitis, non ad pugnam, ſed ad cædem itum exiſtimabitis. Quippè cùm hæret quammaximè mentibus hoſtium virtutis*

Princeps oratione ſuos erigit.

tis veſtræ, & tot, quas retulimus, victoriarum memoria, ultimos conatus non expectabunt, ſed ex primi motus eventu ponentes audaciam, in deteriores metus ſponte vertentur. Igitur, dùm tot, tantaque victoriæ pignora habetis, hanc quoque pugnam ſtrenuè, milites, conficite. Penè pudet in breviſſimi diſcriminis, ac laboris momento tot præmia virtutis, & tantum terrarum eſſe. Eadem die, qua Chalcide potiemur, non modò ditiſſimum Eubææ Regnum, ſed, quæ utrinque Jonio, Ægæoque mari latè alluuntur, habebimus. Suis ita in ſpem erectis, ſignum utrinq; tubæ cecinerunt; ſtatimq; foſſæ pars mœnibus adverſa, accenſo cuniculo, magna muri ſtrage evolavit. Continuò miles ordine proceſſit extra vallum; inopinatuſque armorum ſonitus elatus, ſed præſertim clamor undiq; cum ingenti tumultu, unde minimum periculi erat, de induſtria ortus. Tunc Antonius Medinus, Ultramarinorum ductor, mœnium ruinam audacter conſcendit; &, licèt una per cædes, & ſanguinem via pateret, in medios hoſtes illapſus, disjecti muri aditum ſtrenuè cum aliquot ſuorum inſedit. Reliqui in teſtudinem conglobati ultrà agmen impellere, cædere hoſtem, ſocios ad victoriam læto clamore incitare: &, quamvis conferta paſſim multitudine barbari in aſcendentes niterentur, fervebat nihilominùs ruina manipulis Venetorum viciſſim ad culmen properantium. Sed, dùm ab eo ſic certatur, cùm Joannes Aloyſius Magnaninus, qui poſt Medinum progredi juſſus fuerat, ſubſidiariam cohor-

1688

Prælium committitur à Medino.

Zz tem

1688 tem ad pugnæ locum non perduxiſſet; ita Ultramarinorum robur ob adverſos ictus fractum eſt, ut poſt ſuſtentatam diù Thracum ſęvitiam ingenti clade recedere coacti fuerint, nemine ad ferendam opem ſuccedente. Ita ſive caſu, ſive incuria incœpti felicitas ex inſperato concidit; tantaque Venetos formido invaſit, ut, amiſſa victorię opportunitate, congeſtos propugnantes nemo ampliùs propellere auſus ſit.

Sed adverſum eventum habet.

Neque alia ex parte feliciùs decertatur.

Neque ſecundum magis exitum altera ex parte impreſſionis ordo nactus eſt. Etenim accedentibus Venetis ſaxorum moles muri ruinam obſtruens adeò obfuit, ut, loci aſperitate detentis manipulis, vix pauci ad culmen evaſerint. Tunc ex ducum conſilio, remiſſo conatu, adverſus proximam muri loricam factus eſt impetus. Cùmque nihil hoſtile Venetis occurriſſet, repentè Chriſtianorum ſigna è culmine ruinæ fulſere; tenuique primùm agmine, mox cùm priorum audacia dubiis etiam animum faceret, conferto peditum robore noſtri evaſerunt in murum. Verùm ubi Thraces, re cognita, catervatim ad loci cuſtodiam feſtinavere, altitudine loci adjuti, congeſtis appoſitè ignibus aſſultantium cohortem facilè diſſiparunt. Hunc motum Venetorum fuga comitata eſt. Quippè, neglectis revocantium centurionum vocibus, univerſi à muris receſſerunt. Juvit nihilominùs fugientes ſegnities barbarorum, qui non auſi terga abeuntium laceſſere, opportunitate cædis uſi

non

non ſunt. Perculſus Maurocenus adverſo certaminis fato, tempeſtate jam ad hyemem inclinante, laſſatum militem in novum diſcrimen cenſuit non deducendum. Subibat eas inter anguſtias, obducto vallo, ſtationibuſque copiarum raptim fabrefactis, urbem pertinaci obſidione perſtringere. Neq; inane hujuſmodi conſilium, cùm materia ad opus apta ſuppeteret, & jam muri urbis partim cuniculis, partim tormentis decuſſi, vix ſatis propugnatores ipſos defenderent, dummodò ſocii in conſtituto facinore copias detinere minimè detrectaſſent. At, efflagitantibus miſſionem ducibus, poſtquàm quinque millia Grçcorum inſulam incolentium in claſſem recepta ſunt, exercitum Naupliam ad hybernandum perduxit. 1688

Obſidium ſolvitur.

Dùm ibi reficiendis copiis intentus, curandis ſauciis ſtudet; levi primùm febre, mox ſçviori morbo correptus, diù in ancipiti hæſit. Summa indè exercitus triſtitia, & penè luctus erat; pro ægrotante publica vota; cùm omnium animi à Principis fato penderent. Neque minùs ad nuntios adverſos Senatus expavit; cujus mœror non antè receſſit, quàm, vi morbi repreſſa, in tuto vita Franciſci eſſet. At is ægritudine, quam ab æſtuariis, diuturniſque belli incommodis traxerat, ſummè debilitatus, cùm impar tanto ſubeundo muneri eſſet; Hieronymo Grimano Equiti, atque ætate provectiori Conſiliario ſummam rerum, annuente Senatu, commiſit.

Princeps Nauplia ægrotat.

Reſtitutus in valetudinē, Hieronymo Grimano negotia demandat.

1688 miſit. Inter hæc Patres nuſquam magis ſoliciti, quàm ubi de incolumitate Principis ageretur; decrevere, ut penes eum gerendi belli poteſtas quidem in poſterum eſſet; ſed ne negotiorum mole fatigaretur, Hieronymus Cornelius Eques, ac D. Marci Procurator, qui Illyrici Provinciam, ut retulimus, adminiſtrabat, in Præfecturam claſſis conſtitutus. Adfuere ſub idem tempus, qui ad Senatum de geſtis in Eubęæ obſidione rebus vecordia nonnullorum, ingentiaque de Mauroceni virtute referrent. Cùmque ſedulo examine conquiſitum eſſet, undè adverſus pugnæ eventus; ut, qui mandata Principis ſegniter executi fuerant, debitis pęnis afficerentur: inventum, aliquibus diligentiam, omnibus fortunam eo in molimine defuiſſe. Ita conati Patres Mauroceni męſtitiam ſolari; & quamvis, adverſantibus fatis, Eubęæ obſidium incaſſum ceſſiſset, Ducis conſilio ſiſi, nequaquam dejecti ſunt. Affecit ea res modica lætitia animos barbarorum; cùm quòd aliàs Mauroceni indolem experti, ubi dènuò Chalcidem tentaſſet, eundem voti compotem futurum, tùm quia, poſt acre in Pannonia bellum, amiſſis Alba Regali, Bellogradoque urbibus, extremas cædes imminere ſibi proſpectabant. Quamobrem tuendi Imperii neceſſitate permoti, rursùs conditiones pacis in medium attulerunt. Sed ubi à Venetis Eubœam, Antibarum, Olchinium, (urbes maritimæ ſunt Provinciæ Illyrici, aliàs

Hieronymus Cornelius Claſſis Præfectus eligitur.

Iudictum judicium de Eubęę obſidione.

Sen'us Turcarũ.

Tentantur conditiones pacis.

liàs Venetæ ditioni ſubjectæ) & littoralia quæque à Corintho uſque ad Corcyram porrecta, ſimulque à Cæſare, ac Polonis, multa alia in pacis pretium expoſci intellexere, omnia ad armorum fortunam ſunt revocata. 1688

1689.

Maurocenus, inter varias corporis curas hyeme ægrè traducta, ubi vere inclinante refectus, novas ab Italia copias, atque una Melitenſes ſocios excepit; in Præfectum Turcarum, acturbatores Leuctri mentem convertit. Hi pellicere finitimorum præſidia, ac præmiis interdùm tentare, ut improviſa defectione in Turcarum ditionem regio rursùs tranſiret. Ille quotidianis excurſibus Naupacti incolas infeſtabat; incertum, an bellandi cupidus, an verò Venetorum vires diſtrahendi. Sed utrumque malum, ſublatis arcium corruptoribus, ac valida prope Naupactum armatorum manu oſtentata, oppreſſum fuit. Quapropter illud potiſſimùm curatum à Principe, ut novo molimine omnem ſpem ex ſuperiori eventu ab hoſtibus collectam demeret. Exorſus à ſuis, unumquemque alacri oratione erexit, ut, quà conciderat, fidem reſtitueret, quà verò nutabat, fiducia confirmaret. Continuò conſultatum de rebus ea tempeſtate peragendis. Neque aberat cupido Eubœam rursùs invadendi, dummodò imminutum copiarum robur, auctaque Inſulę munimenta conſilio non obſtitiſſent. Idcircò ad majorem opportunitatem hunc conatum reſervans, Epidauro littorali Pelo-

Maurocenus Turcarũ motus compeſcit.

Statuit invadere Epidaurũ.

1689 Peloponneſi urbe potiri conſtituit, cùm ut poſtremam de nobiliſſima Provincia victoriam referret, tùm ut, effugiis Turcarum ablatis, conterminas gentes à rapinis, cędibuſque vindicaret. Naupliæ ergo rebus compoſitis, colligere vaſa militem jubet, ac ſecundo flamine Epidaurum proficiſcitur. Iter erat quadraginta fermè milliarium; quo confecto, contemplatus urbis ſitum, cùm aggreſſionis impetu expugnari minimè poſſe animadverteret, aliud obſidionis genus inſtruxit. Hęc urbs non unica vice, vigente Cretico bello, ſed fruſtrà tentata. Quippè & ſtructura murorum, & inacceſſis cautibus, importuoſoque mari prævalida, facilè obſidentium labores eluſerat.

Deſcriptio Epidauri.

Sed Maurocenus loci difficultatem eluctatus, id ſibi agendum propoſuit, ut terreſtrium, maritimarumque copiarum ope interceptis continentis, & pelagi ſubſidiis, incolas rerum omnium egeſtate conficeret. Ubi itaq; quandam navium manum ad eam partem miſit, qua Peloponneſo Epidaurum adhæret; ipſe reliqua cum claſſe urbem veluti corona circumſedit. Hinc terreſtris quoque oppugnatio comparata; obductoq; vallo, quà modica planities rupem exęquat, ut ſuper aggeres obſidionalia tormenta componerentur, imperatum eſt. Acceſſere & ollarum incendiariarum jactus, ne interiora loci tuta barbaris eſsent. Sed nihil æquè ac ſolicitudo arcendi auxiliares copias militem fatigabat. Nihilomi-

Urbem arcta obſidione cingit Maurocenus.

minùs, cùm in eo victoriæ ſpes omnis ſita eſset, 1689
intentiùs nocte ſervabantur vigiliæ; &, ne quis laborem averſaretur, Princeps ipſe difficillima adibat. Jamque multùm obſidio proceſserat, cùm inceſſit conſilium occupandi aliquot longas naves, quæ paulò ante obſidionem, commercii cauſa, eò convenerant. Delectus in hanc rem Laurentius Venerius Navium Præfectus, qui hoc in bello præclarum corporis, animique robur geſtis egregiè rebus ubique comprobavit. At primùm adverſati ſunt facinori aquilones, qui Venerii naves longiùs compulerunt: dein Venerius ipſe, dùm ad operam ſtrenuè navandam ſuos exemplo cohortatur, tormenti ictu in capite percuſsus, religionis, patriæque victima cecidit. Eodem conatu vulneratus quoque Franciſcus Grimanus, Antonii Equitis, ac D. Marci Procuratoris filius; qui virtutem patrui Hieronymi Cornelii Claſſis Præfecti imitatus, lubens armorum diſcrimina adibat.

Laurentii Venerii Naviũ Præfecti mors.

At Princeps novi aliquid moliendi deſiderio flagrans, dùm, ſuo veluti pondere, pertinaci obſidione laſsatum Epidaurum concidebat, aliquot cum navibus ad explorandum Ægeum, laceſsendamque hoſtium claſsem procedit. At, vix ſolutis ab littore navigiis, ſubita tempeſtas conſilium intervertit. Ubi verò procellæ vis triduum claſsem diverſè impulit, compoſito turbine, dùm ſparſas per æquor Cycladas inviſit, repentina febre æſtuans, aliis curis animum aperuit. Quippè

Maurocenus in Ægeum proficiſcitur.

Sed medio in itinere ægrotat.

1689 pè cùm nondùm in ſanitatem integrè reſtitutus, neglecta corporis valetudine, priſtinis negotiis ſe tradidiſset; ita inter omnes ſęvioris morbi notas laborare incœpit, ut variis ſymptomatibus peritos deterreret. Idcircò hortantibus ipſis, ut, antequàm eum infeſtior æſtus conficeret, refovendarum virium curam amplecteretur; coactus Franciſcus ab incœpto deſiſtere, locare operam nautas juſſit, ut ſe quamprimùm Peloponneſo redderent. Ut perventum eſt ad Epidaurum, ac nonnihil immitem ſanguinis motum quietis beneficio compoſuit; hortari duces, imperare, quæ in rem erant, toto denique animo in delaſsandos urbis incolas rursùs incumbere. Quæ ſtudia, adverſus medicorum ſaluti Principis timentium ſenſum adhibita, cùm noxia plurimùm valetudinario eſsent, nimiùmque infeſto aere læderetur; ita dies, nocteſque inter varias corporis ęgritudines ducebat, ut eùm quotidiè magis confici appareret. Exindè ætas ad ſeptuageſimum primum vitæ annum perducta, corrupti aeris inclementia, augeſcentiſque morbi diſcrimen eò medentium conſilia deduxere, ut reddendum ſtatim patriis ædibus, ſaluhriorique aura inſtaurandum Principem cenſerent. At quantò id Mauroceni conſiliis magis adverſum, tantò in majus morbi irritamentum, ut fieri ſolet, conceſſit. Siquidem, cùm ſolitis muneribus eodem ardore mentis inhiaret, nec tamen ſufficere viribus poſset, ipſa ſui impoten-

Epidaurum revertitur.

tia

tia vehementiùs angebatur. Hinc mœror animi 1689 ſerpentem in ſanguine labem fovebat; tantò ſegniore ad labores corpore, quantò laboris avidior animus erat. Victa nihilominùs aliquot dies virtute ægritudo; & fatiſcentes ſpiritus ad munia obeuda coacti. Sed, poſtquàm nec ſatis potens ſui erat, nec multùm pejoris notæ febris impendentis ſuſpicio aberat, ne, viribus maxima ex parte conſumptis, ultimum, quod ſupererat, vitę momentum, in non neceſsariam aleam daret, tandem cariſſimorum conſilia, quamquam ægrè, ſequi decrevit.

Adveniente Cornelio, Princeps Venetias contendit.

Per eoſdem fermè dies Hieronymus Cornelius D. Marci Eques, ac Procurator Epidaurum appulerat; cui poſtquàm momenta armorum, & cinctam arcta obſidione urbem, cujus vi deindè in noſtrorum manus conceſſit, enixè commendavit, officii ſui, gerendæque in poſterum rei ſingulos duces admonuit. Exin, delectis quatuor triremibus, quibus addita Melitenſium navigia fuere, Zacynthum proficiſcitur. Tranſvectus indè Cephaleniam, in Illyricum ſe contulit; ac Spalati (urbs eſt maritima inter Tragurium, & Almiſſam ſita) quadraginta dies, ut à Græcia venientibus peſtilentiæ ſuſpicionis cauſa imperatum multò antè fuerat, immoratus eſt. Redeuntem à bello Principem quo plauſu ſingulæ civitates exceperint, nemo ſatis explicaverit. Unuſquiſque ex conterminis populis, ubi priſtinæ ſaluti redditus eſt, vota ſol-

Spalati appellit.

1689 vit pro ejuſdem incolumitate. Suæ enim cuique lætitiæ, atque amoris inerant cauſæ. Siquidem alii reſtituta commercia, alii redditos libertati genitos, parenteſq; omnes auctiorem, tutioremq; bonorum poſſeſſionem virtute Mauroceni partam gratulabantur. Sed non minùs hominum votis, quàm Superûm decreto, poſt tot bellorum diſcrimina, diuturnamque ægritudinem ſervatum caſus prodidit. Quippè, cùm improvisò rueret tectum, ubi ſpatiari ſæpiùs in die conſueverat, factum eſt, ut eodem momento aliò digreſſus ruinæ impetum evitarit.

Studia populorũ erga Principẽ.

Mirè ab quodam caſu Frãciſcus ſervatur.

Jamque, rebus ad diſceſſum maturis, iter in patriam parabatur; quod tamen ob rigores hyemis, adverſoſque ventorum impulſus, haud quietum penitùs fuit. Princeps, commendata Illyriorum erga ſe pietate, navim conſcendit; varioque æſtu Sicum, Jaderam, & Hiſtriam, mox Superum Mare tranſgreſſus, ad gemina oppida in Methamauci ſinus faucibus locata, quibus urbis aditus ab alto clauditur, pervenit.
1690 Poſtera die, eaque XI. Januarii fuit, ultrò provectus eſt, nec procul ab urbe duodecim Legati, è Patritiorum ordine delecti, quos magnifico ornatu ad eum Patres miſerant, adfuere. Ingens cum iis concurſus populi, numeruſque nobilium; ſtudio reviſendi Principem, tot, tantiſque rebus geſtis clarum. Intereà Patres, quos Quinqueremis Regia vehebat, convenerunt; exceptumque in eam in interiorem civitatis ſinum per-

Ejuſdem iter in patriam.

XII. Legati obviã eunt.

Paulò poſt Senatus.

perduxere. Ut verò ad D. Marci curiam pervентum fuit, ad inſignia majeſtatis accipienda, comitantibus Patribus, in Supremas Ædes proceſſit. Solemnibus ibi de more perſolutis; ubi deſcendit in forum, ac circumſtantium civium vultus in ſe traxit, altiùs eorum prçconiis curia perſonuit. Cunſti catervatim ora fortiſſimi Principis perlegere, reducem ex Graecia gratulari, at triumphales plauſus extollere. Cùmque, ut pugnaſſet, ut viciſſet, ſinguli memorarent, recentis lætitiæ motu ferventes animos ipſa præſentia victoris magis, magiſque accendebat. Hinc modò in Principem, modò in victarum ab eo gentium titulos reſpicientes, non gaudio, non feſtivis conclamationibus temperabant. Intereà magnum auri, argentique pondus de more ſpargebatur in plebem; lçto tormentorum fragore immugiebat æquor; Publicç Ædes ditiſſimo fulgebant apparatu: omnibuſq; variè tympanorum, ac tubarum concentu ſtrepentibus, unà Maurocenus oſtentabatur, & Princeps, & triumphator. Poſt hæc, iis omnibus, quos ſibi adminiſtrandæ Reip. ratio, aut vetus neceſſitudo conjunxerat, benignè receptis, fatigatum diuturnis curis animum in neceſſariam quietem deduxit. 1689

Peraguntur ſolemnia adepti Principatus ingenti populi lætitia.

Intra idem tempus, quo hæc Venetiis agebantur, Innocentius XI. Pontifex Maximus, qui ſummo Catholicæ Fidei decore, atq; emolumento tredecim annos Romanam Eccleſiam ad-

Innocentii XI. obitus.

1690 adminiſtraverat, è mortalium numero ereptus eſt; ut immortali vita frueretur, quam ſibi innocentiſſimis moribus comparaverat. Novemdialibus ſacris Innocentio perſolutis, habita comitia; atque in extincti locum Alexander VIII. è Patricia Ottobonorum familia Venetiis ortus, à Purpuratis ſuffectus. Viſa omnia, quę ad Venetam Remp. ſpectabant, ab novo Pontifice ſedulò procurari. Cùm enim ad optimè geſtum adverſus Thraces à Repub. bellum ſtatim reſpexiſſet; Principis Mauroceni virtutem inter reliqua demiratus, cujus opere, terra, mariq; conſternatis barbaris, tantum terrarum imperio Chriſtianorum acceſſerat, haud impari dignitate eundem inſignire decrevit. Itaque Galeam, atque Enſem, quo Romanæ Sedis Pontifices inclytos Catholicæ Fidei Athletas decorare aliquandò conſueverunt, ad Maurocenum miſit; ut tanti Ducis diſciplinam non Venetæ Reipub. tantùm, ſed univerſo Fidelium Imperio utilem, ſalutaremque fuiſſe poſteri cognoſcerent. Muneris decus omninò celebre, rarumq; cùm hoc ævo unus, præter Franciſcum Maurocenum, Joannes III. Poloniæ Rex, ob vindicatam ab obſidione Turcarum Viennam, hujuſmodi donum ab Innocentio XI. meruerit. Inſignium mittendorum mos undè initium traxerit, haud ſatis compertum eſt. Quidam ab ſacris literis rei originem repetunt, alii Pontificum Romanorum inventum malunt. De hoc affirmare quid-

Alexander VIII. ſummus Pontifex.

Decorat Maurocenum Enſe, Galeaque.

Genus Muneris, & dignitas.

quidquam non auſim. Id tamen apertiſſimè liquet, non niſi clariſſimis Principibus, qui Chriſtianorum Imperium propugnarint, permiſſum; reliqua in obſcuro ſunt. Ubi Venetias delata ſunt inſignia à Michaele Angelo de Comitibus, Pontificis Cubiculario, ex Alexandri decreto Joſeph Archintus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, Pontificię ſedis Nuncius, juſſus ea Principi, utpotè ſtrenuo Fidei Propugnatori, tradere. Peracta ſolemniter in D. Marci æde Pontificii muneris pompa; capitique, ac lateri Mauroceni, plaudente Senatu, galea, atque enſis aptatus. *1690*

Cæterùm eorum, quæ in bello Franciſcus egerat, momentum ipſa quietis ocia lætiora reddebat. Exercitu ad oppugnationem Epidauri relicto, diù ab incolis toleratum obſidium. Quippè cùm iis ſolita, inaſſuetaque alimenta deeſſent, eam inopiæ vim ſuſtinebant, ut internatas ſaxis herbas, & fędiora quæque in uſum verterent. Verùm, ad extremum redactis omnibus, cùm nulla ſubſidii ſpes adverſus arma oppugnantium, ne levamentum quidem adverſus famem eſſet, clauſis omni ex parte à Mauroceno itineribus, per quæ ſuppetiæ ferri ad eoſdem poterant; demùm, jamque quatuordecim menſes exceſſerant, deditionis conſilium amplexi ſunt. Addita læto huic eventui paulò poſt Aulonis, atque Elymæ expugnatio, Macedoniæ loca ſunt in ora Maris Jonii, per quæ à Turcarum *Epidauri deditio.* *Aulonis, & Elymæ.*

rum

1690 rum inſidiis tutius Illyricum. Hæc, cùm Cornelius mira vi conſilii, ac celeritate perfeciſſet, Dyrrachii quoque capiundi ſpe incitatus, (Sita eſt urbs inter Scodram , & Appolloniam) eò navales vires converterat . Attamen, adverſante vento, inclinanteq; tempeſtate, à conſilio dimotus, quamvis irrito incepto diſceſſiſſet , animis nihilominùs militum ſui expectatione altiùs excitatis, non modicam proſperarum rerum ſpem Venetis fecerat. *Cornelii obitus.* Verùm fortuna ſecundis adverſa adeò permiſcuit, ut in communi omnium gaudio, ob immaturum ſtrenui Ducis obitum, lugendum fuerit. Concuſſus Senatus Cornelii jactura , poſtquàm publico dolori litatum fuit ; *Dominicus Mocenicus Imperator Claſſis.* Dominicum Mocenicum , aliàs Illyrici Præfectura perfunctum , in extincti locum inſtituit .

Plurimùm intereà demulſit animos inſperatum victoriȩ genus, quod ingens Turcis vulnus inflixit . Poſt ſubactam etenim Epidaurum *Hieronymi Delphini navalis pugna cum Turcis.* Hieronymus Delphinus ſupremam navium Prȩfecturam jam adeptus , dùm ad explorandos Turcicæ claſſis motus, exigendaque de more ab Inſulis Ægæi maris tributa proficiſcitur, in hoſtes incidens , aliàs edita fortis animi, promptique conſilii exempla egregio facinore comprobavit. Quippè cùm XXXII. Turcarum naves , ac duo de triginta triremes, duodecim Navium manu penes Lesbon Inſulam ad certamen provocaſset , æquo marte primùm cum barbaris con-

1690

congreſſus eſt. Mox ſolus quatuor horarum ſpatio ex ventorum defectu, intra hoſtium navigia ſtrenuè laborans, ruentes in ſe Thraces adeò disjecit, ut nulla ex iis prope laſſatam navim accedere auſa fuerit. Interim ipſe voce, atque exemplo ſuos hortatus ad victoriam, læva adverſo tormenti ictu peruſta, atque attrita, non tamen animo deficiens, ita propellendis hoſtibus inſtitit; ut non priùs vulnere, prælìove fatigaretur, quàm in præcipitem fugam univerſam barbarorum claſſem conjiceret. Mytilene Turcis perfugium fuit: ipſe prope inſulam naves deducens, veluti è proximo manum commixturus, ad illud animum intendit, ut hoſtem redigeret in aperta. Sed barbari tentantes effugium, poſtera die non auſi ſunt ſe prælio committere: tandem, cùm præſtarent navibus, quæ remorum impulſu aguntur, raptim reliquam claſſem à pugna, quam inſtaurari concupiebat Delphinus, ſubduxere. Excepta ingenti Senatus, ac Mauroceni gaudio victoria: crevitque ejuſdem exiſtimatio, quòd Thraces jam diù navali prælio non laceſſiti, totque navigiorum numero ſuperiores, palmam victoriæ virtuti Veneti ducis conceſſiſſent. Quamobrem Equeſtris D. Marci dignitas in Delphinum omnium ordinum votis collata: cùmque inciperet hyems, bellici apparatus inſtrui cœperunt.

Ejuſdem vulnus in manu acceptũ, & victoria.

Turcæ furtim diffugiũt.

Equeſtris dignitas in Delphinum confertur.

1691

Habitis militum delectibus, arma, claſſis, turmæque, ineunte vere, in Græciam convenere.

Exin-

1691 Exindè erectus eſt ſummoperè Senatus, anxia contemplatione perquirens, quinam belli exitus eo anno futurus eſſet. At poſt Cornelii obitum viſa omnia priori fortuna deſtitui; immò intra biennium, omnia adverſa fatis volventi-
1692 bus, vix quidquam memorabile geſtum fuit. Quapropter męſta Reſpub. piis ſupplicationibus priſtinam armorum felicitatem precata eſt. Tandem omen tacitè venerata, quòd tandiù bellum proſperè à Mauroceno geſtum fuiſſet; denuò ad eundem, eas inter anguſtias, confugit.

Inſtauraverat Principis vires aeris indulgentia, compoſitoque in meliorem valetudinem animo, nondùm penitùs in eo caſtrenſem ardorem deferbuiſſe, conſtabat. Exindè à quamplurimis ad gerendum rursùs bellum oculis deſignatus; diùque privatim agitata res fuit. Verùm, aucta in dies rei cupidine, coeuntibuſque Patrum ſtudiis, aperiri demùm conſilium placuit, ut, ſi ſuis viribus adhuc Franciſcus fideret, Imperatorio onere ſuſcepto, intenderet denuò adverſus Turcas bellum, veteremque militiæ diſciplinam excitaret. Non unica indè vice preces Senatus verſæ ad Maurocenum: oſtenſumque in ea temporum calamitate, ſingulorum votis in Imperatorem expoſci. Tandem cùm tertiò prolata palàm ſententia, à Principis vultu omnium animi, atque ora penderent: *Non video*, inquit, *Cives optimi, cur ego ea in re à veſtris ſtudiis diſſentiam, in quibus veſtrum omnium vota*

Preces Patrum;

quibus Princeps aſſensit.

vota conveniunt. Ter jam Imperatorio munere perfunctus, quartùm hoc quoque, ſi ita conſtituiſtis, lubentiſſimè ſubeo. Parendum mihi patriæ, cedendum amori, religionique litandum. Defendi Rempub. adoleſcens, ſenex non deſeram; extremumque ſpiritum, qui fato quodam imbecilles artus etiamnùm regit, ſtrenuè Reip. impendam. Scitote, me nunquam longiorem optaviſse vitam, quàm dùm hæc patriæ ſacranda eſt. Annuant Superi inceptis, ac lætiores eventus animum, quem aliàs in bellica adminiſtratione præſtiti, fidiſſimum probent. Cæterùm, ſi ita de me fata conſtituerunt, ut inter bellorum pericula ultimum diem obeam; ſint hæc in extremis votorum meorum, ut ſit vobis maximè curæ Reſpub. eique optabilia quæque cælites in poſterùm largiantur. Hæc dicentem non modò majeſtas, ac fides, ſed tacita quædam lætitia, ac penè ſubeuntes lacrymæ commendabant. Quamobrem latè exultantium Patrum murmur exortum; magiſtratus invicem gratulari, Principis animum, amorem, ac fortitudinem extollere, atque adeò in lætiores vultus componi cęperunt, ut ſubita hilaritas, fiduciaque inopinanter inceſſerit. Multus indè ſermo populi de Mauroceno, cùm quiſque in ſenili corpore juvenile robur, pietatem in Principe, fiduciam in bellorum vices experto miraretur. *Verùm quid Dux, qui ſub tentoriis educatus, inter militares motus conſenuerat, diutiùs fatigaretur? Servandam Patriæ ſenectutem illius, qui omnem ætatem in caſtris tranſegerat. Sed aſſueviſſe victoriis Rempub. pugnante Mauroceno.*

1692

Quartùm declaratus Imperator.

Populi voces de electione ejuſdem.

1692 *Veteris hoſtis ora Thraces minimè laturos. Igitur iret ſummus Princeps, & virtute ſua uteretur: non ad incerta præliorum, ſed ad proſperrima hoc duce properari.* Compoſitis in hujuſmodi ſpem omnium mentibus, ornari claſſis, conſcribi exercitus, cæteraque ad cultum Principis congeri intentiùs cęperunt.

Ingens Turcarũ pavor.

At nunquam altiùs pavore concuſſi ſunt animi barbarorum. Cùm enim paulò antè, expulſo Muſtaphà, Cuperlium Regii Sigilli Cuſtodem creaviſſent; hic ita ſeu fortitudine animi, ſeu reverentia majorum, quorum acta memoravimus, favorem plebis ſibi conciliaverat, ut non quieti modò Imperii fines, ſed brevì in Pannonia prolati fuerint. Veruntamen inceſſit repentè ex ſumma lætitia acrior formido. Dùm enim ſe fregiſſe penitùs robur hoſtium rebantur, nova diſcriminis moles ex inſperato erupit. Nemo ex ordine Procerum, & popularium turba, evulgato Mauroceni adventu, non contremuit: quique virtutem ejus in bellis experti fuerant, vel ipſum nomen, & tot victoriarum, quas retulerat, memoriam reformidabant. At, inſtante bello, vix conſiliis locus erat; cùmque brevì per acies abſolvenda res videretur, veluti ad Regiam urbem inſtaret Franciſcus, certatim primoribus demandabantur officia, fortunæque in tributum ad inſtruen-

Qui ſedulò parantur ad bellum.

1693 dam claſſem egerebantur. Ita, ineunte vere, navales copiæ utrinque in promptu fuerunt. Ubi

verò

verò Venetiis impetrata ſunt publicis ſupplicationibus ſecunda auſpicia; die XIV. Maii Princeps Imperatoria ſuperindutus chlamyde, ſceptrum manu geſtans (ſummi Imperii inſigne) in D. Marci Ædem, comitante Senatu, deſcendit. Sacris ſolemni pompa peractis, cùm denſus imber quietum iter non daturus eſſet, ad Regiam Quinqueremim, poſtera tantùm die, proceſſum eſt. Qui tunc vultus, qui oculi extitere intuentium Principem nullo ætatis graveſcentis pondere, armorumve diſcrimine territum! Quantus præterea tota in urbe motus, quæque fulgentiſſimorum apparatuum pompa! Videres referta undique, ac laborantia tecta, repletas paſſim vias, alacremque hinc indè populum, uno laudum concentu ſtrepentem. Porrò in ipſo Principe ſolidum corpus, arcanus luminum vigor, certa veſtigia, cani ab oris rubore diſcrepantes ita omnium oculos trahebant, ut, ægrè remota turba, quæ undique limina inſederat, diù in proficiſcentis contemplatione herere quiſque adniteretur. Acceſſiſſe gentes ab multis Italiæ urbibus, externos quoque principes cupidine videndi Maurocenum conveniſſe, teſtes fuimus: quinimmò adeò in augendo ornatu inter ſe certavere, ut, quæ eo die peracta ſunt, fidem excedere videantur.

1693

Diſceſſus Mauroceni.

Ornatus urbis, populique concurſus.

Exultantibus tubis, lætoque tormentorum fragore, ubi ad urbis littus deventum eſt, egregia Patribus humanitatis, atq; amoris officia

1693 Princeps perſolvit. Intereà de novo conſtructa triremis aderat, elaboratis diù ornamentis ſpectabilis: ditiſſima remiges decorabat veſtis; duces verò ad præcipua belli munia conſtituti (inter quos ejuſdem Nepos, Michael Maurocenus, bellicæ virtutis ſtudio ductus, qui Imperatorię triremi aliàs præfuerat, & denuò eidem muneri deſtinabatur) Principis latus ſtipantes, ipſius gradus latè veluti ducto agmine fulciebant. Exindè, ubi triremim ſcandit, octo aliarum triremium manu, atque innumera propemodùm omnis generis navigiorum multitudine, quam non impar apparatuum ornatus inſignem fecerat, ex ordine Imperatoriam navim circumſtante, ad extremum littus uſque proceſſit. Ibi, cunctis in lętiores plauſus effuſis, vela in altum nautę dederunt. Viſi ſunt venti favere diſcedenti Principi; brevìque Adriatico ſinu trajecto, per lætas Illyrici oras, effuſis non civitatibus tantùm ad honores habendos, ſed frequenti circumjacentium populorum concurſu, Saſonem appulit. Ut verò tranſvectus Corcyram, pervenit Zacynthum, Peloponneſi oras diligentiùs perlegit. Demùm, cùm reliquam claſſem, quæ circa regionem detinebatur, in unum redegiſſet, continuòque res maritimi, ac terreſtris exercitus exploraſset, exhauſtas copias ante omnia inſtaurare, diſciplinam caſtrorum lapſam, ac penè extinctam refovere, militemque ex inertia, & dedignatione parendi ad

Proſperū Principis iter.

Claſſem inviſit.

vetus

vetus inſtitutum revocare mira ſedulitate conatus eſt. 1693

Thracum motus cohibet.

Inter hæc Turcarum Præfectus, qui cum quindecim armatorum millibus Thebas advenerat, veritus, ne Princeps, ſumptis armis, in interiora Thraciæ devolveretur; ſimulat ſe in Peloponneſum univerſo cum exercitus robore irrupturum. Non neglexit motum Maurocenus, quamvis aſtu hoſtium intellecto; præſertim, ne Græcorum præſidia rumore validi hoſtis permota à ſe deficere, quàm expectare bellum mallent. Miſſi hac de cauſa Centuriones cum valida manu, qui Provinciç terminos cuſtodirent. Inde præſidia oppidorum aucta, convocatæ ex finitimis locis gentes, quæ arma ad tuendos fines caperent. Cætera ita ad bellum parata, ut brevì Thraces, remiſſis conatibus, Thebas reverterentur. Jamque multùm çſtas adoleverat, cùm ab exploratoribus renunciatum, barbarorum naves magno cum commeatu Smyrnam, quæ Joniæ caput eſt, mox acceſſuras. Impulit eò Franciſci animum intercipiendorum hoſtium cupido; cùmque id ſibi virium non eſſet, ut magni aliquid ea tempeſtate moliretur, ſtatuit intereà maritimis excurſionibus commercia intervertere. Continuò igitur, in paratas triremes traducto milite, in Ægæum provehitur. Ut verò diverſis motibus hoſtem, huc, illuc ad cuſtodiam locorum accurrentem, traheret, Eubçam primùm, ac deindè Pagaſam proficiſcitur. Non de-

In Ægæũ contẽdit ad laceſſendas hoſtium naves.

1693 defuere Thraces occaſioni, qui modò Eubœæ, modò finitimarum urbium obſidionem ſuſpicati, diviſis cohortibus, ad indicata loca tumultuario agmine confluxerunt. Sed, quod præcipua cauſa itineris, navigia hoſtium à diſcrimine exempta ſunt; nam barbari aliò ſubterfugientes Venetorum triremes aptè declinavere.

At barbari fugã arripiunt.

Id poſtquàm Principi innotuit, in Atticum ſinum properari imperat; ubi ad expugnationem Eubœæ, quam ſequenti anno ſumma vi tentare decreverat, opera quæque idonea diſponere aggreſſus eſt. Igitur Æginam inſulam, haud multùm à Peloponneſo ſemotam, mille armatorum præſidio, recentibus munimentis, atque ubere annona ſedulò inſtruit; ut tutum indè Eubœam obſidenti commercium, & rerum omnium copia præſto eſſent. Quibus ordinatis, in Ægæum denuò vectus, exigere de more ab inſulis vectigalia, remiges conſcribere, populiſque pervicacioribus imponere tributa. Talia agenti Turcicam claſſem penes Chion inſulam conveniſſe nunciatur. Erectus inde in pugnæ ſpem: cùmque omnia ad diſcrimen ordine præparata eſſent, ut occuparet hoſtis adventum, eò magnis itineribus contendit. At Thraces non auſi, Mauroceno Ægæum percurrente, aperto pelago ſe committere, intra tutiores portus detentis navigiis, tota ea tempeſtate delituerunt. Immò ipſius Præfecti claſſis tanta in poſterum trepidatio fuit, ut nullis muneribus intereſſe auſus, gerendas du-

Æginam communit.

Per Ægæum denuò hoſtẽ inſequitur.

cibus

cibus res, & præſertim colligendi militis officia mandaverit. Princeps intelligens, fruſtrà tentari ignaviam barbarorum, ad res ſuorum inviſendas rursùs converſus eſt. Intereà, cùm hyems propinquaret, ut quiete firmarentur corpora militum, oſtentato tantùm terrore, in Naupliæ hyberna conceſſit. Præcipua ibi curarum ea eſſe cœpit, ut nova munimenta veteribus adjiceret, firmaret futuris præliis animos, milites cogeret, ac majore præſidio Iſthmi fauces, Corinthi arcem, & præter hęc ſuſpectiora Provincię loca communiret. 1693

Peloponneſum firmat.

His conſtitutis, jam redierat omnibus ſpes gerendi proſperè in barbaros belli, cùm in votorum faſtigio Venetas res fortuna deſtituit. Siquidem, dùm Princeps refovere quiete animum, ac vires curat, inopinato morbo correptus omnium mentes ſubito pavore defixit. Nec ſalutis recuperandæ ſpes diuturna fuit. Quippè poſt aliquot dies, victo patientia, ac medicamentis dolore, vix recreatum ingenti gaudio univerſa claſſis exceperat, cùm denuò in ęgritudinem incidit. Sed adeò vehementer ſub ipſum ſævientis mali exordium, quod à calculi vi aſperabatur, vexari incępit; ut nemo peritorum de vita Principis benè ſperaret. Aucta in ſingulos dies morbi labes non modò eluſit vim remediorum, ſed brevì ad extremum laborantem deduxit. Itaque fatorum vim præſentiens, actum de ſua ſalute cùm non ignoraret; literas amoris, ac fidei ple- 1694

Ægrotat Naupliæ.

Literæ ipſius ad Senatū.

nas

1694 nas Senatui ſcripſit, ex quibus, indicata ægritudine, qua ſe in horas confectum iri expoſuit, commendataque Repub. nihil de morte conqueri conſtabat, niſi quòd, dùm Patriæ prodeſſe plurimùm poterat, ipſum præmaturo exitu fata raperent. Exindè, convocatis ducibus, placidus ore, atque intrepidus verbis, in hunc fermè modum eos allocutus eſt. *Quoniam mihi*, commilitones, *natura vivendi finem facit, claſſem, exercitumque trado vobis, prout tempora ferunt, inſtauratum, ac firmum. Nec diù me orare patitur inſtans malum; nec virtus veſtra indiget ſtimulis, ut excitetur. Crebrò, uti meminiſtis, hiſce in campis triumphavimus; tantumque hoſtium ſanguinis fuſum eſt, ut noſtris armis parere jam didicerint. Haud diſſimiles eventus in poſterum per vos ego Reipub. polliceor, quibus non aliud pretium laboris, quàm fides, famaque. Quapropter poſtremas has preces vobis relinquo, ut magno, quemadmodùm ſoletis, animo ſuſcipiatis momenta armorum, incboatamque nominis veſtri gloriam perficiatis: mihi verò piis ſupplicationibus placetis Numina, ut, ſi qua in parte lubricum vitæ meæ declinavit, crimina remittant, immortalemque, cui naſcimur gloriam, largiantur. Conterantur intereà barbari virtute veſtra: Reſpub. verò, me extincto, ſuorum robur non defeciſſe intelligat.* Tunc totus ad divina converſus, & ſemel, atque iterùm noxas Sacerdoti confeſsus, Chriſtianis Sacris animam expiavit. Mox, cùm reliqua omnia Sacramenta Eccleſiæ piiſſimè ſuſcepiſset, nullum niſi de divinis rebus ſermonem admiſit, haud dubiis verę, ſin-

Sermo extremus ad Claſſis Proceres.

ſinceræque religionis indiciis. Jamque, exaſpe- *1694*
ratis intra biduum ſymptomatibus, modicus calor tepebat in pectore; jam vires, jam corpus, nondum tamen animus Principem deſerebat. Quare, ubi finis aderat, flentes circa ſe Duces in modum coercentis ad conſtantiam iterùm revocans, feſſo demùm penitùs corpore, obrutaque vi morbi natura, VI. Januarii die, majori Reip. detrimento, quàm ſuo, extremum ſpiritum efflavit. Idque ſub idem contigit tempus, quo ſex, & ſeptuaginta vitæ, ſex verò Principatus annos impleverat.

Paulò poſt extinguitur.

Tunc triſtiſſimo ſqualore depreſſa civitas ploratu undiq; ac gemitibus exſonuit. Nec muris urbis luctus continebatur. Quippè momento vulgatus per univerſam Peloponneſum adverſi fati rumor, non ſecùs atq; in domeſtico luctu, omnia pavore, & lacrymis circumjacentium populorum turbavit. Fortitudo extincti Principis, ejuſdem fiducia educentis in prælium milites, urbes invadentis, vultus denique hortantis exercitum ad victorias, ob omnium oculos verſabantur. Inerat tamen altiùs animis triſtitia, diverſiſque in frontibus una mœroris imago. Inter communes hoſce queſtus, id Duces præcipuè curavere, ut dignum tanto Imperatore funus conficeretur.

Mœror ingẽs populorum.

Compoſito cadaveris ſimulacro, Latini, Græcique Sacerdotes, præmiſſis quatuor cohortibus, de more urbem ambiere. Hos ſigniferi, incomptis vexillis, verſis armis, ac in terram negli-

Ordo funerum Nauplia ſolutorũ.

1694 genter pendentibus, anteibant. Feretrum tribunorum, ac centurionum humeris portabatur. Præcedebant ſtemmata domus, inſignia dignitatum, ac Principatus; Galea demùm, Enſiſque, nuper à Pontifice Maximo miſſa, à chiliarchis militaribus geſtabantur. Sequebantur longo ordine Claſſis Proceres, trabeati equites, atratus miles, cæteræque cohortes; ac deindè tormenta, quæ de more in funebrem pompam vehebantur. Reliqua verò omnia ita lugubrem aſpectum induerant, ut multò magis, quàm apparatu funerum, gemitu, ac lacrymis dolorem univerſi teſtarentur. Ubi in D. Antonii Ædem deventum, juſtis perſolutis, atq; epicedio illi ſolemniter dicto, funeris honor per laudes, ac memoriam virtutum ejus peractus. Ibidem quoque conditum cor: nec enim æquiùs viſum eſt, alibi præcipuam corporis illius partem relinqui, quàm, ubi ab ineunte ætate vixerat, totoque animo adminiſtrandis præliis incubuerat. His peractis, poſt aliquot dies, nonnihil remiſſo civitatis luctu, exculpta marmore Principis ſimulacra, eaque in patentioribus urbis locis poſita fuerunt; ut, cùm perpetuus, omniſque memoriæ, ac nomini honor eſſet, tùm ad tanti Imperatoris recordationem robur militum excitaretur.

Conditum cor in Æde D. Antonii.

Marmorea ſimulacra exſculpta.

Quæ dùm Naupliæ agebantur, delato Venetias Mauroceni corpore, triſtis omninò, ac penè miſerrimus Reipub. aſpectus fuit. Paſſim ſilen-

Corpus magno planctu Venetiis excipitur.

lentium, atque horror: claudebantur undiq; domus, fora deſerebantur; optimus quiſque Reip. cura mærebat. Sed, ſicuti ingentes in ore omnium doloris notę, ita illud præcipuè mœſtiſſimi Patres curavere, ut in quem, dùm vixerat, omnia dignitatum, gratique animi munera contulerant, non parciùs eidem extincto duratura per omnes ætates monumenta largirentur. Civitas, cunctis ad triſtitiam compoſitis, triduum (tunc fortè extremum bacchanalium tempus erat) lugubri ornatu ſqualida. Mœrens verò Senatus nuſquam poſtremis erga Maurocenum officiis defuit. Inſtitutum in DD. Joannis, & Pauli Æde funus; inque templi medio ſublimis moles conſtructa, quam pendentia undiq; in trophæi modum arma mirificè ornabant. Super eam Mauroceni effigies induta chlamyde, ac cæteris Principatus inſignibus decorata eminebat. Neque indè procul prolixa victoriarum ſeries, ſimulacra fluminum, urbium, ac regionum, cum inſcriptionibus rerum geſtarum, captaque Turcarum inſignia videbantur. Peractus intereà ſupremus epicedii honor. Indè, compoſito in D. Stephani Templo cadavere, auguſtum mole, atque ornatu ſepulchrum optimo Patruo mærentiſſimi Nepotes parare aggreſſi; quod æternum fidei, ac pietatis monumentum extaret.

1694

Funera inſigni pompa ibidem celebrãtur.

In Æde D. Stephani corpus reponitur.

Planſus Turcarũ.

Verùm, ſicuti externæ quoque nationes, tanto Duce extincto, indoluere; ita contrà exultavere Thraces, ſublato hoſte, cujus indolem haſtenùs

1694 nùs pertimuerant. Et quidem major per idem tempus Byzantio terror erat, cùm circumferentem arma Maurocenum, & maritima quæque firmantem præſidiis, in Ottomanici Regni interiora impetum brevì facturum crederent. Jamque urbium muri reficiebantur, propugnaculiſque armabantur; & pro ſe quiſque ingentem bellicæ rei copiam, annonamque ex agris comportabat. Igitur, ubi Principis interitus percrebuit, placuit læto cantu, ac feſtis epulis mortem ejuſdem proſequi. Illuſit quoque populariium turba fortunæ Chriſtianorum, quòd tandem cecidiſſet Propugnator ille Reip. cujus fiducia tamdiù Imperii Turcarum vim Veneti contempſerant. Intereà Senatus mœrentis familiæ luctum ſolaturus, duos Mauroceni Nepotes, Franciſcum, & Michaelem, juvenili ætate maximam de ſe expectationem exhibentes, Senatoria dignitate decoravit. Ubi verò, Rogatorum Concilio convocato, recens extincti Principis recordatio omnium denuò lacrymas excitavit, auguſtum, ac per anteacta ſæcula inſolitum monumentum Franciſco Patres decrevere. Ad ipſum enim Supremarum Ædium veſtibulum, picturis, ac peregrino marmore variè interſectum oſtium extrui placuit; quo dignitates, atq; egregia, quæ Princeps obierat munera armorum, edideratq; facinora, idoneis imaginibus exprimerentur. Hęc verò, decreto iterùm ex S. C. Peloponneſiaci cognomento, deſuper exarata,

Nepotes Mauroceni Senatores declarãtur.

Monumẽtum inſigne Frãciſco decernitur ab Senatu.

FRAN-

FRANCISCO MAUROCENO PELOPONNESIACO 1694
SENATUS. ANNO M. DC. VIC.

Hinc poſt longam Venetorum Principum ſeriem de more ejuſdem imago collocata, quæ cùm perennè poſteris vigebit ad nominis gloriam, tùm optimis civibus ad imitandum. Numiſmata quoque aurea, argenteaque percuſſa; in quibus facta, atque honores eleganter declarantur.

Cęterùm hic Franciſci Mauroceni exitus fuit; qui, poſt actam inter caſtrenſia munia juvenilem ætatem, proſperè geſtas Navales omnes Præfecturas, Urbem Cretam triennio defenſam, perdomitam Peloponneſum, atque illuſtratum victoriis Orientem, quater ſummus exercituum Imperator, bis ſimul Imperator exercituum, ac Reipub. Princeps, inter ipſos armorum motus penè octogenarius occubuit: Proindè crediderim tanto Duci optimè conſulviſſe naturam; ut tunc demùm eriperetur, cùm, quidquid ferè humanitas capiebat, rerum egregiè geſtarum gloria compleviſſet. *Elogium.*

FINIS LIBRI QUARTI.

Laus Deo, ac B. V. Mariæ.

INDEX

INDEX.

A

ABæa urbs Peloponneſi, 70. Abeatæ erumpunt in Venetos, ibid. fugiunt, 71. urbs à Mauroceno occupatur, ibid. denuò in Peloponneſiaco bello ſubacta, 275. 276.
Abarinus, vide Pylus.
Ægina, 37. ejuſdem deſcriptio, & ſitus, ibid. tentatur à Mauroceno, ibid. in Venetorum ditionem tranſit, 38.
Ægyptiæ naves ab Lazaro Mocenico ſubiguntur. 56.
Acarnanes in Venetam ditionem tranſeunt. 231.
Achmetes Mahometis Cuperlii filius Regii Sigilli cuſtos ereatur, 100. in Cæſarem arma convertit, 108. ad Arrabonem funditur, 109. pacem ſancit cum Cæſare, 110. in Cretam juſſu Regis proficiſcitur, 118. urbem obſidet, 119. & ſeq. Propugnaculum Panigrà aggreditur, 122. ſubterraneos calles parat, 123. iterùm ad Panigrà, 127. 128. Ipſe pacis ſuorum animos in ſe firmat, 129. inducias petit, ibid. ejuſdem crudelitas, & fraus, 130. 131. externas munitiones occupat, 137. ejuſdem aſtus ad firmandum in ſe animum Regis, 140. Sabulonariæ, ac S. Andreæ propugnacula aggreditur, 142. 143. 144. Diam occupare ſtatuit, 147. ejuſdem opus adverſus maritimam urbis partem, 155. 156. S. Andreç propugnaculum aggreditur, 158. offert Uvalachiæ, & Moldaviæ Principatus Mauroceno, 161. ejus curæ ob Regis minas, 165. poſt diſceſſum Gallorum urbem aggredi ſtatuit, 182. milites accendit, 183. 184. muros adoritur, ibid. & ſequentibus. interioris muri partem occupat, 185. ſed à Venetis demùm repellitur, 186. 187. conſiliis deditionis, & pacis aſſentit. 195. 196. ejus ſenſus, dùm urbem ingreditur, 197. extinguitur. 215.
Alba Regalis à Cæſare capta. 364.
Alexander Alceniacus Eques cum Turcarum copiis pugnat, 263. aggreſſioni Corones deſtinatur, 266. ad Abæam pugnat, 273. ad Gomenitias copias inſtruit, 278. Pylum oppugnat, 288. moritur in Naupliæ obſidione. 308.
Alexander Contarenus D. Marci Procurator, Legatione functus, Venetias revertitur. 241.
Alexander Marchio Borrius, Prçfectus copiarum, aciem ante Æginæ muros inſtruit, 37. idem præſtat in obſidione Epidauri. 46.
Alexander Marchio S. Andreæ Mombrunius copiarum Præfectus Cretam ingreditur, 155. ejus virtus, ibid. ejuſdem ſententia de Cretæ obſidione, 158. reſiſtit hoſtibus, ibid. 159. vulneratur, 165. ejus virtus in poſtrema Turcarum aggreſſione. 183.
Alexander Molinus Præfectus navium creatur, 220. cum navibus in Illyricum proficiſcitur, ibid. Ægeum percurrit, 224. in Ægæum rursùs prodit, 244. ejus facinora. 278.
Alexander VIII. Pontif. Max. 372. decorat Maurocenum Enſe, & Galea. ibid.
Alexander Picus Mirandulæ Dux cum ſubſidiis Cretam attingit, 187. ſtatim

tim diſcedit. ibid.
Almericus ab Atheſte, Mutinæ Princeps, Gallorum ductor, Cytheram appellit, 88. Paron inſulam advectus, ibid. moritur. 100.
Aloyſius Benedictus Sylvaticus in Parentis locum ſufficitur, 241. in Pyli obſidione primum aciei locum tenet, 288. in Eubœæ obſidione vulneratur, 354.
Aloyſius Contarenus Dux Venetiarum obit. 218.
Aloyſius Leonardus Mocenicus D. M. Procurator, atque Imperator Claſſis, Maurocenum laudibus effert, 17. apud Cytheram inſulam cum claſſe detinetur, 21. in hoſtes incidit, 22. eoſdem provocat ad prælium, ibid. victor ex ea pugna ingenti cum hoſtium cæde evadit, 26. ægrotat, 35. moritur. 36.
Aloyſius Magnus Adriatici ſinus Præfectus ſtrenuè in navali prælio nocturno ſe gerit. 152.
Aloyſius Marcellus tria militum millia Mauroceno tradit. 272.
Aloyſius Minius navali nocturno prælio intereſt, 152. muros Cretæ urbis ſtrenuè tuetur. 187.
Aloyſius Molinus Eques ad Turcas mittitur pacis conficiendæ gratia, 167. 168. Byzantium proficiſcitur ad pacem juramento Regis confirmandam, 200.
Aloyſius Paſchalicus intercipiendis hoſtium ſubſidiis deſtinatur. 120.
Aloyſius Priolus ſtrenuè nocte in Turcas pugnat. 152.
Aloyſius Sagredus Anthyrrii oppidi Præfectus. 326.
Aloyſius Thomas Mocenicus, Præfectus Quinqueremis, ſtrenuè pugnans cum Turcarum navibus, interficitur. 22. & 23.
Ambracius Sinus. 239.
Ambroſius Bembus ſubſidia ad exercitum ducit. 245.
Amurathes IV. Turcarum Rex adverſus Perſas proficiſcitur, 6. Babylone expugnata, Byzantium revertitur, fœduſque cum Venetis denuò firmat, 10. extinguitur. ibid.
Anactorium oppidum à Venetis exciſum. 238. 239.
Andreas Navagerius in Græciam mittitur. 245.
Andros inſula. 44.
Angelus Michaelius ad exercitum pervenit, 308. Corinthi Præfecturam ſuſcipit. 332.
Angelus de Nigris Chelonatem ſubigit. 334.
Anthyrrium oppidum ad Naupactæum ſinum, 318. occupatur à Venetis. 325.
Antonius Barbarus Claſſis Præfectus quandam hoſtium triremim capit. 73. ejus virtus in propugnanda Creta. 126. 127.
Antonius Corrarius 202. ejus oratio in Maurocenum, ibid. 203. 204. 205. 206.
Antonius Medinus Eubœam aggreditur. 381.
Apicornus à Mauroceno captus. 93.
Argos, 312. ejuſdem deſcriptio, ibid. occupatur à Venetis. ibid.
Arx S. Venerandæ à Mauroceno expugnatur. 89.
Athenæ, 334. earum deſcriptio, ibid. 335. oppugnantur à Venetis, 336. 337. ſubiguntur. ibid.
Autonis deſcriptio, 7. ab Hieronymo Cornelio expugnatur. 373. 374.
Aurelius Marcellus extinguitur in Eubœæ obſidione. 357.

B

BAptiſta Nanius Eques, ac D. Marci Procur. in Illyricum mittitur. 201.

Bar-

Barbarus Baduarius Præfecturam claſſis ſuſcipit. 48.
Barbonus Bragadenus moritur. 308.
Comes Barnabò Vicecomes in obſidione Pyli ad pugnam paratur. 288. 289. moritur. 308.
Bartholomæus Variſanus Grimaldus, 127. ejus in obſidione Cretæ virtus, ibid. hoſtium impetum ſuſtinet. 158. vulneratur. 169.
Bellogradum à Cæſare captum. 364.
Benedictus Bollanius Naupliæ Præfectus, 311.
Benedictus Sanutus, Adriatici Sinus Præfectus ſubſidia Coronæorum intercipit, 251. & Naupactæorum. 321.
Bernardus Nanius Præfectus Quinqueremium ad Chiam arcem, 77. Cretę Præfectus, 142. cum ſubſidiis urbem obſeſſam intrat, ibid. occiditur. 164.
Brunſuvicenſium copiæ aliquot ad Venetorum exercitum accedunt, 246. Corones muros aggrediuntur, 265. ad Abæam pugnant, 273. ad Pylum, 288. cum Turcis in Patrarum littore congrediuntur. 322.
Buda à Cæſare expugnatur. 314.

C

CÆſaris Victoria ad Dravum flumen, 340. 341.
Calamos à Venetis captum, 91.
Calippus Natolię Pręſes ad navale certamen conficiendum delectus, 147. 148. fugit. 152.
Calojerus ſubigitur à Mauroceno, 91.
Carababà Eubęę arx, 348. cur à Mauroceno non tentata, 350. 351.
Carpathus inſula, 60.
Caſtrum novum à Cornelio ſubigitur, 340.
Catherinus Cornelius Claſſis cum ſumma poteſtate Præfectus Cretam ingreditur, 155. Eques D. Marci declaratur, 158. impetum hoſtium ſuſtinet; ibid. vulneratur, 169 obit magno omnium mœrore, 170.
Caudæ equinæ, & vexillum regium ſub Corone captum, in D. Cajetani templo reponuntur, 270. iterùm in Pugna Patrarum, 324.
Celidromis incolæ vectigalibus ſe obſtringunt, 93.
Chalcia inſula, 60. ſubigitur à Mauroceno, ibid.
Chalcis urbs, vide Eubœa.
Chelidoniæ Mediæ deſcriptio, & ſitus 81. obſidetur à Venetis, ibid. expugnatur, 82. 83. evertitur, ibid.
Chelonates ſubigitur à Venetis, 334.
Chiæ arcis, ſeu Ciſmi deſcriptio, 75. obſidetur à Venetis, & ſubigitur, 76. 77. 78. evertitur, ibid.
Chielepha arx, 276. occupatur à Venetis, 277.
Cicalariæ vicus, 93.
Claros inſula, 66. capta à Venetis, 67.
Claſſis Venetæ ingens diſcrimen, 61.
Clemens IX. Sum. Pontifex diplomate quodam ornat Maurocenum, 181. moritur, 202.
Comes Carolus Koniſmarchius obit, 307.
Comes Claudius S. Pauli copiarum Præfectus eligitur, 243. Methonem inſpicit, 249. Coronæorum ſubſidia repellit, 254.
Comes S. Pauli ſtrenuè in Turcas dimicat. 163.
Corinthus, 330. ejuſdem deſcriptio, ibid. 331. 332. occupatur à Venetis, ibid.
Corones deſcriptio, & ſitus, 249. obſidetur à Venetis, 350. & ſequentibus. Coronæi erumpunt in Venetos, 257. pelluntur, 258. eorum cædes, & urbis expugnatio, 268. 269.

Cretæ inſulæ deſcriptio, & ſitus, 115.
Creta urbs obſidione à Turcis cincta ſtrenuè à noſtris propugnatur, 17. ejuſdem deſcriptio, 115. oppugnatur ab Achmete, 119. & ſequentibus. Obſidionis annus ſecundus, 142. & ſequentibus, annus tertius, 168. & ſequentibus, Cretenſes deditionis conſilio aſſentiunt, 192 urbis deditio, 195. 196.
Creticum bellum ab Hybraimo Turcarum Rege excitatur, 10.
Cydon urbs à Turcis expugnatur, 12.

D

Daniel Juſtinianus Ærarii Præfectus in navali prælio nocturno interficitur, 152.
Daniel Maurocenus ad Sabulonariæ propugnaculum, 183.
Dia Inſula Ægæi maris, 147.
Dominicus Contarenus Venetiarum Princeps pacem divinitùs redditam Reip. ſuſpenſo voto, profitetur, 200.
Dominicus Mocenicus in Hieronymi Cornelii locum ſufficitur. 374.
Durachus Archipirata miſſus ab Achmete cum triremibus ad invadendos Venetos, 148. pugnat, 150. 151. occiditur, 152.
Dux Belliſortii cum ſubſidiis Cretam ingreditur, 171. ſtatuit erumpere in hoſtes, ibid. milites accendit, 172. facta eruptione pugnat, 174. 175. occiditur, ibid. 176.
Dux Novaleæ cum auxiliariis copiis Cretam intrat, 171. in hoſtes ſtatuit erumpere, ibid. eruptione tentata, fortiter pugnat, 174. 175. ejuſdem virtus, 176. ſtatuit cum ſuis Creta decedere, 177. nec obſeſſorum precibus flectitur, 178. ab Dia ſolvit. 194.
Dux Roanneſius ſtrenuè pugnat adverſus Turcas, 293.

E

Echinades inſulæ. 233.
Elyma ab Hieronymo Cornelio expugnatur. 373. 374.
Enandia arx contra Cretam. 96. obſidetur, 97. ejus incolæ erumpunt in Venetos. 98.
Epidauri ſitus, & deſcriptio, 35. obſidetur à Mauroceno, 45. 46. anno 1689 denuò à Mauroceno obſidetur, 366. & ſequentibus, à Venetis occupatur. 373.
Eques à Turri, Melitenſium Dux, paratur ad aggreſſionem Corones, 259. occiditur. 261.
Eubœa, 347. ejus deſcriptio, & Chalcidis, ibid. 348. obſidetur, 352. & ſequentibus, à Turcis ſtrenuè propugnatur, ibid. ab obſidione vindicatur. 363.

F

Fauſtinus Ripa Nauplię Præfectus. 311.
Franciſcus Battalea Cretæ Dux occiditur. 164.
Franciſcus Eritius Quæſitor ad res in Cretæ obſidione peractas. 206.
Franciſcus Grimanus in Eubœæ obſidione vulneratur. 367.
Franciſcus Marchio de Villa Nova, 65.
Franciſcus Maurocenus Peloponneſiacus naſcitur, 3. ejuſdem pueritia, adoleſcentia, & ſtudia rei militaris, 4. In Græciam proficiſcitur, 5. navalis diſciplinæ elementa ſuſcipit, ibid. pugnat adverſus Piratas, 8. ab Marino Capellio laudibus exornatur, 9. legatur ad Innocentii X. Pont. M. triremes 11. Turcarum navim apud Melon disjicit, 13. præconia

conia in eundem Franciſci Molini, ibid. Nonaginta hoſtium naves prope Chium fugat, 15. aliquot alias triremes intra Chiæ arcis portum diſſipat, ibid. Totam Turcarum claſſem intra Naupliæ portum tormentis vexat, 16. Prefecti Navium vicem obit, ibid. hoſtium triremes ad Helleſpontum fugat, ibid. in Cretam revertitur, 11. apud Melon cum hoſtium navibus pugnat, 12. & 13. ab Franciſco Molino, mox à Patribus laudibus decoratur, 14. iterùm apud Rithymnam pugnat, ibid. nonaginta annonarias Turcarum prope Chium fugat, 15. intra Chiæ arcis ſinum aliam navium manum diſſipat, ibid. intra Naupliæ portum hoſtium navigia turbat, 16. ſuſtinet vicem Præfecti Navium, ibid. Naupliæ incolas tormentis vexat, ibid. ſexdecim triremes ad Helleſpontum fugat, ibid. in Cretam revertitur, 17. repellit hoſtes à mœnibus urbis, ibid. ab Aloyſio Leonardo Mocenico D. M. Procuratore, dein ab Senatu, laudibus extollitur, 17. & 18. Præfecturam Sinus Adriatici ſuſcipit, 19. à finibus Italiæ, atque Illyrici hoſtes ſubmovet, ibid. Turcas bis fugat in Ægæo, 20. Præfectus Quinqueremium eligitur, ibid. prope Cytheram immoratur cum Aloyſio Mocenico Imperatore, 21. Prope Paron cum barbaris congreditur, 22. Aloyſii Thomæ Mocenici Quinqueremim tuetur, 23. Nicolaì Archipiratæ navim aggreditur, eaque potitur, 24. & 25. Rebellem ipſum vivum capit, ibid. Cædem hoſtium ingentem agit, ibid. Tribuni Ærarii vicem gerit, 27. Præfectus Claſſis declaratur, ibid. Crebrò in Ægæo cum hoſte congreſſus, onerariam Turcarum navim, & Cypriam triremim capit, 28. Corcyreorum ſeditionem componit, ibid. & 29. Aliquot Turcarum turmas, naveſque apud Nicopolim ſubigit, ibid. In Cretam revertitur, 30. ſequenti anno hoſtilem claſſem prope Rhodum bis fugat, ibid. ſociis navibus jungitur, 31. Æginam, ac Tenon populatur, 32. vicem Imperatoriæ dignitatis ſuſtinet, 35. oppidum Epidauro conterminum capit, 36. extincto Mocenico denuò vicem Imperatoris ſuſtinet, 36. Æginam obſidet, 37. eadem potitur, 38. Pagaſam tentat, 39. 40. aggreditur urbem, & capit, 41. ſequenti die arce quoque potitur, 42. auxiliares hoſtium copias fundit, ibid. Sciathi incolas prælio cohibet, 43. ac paulò poſt Scopeli, ac Celidromis, ibid. claſſem inviſit, 44. ſubſidia Turcarum intercipit, ibid. Epidaurum obſidet, 45. ob difficultates loci, & proximam hyemem obſidium ſolvit. 47. Megaram expugnat, ibid. Cretę Pręfectus eligitur, 48. firmat urbem, ibid. conatur pacem cum Turcis componere, ibid. & 49. nocte barbaros ab aggeribus pellit, 50. ſuadet oppugnationem Cydonis, 52. 53. Imperator creatur, 58. vires claſſis reparat, 59. Chalciam inſulam ſubigit, 60. vix naufragium evadit, 61. 62. claſſis reliquias colligit, ibid. Inſulas Venetæ ditionis tuetur, & vires maritimas reparat, 63. apud Paron hoſtes fugat, 63. quandam Turcarum manum capit, 64. ſtatuit Cydonem adoriri, ibid. ſed fruſtrà ob diſcordiam ducum, 65. hoſtilem claſſem inſequitur, 66. Claron inſulam capit, ibid. 67. hoſtium copias populatur, ibid. 68. Tęnariorum legatos excipit, 69. 70. Abæam obſidet, & capit, 71. claſſem Turcarum perſequitur, 72. duas triremes ſubigit, 73. claſſem ad Helle-

ſpontum inviſit, ibid. Toronaicum in ſinum provehitur, ibid. Toronem capit, 74. Chiam arcem, ſeu Ciſmum obſidere ſtatuit, 75. oratione ducum animos firmat, ibid. 76. incolas fundit, 77. arcem expugnat, 78. certat cum Turcis ad Helleſpontum, 79. ejus triremis malus confringitur, 80. barbaros in fugam agit, ibid. Rhodum proficiſcitur, ibid. Chelidoniam mediam obſidet, 81. 82. & vi capit, 83. Mahometem Navalis Turcarum Præfectum vinctum Venetias mittit, 85. ſtatuit Eubœam invadere, ibid. ſed ventorum vi turbatur incœptum, 86. Sciathi incolas vocat ad deditionem, ibid. arcem obſidet, 87. eandem per deditionem recipit, 88. quatuor millia Gallorum excipit, ibid. S. Venerandæ arcem expugnat, 89. Turcarum copias fundit, 90. Calojerum ſubigit, 91. & Calamon, ibid. ſub Apicorno hoſtes prælio ſuperat, 92. 93. Apicornum capit, ibid. in Cicalariæ vico conſiſtit, ibid. Pugnat cum Turcis, 94. ſuos oratione erigit, 95. Turcas fundit, 96. Enandiam proficiſcitur, ibid. ſæpè cum barbaris dimicat, ibid. 97. 98. ſuos à fuga retinere conatur. 99. Cretam pergit, ibid. Alexandrinas naves invadit, 101. unamque ex iis capit, 102. Venetias revertitur, ibid. accuſatur, abſolviturque omnium votis, 106. 107. accuſatores illatę injuriæ poſtulantur, ibid. In Forum-Julii mittitur, 109. Claſſis Præfectus eligitur, 112. ſecundò creatur Imperator, 114. in Cretam proficiſcitur, & Villam reducit, 119. 120. Cretam urbem intrat, 121. animos militum componit, ibid. urbem aggere firmat, ibid. ſubterraneos calles à Turcis paratos ſubvertit, 124. vulneratur, 126. induciarum conſilio non aſſentit, 130. ejuſdem ſtudia ad accendendos milites, 136 urbem reficit, 141. animos firmat, 142. nocturnos hoſtium conatus repellit, 145. cum triremibus in hoſtilem claſſem erumpit, 148. 149. ſtrenuè pugnat, 150. 151. piceas faces in hoſtes jaculatur, ibid. victor evadit, 152. Eques D. Marci declaratur, 153. Laudatur à Principe cum Senatu, ibid. varia in hoſtes molitur, ibid. 154. 155. urbem obſeſſam ingreditur, ibid. multa in hoſtium perniciem, & ſuorum ſubſidium molitur, 157. 158. illudit Achmeti Uvalachię, & Moldaviæ Principatus offerenti, 161. vulneratur, 169. ejuſdem ſtudia, 170. & ſeq. eruptioni Gallorum non aſſentit, 172. conatur fugientes Gallos retinere, 175. diſcedendi conſilio obſiſtere adnititur, 177. ante diſceſſum ſociorum hortatur omnes ad poſtremum prælium, 178. ſuos, ob Gallorum diſceſſum, formidine penè victos elata oratione erigit, 179. 180. Clementis IX. diplomate decoratur, 181. Procurator D. Marci extra ordinem, & ſupra numerum declaratur, ibid. ſuos ad poſtremam Turcarum aggreſſionem ſuſtentandam accendit, 185. poſt diù protractum prælium Turcas repellit, 186. extrema ejus conſilia, 187. advocata concione, de ſtatu urbis, & rebus in poſterum agendis diſſerit, 188. 189. 190. 191. 192. aſſentientibus cunctis deditioni, adhuc obſidionem ſuſtinet, & varia molitur, 193. denuò ſocios in opem vocat, ibid. caduceatores ad Achmetem mittit, 194. facta pace, Venetias proficiſcitur, 199. varia erga eundem civitatis ſtudia, ibid. 200. ſed cuncta approbantur à Patribus, 200. accuſatur, 201. 203. 204. 205. 206. cuſtodiæ ſubmittitur, ibid. defenditur, ibid.

ibid. 207. 208. 209. 210. 211. abſolvitur, ibid. 212. in Forum-Julii mittitur, 216. tertiò creatur Imperator, 219. in Græciam proficiſcitur, 222. 223. ejus ſtudia, ibid. Leucadem oppugnare ſtatuit, 225. eandem obſidet, 227. & ſeq. arcem occupat, 230. 231. & Nicopolim, 236. 237. eandem capit, 238. Anactorium evertit, 239. Turcas fundit, ibid. 240. diſſipat eos, qui Acarnaniam turbabant, 244. ſtatuit ferre arma in Peloponneſum. 247. Coronem obſidet, 250. & ſeq. nutantes ſuorum animos ſpe confirmat, 255. exercitum hoſtium adoritur, 262. 263. eoſdem ſuperat, 264. muros urbis aggreditur, 265. urbem expugnat, 269. vocat Tænarios in commilitium, 270. 271. Turcas repellit, ibid. 272. Zarnatam capit, ibid. ad Abæam cum Turcis congreditur, 273. 274. 275. Abæa potitur, 276. Chielepham occupat, 277. Gereniam ingreditur, ibid. Gomenitias evertit, 278. Corcyram advehitur, ibique in hyberna militem mittit, 281. Turcas obſidentes Chielepham fundit, 282. Pylum utramque tentat, 284. veterem capit, 285. novam obſidet, 286. & ſeq. ſubſidia hoſtium fundit, 290. Pylum occupat, 291. Methonem oppugnat, 292. & ſeq. eandem capit, 297. fruſtrà hoſtes ad prælium expectat, 302. Naupliam invadere ſtatuit, 303. mari, terraque urbem oppugnat, 304. & ſeq. Prefectum Turcarum laceſſit, & fugat, 305. 306. denuò cum eodem congreditur, 309. eumq; fundit, 310. urbe potitur, 311. Argos, & Thermim occupat, 312. in hyberna proficiſcitur, 313. ejus comitas, & clementia in victos, 316. 317. Naupactum, & Patras obſidere ſtatuit, ibid. ad Patratum oras profectus incitat ſuos ad pugnam, 320. cum hoſte congreditur, 322. 323. Patras, Riumque, Turcis pulſis, capit, 324. 325. Anthyrrium occupat, 325. Naupactum ingreditur, 326. Ærea effigie decoratur à Patribus. 327. Peloponneſiaci cognomentum adipiſcitur, ibid. 328. Turcas Peloponneſo exturbat, 329. Corinthum occupat, 330. atq; Iſthmum, ibid. Spartam, & Tyrheam occupat, 332. 333. Lacedæmones ſubigit, ibid. 334. Chelonate potitur, ibid. Athenas obſidet, 335. 336. 337. locum occupat, ibid. 338. Princeps Venetiarum declaratur, 342. ingenti lætitia claſſis inſignia ſuſcipit, 344. Eubœam invadere decernit, 346. æquat ſolo Athenaa, 347. Corinthum munit, & Iſthmum, ibid. dùm ad Eubęam proficiſcitur, tempeſtate maris turbatur, 349. 350. urbem obſidet, ejus virtus, ibid. externas munitiones aggreditur, & capit, 353. urbem ſæpè tentat, ſed eventu adverſo, 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. hortatur ſuos ad aggreſſionem, ibid. 361. urbem adoritur, ibid. at ſeu caſu, ſeu incuria Veneti pelluntur, 362. 363. obſidium, inſtante hyeme, ſolvit, ibid. ægrotat, ibid. Epidaurum obſidet, 366. in Ægæum proficiſcitur, 367. medio in itinere ægrotat, ibid. Epidaurum revertitur, 368. ſed denuò in morbum incidit, ibid. adveniente Hieronymo Cornelio, aſperatoque morbo, Venetias contendit, 369. Spalati immoratur, ibid. mirè ab quodam caſu ſervatur, 370. ab duodecim Legatis excipitur, ibid. inſignia majeſtatis ſuſcipit, 371. in forum populo plaudente deſcendit, ibid. Enſe, & Galea ab Alexandro VIII. Pontif. Max. decoratur, 373. Quartùm Claſſis Imperium ſuſcipit, 376. 377. ejuſdem ab urbe diſceſſus, 378. 379. 380. claſſem inviſit, ibid. 381. Tur-

381. Turcarum motus cohibet, ibid. in Ægæo hoſtes inſequitur, ibid. 382. Æginam communit, ibid. in Naupliæ hyberna ſe recipit, 383. ægrotat, ibid. ſcriptis ad Senatum literis, Duces alloquitur, 384. auctis demùm morbi cruciatibus, ingenti luctu ſuorum exanimatur, 385. funera Nauplia primùm, mox Venetiis ſolvuntur, 385. & ſeq. ejuſdem elogium, 389.

Franciſcus Maurocenus Principis nepos Senator creatur, 388.

Franciſcus Maurocenus Adriatici Sinus Præfectus congreditur cum Turcis prope Paron, Inſulam, 23. ſtrenuè pugnat, 26. denuò in Helleſponti freto certamen init, & plumbeæ glandis ictu interficitur. 35.

Franciſcus Molinus, D. M. Procurator, extollit laudibus Franciſcum Maurocenum, 13.

Comes Franciſcus Sylvaticus aciem ſub Leucade inſtruit, 227. obit. 241.

G

GAllorum copiæ aliquot Cretam intrant, 161. eorundem virtus, & eruptio, 162 ſex eorundem millia tertio obſidionis anno accedunt. 171. erumpunt in Turcas, 173. proſperè prælium committunt, 174. deindè diſſipantur, ibid. 175. 176. diſcedere ſtatuunt, 177. naves conſcendunt, 179. ab Dia inſula ſolvunt. 194.

Garennius Equitatus Gallici Præfectus 92. ejus virtus, ibid. occiditur, 93.

Gaſpar Bragadenus Naupliam appellit, 308.

Georgius Benzonius in Græciam mittitur, 243. caſtrorum Præfectus in Corones obſidione, 250. urbis expugnatæ Præfectura eidem demandatur, 269. Georgius Cornelius Eques fundit Abæatas, 70.

Georgius Fuſcarenus in navali prælio nocturno moritur, 152.

Georgius Maurocenus in Franciſci Mauroceni locum ſufficitur. 302.

Gerenia arx 277. occupatur à Venetis, ibid.

Gomenitiarum arx à Venetis evertitur, 278.

H

HIeronymus Battalea Cretæ inſulæ Præfectus Sabulonariæ propugnaculum tuetur, 183.

Hieronymus Contarenus Navium Præfectus ad Helleſpontum, 60. denuò ad Helleſpontum, 72. pugnat cum Turcis, 78. 79. Rhodum appellit, 80.

Hieronymus Cornelius D. Marci Eques Leucadem invadere tentat, 224. 225. Caſtrum Novum capit, 340. D. Marci Procurator creatur, ibid. Præfectus Claſſis eligitur, 364. ad Claſſem accedit, 369. Aulonem, Elymamque expugnat, 373. 374. moritur, ibid.

Hieronymus Delphinus Navium Præfectus Ægæum percurrit, 224. iterùm in Ægæum prodit, 244. ejus facinora, 278. Præfectus caſtrorum ad Pylum, 286. Turcis cædem infert, 289. Naupliam oppugnat, 305. 306. ad oppugnationem Patrarum copias educit, 319. Athenas oppugnat, 335-336. Præfecturam loci ſuſcipit, 339. ægrotat, 352. vix refectus iterùm in morbum incidit, 357. navale ejus prælium cum Turcis, 374. 375. D. Marci Eques declaratur, ibid.

Hieronymus Fuſcarenus, D. M. Procurator, & Imperator exercitus moritur, 44.

Hie-

Hieronymus Garzonius in Eubœæ obſidione occiditur, 354.
Hieronymus Grimanus Eques, & Navium Præfectus, aliquot onerarias hoſtium capit, 112. Conſiliarius Principis creatur, 342. Ægrotantis Principis Munus obit. 363.
Hieronymus Javarina à Secretis Senatus agendæ pacis cauſa ad Achmetem miſſus, 129. moritur, 140.
Hieronymus Maurocenus. Franciſci Mauroceni Nepos Conſiliarii munus obit, 328. ejus virtus, ibidem, 329.
Hieronymus Piſaurus. Adriatici Sinus Præfectus quandam hoſtium triremim ſubigit. 73.
Hieronymus Priolus. Naupliam appellit, 308. Patrarum Præfectus eligitur, 326.
Hybraimus Regii Sigilli cuſtos conatur bellum à Venetis indictum reprimere, 221. 222.
Hybraimus Rex Turcarum, 10. Cretam armis invadere ſtatuit, ibid. belli libidinem tegit, ibid. ob immanem luxum ſupplicio laquei afficitur, 18.

I

Jacobi Capellii Quinqueremis naufragium patitur, 61. 62.
Jacobus Contarenus Cretæ Præſes adnititur Gallos retinere, 178.
Jacobus Cornelius univerſæ Peloponneſi Præfectus creatur, 344.
Jacobus Eques Gremonvillius, 65. aciem inſtruit adverſus Abæam, 70. ſervandam Chelidoniam Mediam cenſet, 83. in Cicalariæ vico exercitum explicat, 93.
Innocentius X. Pont. M. mittit aliquot triremes in opem Reip. 11. moritur, 371. 372.
Joannes Aloyſius Magnaninus cum aliquot copiis adverſus ſubſidia Coronæorum procedit, 263. ſuos, ut imperatum fuerat, ad Eubœæ muros non ducit, 361. 362.
Jo: Baptiſta Ballarinus à Secretis Senatus conatur Turcas à bello revocare, 68. denuò pacis conditiones proponit, 110. haud procul à Thebis moritur, 118.
Joannes Baptiſta Grimanus, D. Marci Procurator, Imperatorio munere fungitur, 16.
Joannes Baſſignanus Machinarius cuniculos ad evertendam Coronem parat, 264. aureo torque decoratur, 269.
Joannes Capellius D. Marci Procurator conatur pacem cum Turcis componere, 68.
Joannes Capellius à Decemvirorum Secretis furtim Byzantio decedit, 221.
Joannes Franciſcus Cornelius in prælio navali nocturno occiditur, 252.
Joannes Rudulphus Uvertmellerius Præfectus armamentarii, 126. ejuſdem virtus in Cretæ obſidione, 127.
Joannes Sagredus Eques, & D. Marci Procurator orationi Corrarii reſpondet, 206. 207. 208. 209. 210. 211.
Joannes III. Poloniæ Rex fœdus init cum Venetis, 218.
Joſephus Delphinus Navium Præfectus prope Paron cum Turcis congreditur, 23. victor evadit, 26. in Helleſponti freto ſtrenuè cum barbaris pugnat, 33. 34.
Jovius ordinum ductor adverſus Coronæorum ſubſidia pugnat, 263. muros aggreditur, 265.
Iſthmus Peloponneſi, 330. ejus deſcriptio, ibid. 331. occupatur à Venetis, ibid.
Juſtinus Ripa Corones Præfectus eligitur, 269.

Lace-

L

Lacedæmones armis ſubiguntur. 333. 334.
Laurentius Cornelius Claſſis Præfectus, 148.
Laurentius Donatus Conſiliarius Principis creatur, 342.
Laurentius Marcellus Imperator ad Helleſpontum, 51. ejuſdem pugna cum Turcis, & victoria, ibid. moritur, 52.
Laurentius Maurocenus Franciſci Mauroceni Frater, 4. Eques D. Marci declaratur, 270.
Laurentius Venerius Præfectus Leucadis, 231. Caſtrorum Præfectus in obſidione Corones, 250. Corone capta, oppidiſque finitimis, univerſæ provinciæ pręficitur, 277. ejuſdem in obſidione Epidauri virtus, & interitus, 367.
Lazarus Mocenicus prope Paron cum Turcis ſtrenuè dimicat, 22. & 23. Navium præfecturam adeptus in Helleſponti anguſtiis hoſtium claſſem opperitur, 44. fortiter cum Turcarum navigiis congreditur, 45. victor evadit, ibid. Eques D. Marci; Imperator eligitur, 56. Ægyptias naves ſubigit, ac Piratas, ibid. Procurator D. Marci declaratur. ibid. pugnat ſtrenuè ad Helleſpontum, ibid. dùm extremam manum victoriæ imponit, occiditur, 57.
Lemnos à Venetis ſubigitur, 54. denuò occupatur à Turcis, 57.
Leonardus Morus Claſſis Pręfectus fortiter rem agit in navali pręlio nocturno, 152.
Leones marmorei in Athenarum littore inventi, ac Venetias miſſi, ante navalis veſtibulum cum inſcriptione collocantur, 338. 339.
Leopoldus Cæſar fędus init cum Venetis, 218.
Leucadia inſula, 225.
Leucas, 225. ejus deſcriptio, & ſitus, ibid. 226. incolæ deditionem detrectant, 227. ſtrenuè reſiſtunt, 228. deditionis conſilium amplectuntur, 230. arx occupatur à Venetis, ibid. 231.
Ludovicus Gratianus Præfecturæ armorum Leucadis deſtinatur. 231. captam Methonem cum præſidio ingreditur, 297. Venetias mittitur, ibid.
Ludovicus XIV. Galliarum Rex quatuor millia militum in ſubſidium Reip. mittit, 88. partem copiarum, qua obſeſſæ Cretæ ſubveniatur, concedit, 168.

M

Mahometes Cuperlius Regii ſigilli cuſtos creatur. 54. ejuſdem ſtudia, & ingenium, ibid. Topalium claſſi præficit. 55. cum XLM. armatorum Helleſponti littora obſidet, ibid. Tenedon, Lemnonque denuò occupat, 57. conſiliis pacis non aſſentit, 68. 69. paulò poſt moritur, 100.
Mahometes Hybraimi filius Rex Turcarum declaratur, 18. execratus ſuorum ſegnitiem, Præfectum claſſis ad ſtrenuè agendum juramento obſtringit, 32. expeditionem in Cretam Achmeti demandat, 114. ejuſdem indignatio, & minę in Achmetem, 139. 140. penè in Cretam proficiſcitur, 165. 166. minis militem coercet, ibid. lætatur ad nuntios Cretæ ſubactæ, 198. conditiones pacis tentat, 314. Regnum fratri Solymano invitus cedit, 341.
Mahometes Navalis Turcarum Præfectus per proditionem in Mauroceni pote-

poteſtatem tranſit, 84. Venetias mittitur, 85. in M. Antonii Delphini vicem fruſtrà proponitur. ibid.
Marchio Chiro Franciſcus Villa Præfectus copiarum in Cretam revertitur, 119. 120. ejuſdem virtus, 126. in Sabaudiam revertitur. 155.
Marchio Corbonius aggreſſioni Corones accingitur, 259. vulneratur, 268. ad Abæam pugnat, 273. ſtrenuè cum barbaris in Pyli obſidione congreditur, 289. intrantes Eubœam Turcas ingenti afficit clade, 353. occiditur. 358.
M. Antonius Delphinus à Turcis captus, 85. ejus redemptio tentatur, ibid. ſed inter carceris cruciatus moritur. ibid.
Marcus Antonius Juſtinianus Eques Dux Venetiarum declaratur, 218. obit. 342.
M. Antonius Maurocenus Senator, Franciſci Mauroceni frater. 4.
Marcus Barbadicus Rii oppidi Præfectus. 326.
M. Molinus Præfectus Claſſis fortiter cum Turcis pugnat prope Inſulam Paron. 23. & 26.
Marcus Priolus arcis Naupliæ Præfectus. 311.
Maria Maurocena Franciſci Mauroceni Mater. 3.
Marinus Capellius claſſis Præfectus Piratas ſubigit. 7. 8. 9.
Marinus Gritius in Græciam mittitur. 242.
Maurocenæ gentis antiquitas, nobilitaſque, 3. Equeſtri D. Marci dignitate in perpetuum duratura decoratur. 313.
Megara, 47. expugnatur à Mauroceno. ibid.
Methones, 291. ejus deſcriptio, ibid. 292. obſidetur, ibid. & ſeq. ſubigitur à Venetis. 297
Michael Fuſcarenus Corrarii orationi reſpondet, 206. 207. 208. 209. 210. 211.
Michael Maurocenus Eques, Frater Franciſci Mauroceni. 4.
Michael Maurocenus Franciſci Mauroceni Nepos in Eubœæ obſidione vulneratur, 354. cum Patruo quartùm declarato Imperatore diſcedit, 380. Senator creatur. 388.
Matthæus Bonus in Eubœæ obſidione extinguitur. 357.
Matthęus Gratianus navali cuidam prælio intereſt. 34.
Maximilianus Vulielmus Princeps Brunſuvicenſis cum aliquot militum copiis ad noſtrorum claſſem pervenit, 246 ad Abæam ſtrenuè pugnat. 274.
Muſtaphà Regii Sigilli cuſtos Viennam obſidet, 215. ingenti clade repellitur, ibid. 216. occiſus. 221.
Muſtaphà Regii Sigilli cuſtos exercitum auget, 348. 349. conatur pacem comparare. ibid.

N

Nauplia, 303. ejus deſcriptio, & ſitus, ibid. 304. obſidetur à Venetis, ibid. & ſeq. incolæ erumpunt, 304. à Venetis occupatur, 311. funera Mauroceni ibi ſolvuntur, 385. 386.
Navarinum, vide Pylus.
Naupacti ſitus, & deſcriptio, 318. occupatur à Venetis. 325. 326.
Nicolaus Archipirata rebellis, Natalis Foro-Julienſis filius, accendit Thraces in Venetos, 20. Turcicarum Navium Præfectus eligitur, ibid. colligit claſſem, & media hyeme Cretenſes deprehendere ſtatuit, 21. in Venetos incidit, 22. Pugnat cum Franciſco Mauroceno, 24. demùm vivus in ejuſdem poteſtatem tranſit, 25. Venetias miſſus miſerè in carcere emoritur. 27.
Nicolaus Delphinus Cretæ Præfectus, 85. ſi-

85. filium in quadam eruptione amittit. ibid.
Nicolaus Leonius Nicopolis Præfectus, 238.
Comes Nicolaus Straſoldus terreſtribus Reip. copiis præficitur, 220. aciem ſub Leucade inſtruit, 227. Halyzeam, Antigoniam, & finitima loca capit, 232. 233. ægrotat, 241. demùm moritur. ibid.
Nicolaus Polanius, 150. ejus triremis penè à Turcis ſubigitur. ibid. à Mauroceno defenditur, ibid.
Nicopolis ſitus, & deſcriptio, 234. 235. obſidetur à Venetis, ibid. 236. 237. expugnatur, 238.

O

Comes Otho Vulielmus Koniſmarchius terreſtribus copiis præficitur, 279. mittitur in auxiliares copias Turcarum, 287. 289. Palamedem montem occupat, 303. urbem indè oppugnat, 304. ſtrenuè in Turcarum ſubſidia dimicat, 310. aciem inſtruit, ut Patras oppugnet, 319. hoſtium turmas ſuſtinet, ibid. exercitum in Turcas ducit. 321. 322. præmio eundem proſequitur Senatus, 329. exercitum ad oppugnandam Eubœam explicat, 352. ægrotat, ibid. obit, 356. ejuſdem elogium, ibid.

P

Pagaſæ deſcriptio, & ſitus, 38. 39. obſidetur à Venetis, 40. expugnatur, 41. 42.
Paſſava, vide Gerenia.
Patrarum deſcriptio, 318. occupantur à Venetis, 324.
Pax à Turcis poſt bellum Creticum Venetis data, 195. 196.
Pelaſgicus ſinus, 39.
Peloponneſi deſcriptio, & ſitus, 248. 249.
Petrus Baduarius Cretæ portum tuetur, 5.
Petrus Baſadonna Pyli Præfectus, 291.
Petrus Gabrielius armorum Leucadis Præfecturæ deſtinatus. 238.
Petrus Maurocenus Franciſci Mauroceni Pater, 3. D. Marci Procurator creatur, 58.
Petrus Maurocenus Franciſci Mauroceni Nepos Legatus eligitur, 241. ad certamen exit, 309. Eques D. Marci declaratur, 383. Conſiliarius creatur, 328.
Petrus Quirinus ad oppugnandam Eubœam delectus, 357.
Petrus Zagurius Nicopolis Præfectus, 238.
Piratæ infeſti Reip. 6. vocantur ad pugnam, 7. intra Aulonis portum fugiunt, ibid. ab Veneta claſſe diſſipantur, 8. à Lazaro Mocenico conſternantur. 56.
Peſtis exercitum Venetorum inficit, 240. 241. Peloponneſum anno 1687 turbat, 325. extinguitur, 316. rurſùs invaleſcit, 339.
Philippus Paruta Leucadis Præfectus, 231. 264. Methones Præfectus, 297.
Philippus Princeps Sabaudiæ ad Venetorum claſſem accedit, 246. ejus virtus, 266.
Pugna navalis Venetorum adverſus Piratas, 7. 8. 9.
Pugna navalis Venetorum adverſus Turcas prope Paron, 22. 23. 24. 25. 26.
Pugna navalis Joſephi Delphini ad Helleſpontum, 33. 34. 35.
Pugna navalis Lazari Mocenici ad Helleſpontum, 45.
Pugna navalis Laurentii Marcelli ad Helleſpontum. 51. 52.
Pugna navalis Lazari Mocenici ad Hel-

leſpontum, 56. 57.
Pugna navalis Franciſci Mauroceni ad Helleſpontum, 79. 80.
Pugna navalis Franciſci Mauroceni nocturna cum Turcis, 149. 150. 151. 152. 153.
Pugna navalis Hieronymi Delphini cum Turcis, 374. 375.
Pugna terreſtris Venetorum, & Thracum in Cicalariæ vico. 94. 95. 96
Pugna terreſtris prope Enandiam noſtris adverſa, 97. 98. 99.
Pugna terreſtris Venetorum cum Turcarum ſubſidiariis copiis prope Coronem, 262. 263. 264.
Pugna terreſtris Venetorum, & Thracum ad Abæam, 272. 273. 274. 275.
Pugna terreſtris ad Pylum, 288. 289. 290.
Pugna terreſtris Venetorum adverſus Turcarum Præfectum in Patrarum littore. 320. 321. 322. 323. 324.
Pylus, ſeu Abarinum, & Navarinum, 283. utriuſque loci deſcriptio, 284. 285. à Mauroceno antiqua Pylus occupatur, 285. nova obſidetur, 286. 287. 288. 289. 290. occupatur à Venetis, 291.

R

Rithymna urbs à barbaris expugnatur, 14.
Rium oppidum ad Naupactæum Sinum 318. occupatur à Venetis. 324.

S

Samothracia à Venetis occupatur, 54.
Saxonum copiæ aliquot ad Mauroceni exercitum accedunt, 272. ad Abæam pugnant, 273. eorundem virtus, 274. in obſidione Pyli pugnæ parantur, 288.
Sciathi incolæ à Mauroceno ſubiguntur, 43. arcis deſcriptio, 86. à Mauroceno obſidetur, ibid. 87. vi coguntur incolæ ad deditionem, 88. locus evertitur, ibid.
Scopeli incolæ vectigalibus ſe obſtringunt.
Siuanus claſſis Turcarum Præfectus cum Laurentio Marcello pugnat, 51. cum paucis triremibus fugit. 52.
Solymanus, pulſo fratre, Rex Turcarum declaratur, 341. pacem cum Venetis firmare conatur, 349.
Solymanus Regii Sigilli Cuſtos creatur, 280. ad oppugnandam Budam profectus ab Cæſare funditur, 314. pacis conſilia proponit, ibid. 315. occiditur. 341.
Sparta urbs Peloponneſi, 332. occupata à Venetis, 333.
Stephanus Lippamanius Pyli Præfectus. 291.
Stephanus Magnus Quæſitor creatus, 107.

T

Tempeſtas maris ingens. 61.
Tenarii populi quinam ſint, 69. legatos ad Maurocenum mittunt, 69. capta Abæa, recedunt, 71. 72. in commilitium vocantur, 270. 271. Zarnatam obſident, ibid. ad Abæam pugnant, 273. 274. ad Chielepham mittuntur. 276.
Tenedos inſula, 53. tentatur à Venetis, 54. ſubigitur, ibid. denuò à Turcis occupatur. 57.
Thaddæus Gradonicus Naupacti Præfectus. 326.
Thaddæus Maurocenus Navium Præfectus, 171. mittitur ad excipiendos Gallos. ibid.
Theodorus Laſcarus, 288. paratur ad pugnam. ibid.
Thermis oppidum, 312. occupatur à Ve-

Venetis. ibid.
Thyrea, 332. capta à Venetis. 333.
Topalius Claſſis Turcarum Præfectus, 55. in Ægeum erumpit. ibid.
Toronaicus ſinus. 73.
Torone arx, 74. ejus deſcriptio, ibid. occupatur à Venetis, ibid. everti-tur. ibid.
Turcæ ob Piratarum cædem Reip. infeſti, 9. denuò componuntur, 10. Aperto bello Remp. invadunt, 11. ad Creticum bellum omni ſtudio animum intendunt, 18. Urbem Cretam aggredi ſtatuunt, 20. prope Paron in Venetos incidunt, & adverſo eventu pugnant, 22. 23. 24. 25. & 26. Turcarum pavor ob amiſſam claſſem, 26. & 27. bis prope Rhodum à Franciſco Mauroceno in fugam aguntur, 30. cum Joſepho Delphino Navium Præfecto pugnant, ſed magna ſuorum cæde, 33. 34. Sinanum claſſis præfectum eligunt, 51. pugnant ad Helleſpontum cum Laurentio Marcello, ibid. ſed penitùs diſſipantur, 52. Turcæ, poſt victoriam ex Tenedo, ac Lemno, ob Imperatoriam dignitatem in Maurocenum collatam, quieſcunt, 59. novis munitionibus confirmant arces Helleſponti, 84. Illyricum turbant, 112. ad conficiendum bellum Creticum accenduntur, 113. 114. eorum queſtus ob conditiones pacis ab Achmete Venetis datas, 197. 198. Numerus cæſorum in Cretæ obſidione, 198. arma in Pannoniam vertunt, 215. Viennam obſident, ibid. pelluntur, ibid. 216. eorundem pavor ob inditum à Venetis bellum, 220. arma, militeſque congerunt, 242. ob crebras clades Byzantium variè turbatur, 280. conditiones pacis fruſtrà proponunt, 314. ingenti tumultu turbantur, 341. Regem pellunt, ibid. non aſſentiunt conditionibus pacis à Venetis prolatis, 364. 365. eorum pavor ob Maurocenum quartùm Imperatorem declaratum, 378. lætantur ob Mauroceni interitum, 388.

V

Valerius Uberus Eubœę muros adoritur, 355.
Veneti bellum Piratis inferunt, 6. eoſdem diſſipant, 8. Detecto bello, quod ab Hybraimo illatum eſt, ſe ad arma comparant, 11. Lætantur ob inflictam Turcis cladem prope Paron inſulam, 27. regium vexillum Turcarum in eadem pugna captum in Decemvirorum Ædibus reponunt, ib. Tenedo, ac Lemno redimere Cydonem, & Rithymnam ſtatuunt, 54. eorundem mœror ob Lazari Mocenici interitum, 57. Imperatorem eligunt Franciſcum Maurocenum, 58. ſtudent paci comparandæ, 68. 69. ut Cretam retineant, magis accenduntur ad bellum, ibid. Forum-Julii muniunt, 109. agunt de paçe firmanda, ſed fruſtrà, 111. ob cognitam Achmetis expeditionem in Cretam, parantur ad bellum, 114. altero Cretæ obſidionis anno arma, militeſque congerunt, 139. Aloyſium Molinum Equitem pacis conficiendæ cauſa ad Turcas mittunt, 167. ſed fruſtrà, ibid. 168. lætantur ob navalem victoriam de Turcis à Mauroceno relatam, 153. poſteà ob pacem ab eodem cum Turcis firmatam 200. Imperii fines novis præſidiis muniunt, 201. Maurocenum denuò accuſatum abſolvunt, 211. 212. Forum-Julii muniunt, 216. bellum Turcis inferre ſtatuunt, ibid. 217. fœdus cum Cęſare, & Poloniæ Rege ineunt, ibid. 218. arma parant, ibid. eorundem lætitia ob captam Leucadem, 233. exercitum augent, 243.

eriguntur ob Coronesexpugnationem, 269. 270. intentiùs arma parant, 279. non patiuntur Maurocenum ab exercitu diſcedere, 279. 280. eorum præconia in Maurocenum, 298. ſenſus ob expugnatam Naupliam, 313. lætitia ingens ob Patrarum, Naupactique victoriam, 326. 327. æreo ſimulacro, & Peloponneſiaci cognomento Maurocenum ornant, ibid. 328. eundem Principem eligunt, 342. conditiones pacis in medium afferunt; quibus Turcæ non aſſentiunt, 364. 365. de Mauroceno quartùm Imperatore eligendo conveniunt, 376. eorundem mœror ingens ob interitum Mauroceni, 387. multa in extincti memoriam decernunt, 388. 389.

Vienna urbs, 215. obſidetur à Turcis, ibid. ab obſidione vindicatur, ibid.

Vincentius Roſpilioſius, Pontificiarum triremium Dux, Cretam deſerere ſtatuit, 177. Cretenſium precibus non aſſentit, 194. ab Dia inſula ſolvit ibid.

Z

Zarnata arx Peloponneſi, 271. obſidetur à Tenariis, ibid. expugnatur, 272.

F I N I S.

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di reviſione; & approbatione del P. F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore, nel Libro intitolato *Franciſci Mauroceni Peloponneſiaci, Venetiarum Principis geſta; Scriptore Joanne Gratiano*, non eſſervi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, &, parimente per atteſtato del Secretario noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Data li 8. Marzo 1698.

(*Sebaſtiano Foſcarini K*r. *Procurator Refform.*
(*Girolamo Venier K*r. *Refform.*
(*Franceſco Cornaro Procurator Refform.*

Agoſtino Gadaldini Segretario.

Adi 21. Maggio 1698.
Regiſtrata nel Magiſt. Eccel. degl' Eſſecutori contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nodarò.

Errata ſic Corrige

onenarias	Pagin. 32.	Linea 21.	onerarias
ob	40.	26.	ab
agreſſium	41.	15.	agreſtium
urbem	49.	17.	urbe
trjecturas	80.	22.	trajecturas
armique	96.	23.	armiſque
Illiricum	112.	14.	Illyricum
apertavi	124.	26.	aperta vi
ſogniùs	125.	14.	ſegniùs
ſtrictis	138.	4.	ſtrictius
admiratione	139.	2.	admiratione̅
ſub, duci	154.	24.	ſubduci
ob	158.	16.	ab
quæſtibus	165.	8.	queſtibus
ultrò	139.	6.	ultrà
præ properà	172.	28.	præproperà
conſenſn	192.	18.	conſenſu
incommilitium	228.	1.	in commilitium
veſtigia	241.	14.	veſtigiis
tumultur	255.	20.	tumultu
eluiſſet	259.	26.	eluſiſſet
Rhium	283.	15.	Rium
imperaverant	295.	10.	impetraverant
majorem	299.	26.	majore
haud à Patris	299.	29.	haud procul à Patris
Rhium	299.	30.	Rium
Antyrrhium	299.	30.	Anthyrrium
quartè	301.	1.	quartùm
Palamidis	303.	12.	Palamedis
munimenta	303.	21.	munimento
habueret	312.	9.	habuere
viros	318.	19.	vicos
oppugnatione	321.	5.	expugnatione
ac ſubtus eam	327.	18.	ſubter eam
conſiliis	329.	25.	conſilii
Septentionem	330.	21.	Septentrionem
Archaja	330.	23.	Achaja
diuturni ciremque	330.	27.	diuturnioremque
cùm aliquis	331.	11.	cum antiquis
victi	333.	23.	ducti
nutatu	333.	27.	mutatu
curſu	348.	3.	curſus
exercitum	356.	2.	exitum

VAM 554885

Digitized by Google

147
C. i. 5.